



MEMORIARUM PHILO-SOPHORUM CONTINUATIO



FRANCOFURTI
apud Martinum Hallervord
Bibliop. Regiom. ont. 1679.

MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, POETARUM, HISTORICORUM, ET PHILOLOGORUM

NOSTRI SECULI

CLARISSIMORUM

RENOVATÆ,

DECAS QUINTA,

CURANTE

M. HENNINGO WITTEN.



FRANCOFURTI,

Apud MARTINUM HALLERVORD,

Typis JOHANNIS ANDREÆ,

Anno CIↃ IↃC LXXIX.





PLATO LIB. VII. DE LEGIBUS.

Τῶν πολιτῶν ὁπόσοι τέλος ἔχοιεν τοῦ βίου κατὰ σώματα ἢ κατὰ ψυχὰς ἔργα ἐξειργασμένοι καλὰ καὶ ἐπίπονα, καὶ τοῖς νόμοις εὐπειθεῖς γεγονότες, ἐγκωμίων αὐτοὺς τυγχάνειν, πρέπον ἂν εἴη. h. e. SI QVI CIVIUM VIVENDI FINEM FECERUNT, CORPORIS VEL ANIMI VIRIBUS RES HONESTAS ET ARDUAS OPERATI, ET QVI DEBITUM LEGIBUS OBSEQVIUM PRÆSTITERUNT, EOS ENCOMIIS LAUDIBUSVE ORNARE, DECORUM ESTO.

NOBIL. AMPLISSIMO NEC NON EXCEL-
LENTISSIMO VIRO,

DN. JOANNI
GEORGIO GRÆVIO,

PHILOSOPHIÆ DOCTORI
PERQUAM INCLUTO,
IN ILLUSTRI ACADEMIA ULTRA-
JECTINA HISTORIARUM ET ELOQVEN-
TIÆ PROFESSORI PUBLICO,
OMNIS ERUDITIONIS OCEANO,
ADEOQVE PER TOTUM EUROPÆI ORBIS
TRACTUM,
ET UBICUNQVE LITERARUM HODIE,
DECUS AC HONOR
SUO ÆSTIMATUR PRETIO,
PLANE ADMIRANDO,
DOMINO ATQVE FAUTORI MEO
PLURIMUM OBSERVANDO,
QVEM,
CUM, ANTE ALIQVOT LUSTRA, BELGIUM
PERLUSTRANDO PRIMUM COM-
PELLAREM,
TAM ASSIDUUM IN EXCOLENDIS POLY-
MATHIAS STUDIIS INVENI,





MEMORIARUM PHILOSOPHORUM CONTINUATIO



FRANCOFURTI
apud Martinum Hallervord
Bibliop. Regiom. Mont. 1679.

MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, POETARUM, HISTORICORUM, ET PHILOLOGORUM *NOSTRI SECULI* CLARISSIMORUM RENOVATÆ, DECAS QVINTA,

CURANTE

M. HENNINGO WITTEN.



FRANCOFURTI,

Apud MARTINUM HALLERVORD,
Typis JOHANNIS ANDREÆ,
Anno CIↃ IↃC LXXIX.




PLATO LIB. VII. DE LEGIBUS.

Τῶν πολιτῶν ὁπόσοι τέλος ἔχοιεν τοῦ βίου κατὰ σώματα ἢ κατὰ ψυχὰς ἔργα ἐξειργασμένοι καλὰ καὶ ἐπίπονα, καὶ τοῖς νόμοις εὐπειθεῖς γεγονότες, ἐγκωμίων αὐτοὺς λυγχάνειν, πρέπον ἂν εἴη. h. e. SI QVI CIVIUM VIVENDI FINEM FECERUNT, CORPORIS VEL ANIMI VIRIBUS RES HONESTAS ET ARDUAS OPERATI, ET QVI DEBITUM LEGIBUS OBSEQVIUM PRÆSTITERUNT, EOS ENCOMIIS LAUDIBUSVE ORNARE, DECORUM ESTO.

NOBIL. AMPLISSIMO NEC NON EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. JOANNI GEORGIO GRÆVIO,

PHILOSOPHIÆ DOCTORI PERQUAM INCLUTO, IN ILLUSTRI ACADEMIA ULTRAJECTINA HISTORIARUM ET ELOQVENTIÆ PROFESSORI PUBLICO, OMNIS ERUDITIONIS OCEANO, ADEOQVE PER TOTUM EUROPÆI ORBIS TRACTUM, ET UBICUNQVE LITERARUM HODIE DECUS AC HONOR SUO ÆSTIMATUR PRETIO, PLANE ADMIRANDO, DOMINO ATQVE FAUTORI MEO PLURIMUM OBSERVANDO, QVEM, CUM, ANTE ALIQVOT LUSTRA, BELGIUM PERLUSTRANDO PRIMUM COMPELLAREM, TAM ASSIDUUM IN EXCOLENDIS POLYMATHIAS STUDIIS INVENI,





UT

UT LABORE REFICI AC REPARARI VIDERETUR,
TAM HUMANUM IN PEREGRINIS EXCIPIENDIS;
UT FELICITATI SUÆ NIHIL PUTARET ASTRUI POSSE, NISI HAC SE RATIONE DEMITTERET.
QVAMOBREM,
QVO ORBIS LITERARUM OBSERVANTIÆ MEÆ ADHIBERETUR TESTIS ET CONSCIUS,
MEMORIAM
CLARISSIMORUM QVORUNDAM HOMINUM ET BENE DE REP. MERITORUM,
QVASI REVIVISCENTIUM,
L.M.Q. SISTERE,
ET CONSERVANDÆ INTER NOS MEMORIÆ ERGO,
DICARE VOLUIT DEBUITQVE
M. H. WITTE.
SUMMUM FERVENTISSIME PRECATUS NUMEN,
UT HUNC AMICUM ET FAUTOREM,
IN SECULI ILLUSTRAMENTUM,
AC MUSÆ BELGICÆ DELITIUM,
DIU FELICITERQVE PERENNARE SINAT!

SERIES



SERIES PHILOSOPHORUM ORATORUM, &c.

QVINTÆ DECADIS.

Obiit anno

1607. Paulus Merula, Hiſtor. Profeſſ. Lugd. Batav.

1625. Ubbo Emmius, Hiſtor. & Græcæ Ling. Prof. Groning.

1638. Edo Neuhuſius, Gymnaſiarcha Leoverd.

1641. Chriſtophorus Neander, Philoſophiæ Moralis Profeſſ. Viadrinus.

1644. Pierius Winſemius, Eloquent. Prof. Franequer.

1649. Nicolaus Vernulæus, Eloq. Profeſſ. Lovanienſis.

1650. Gerardus Jo. Voſſius, Eloq. & Chronol. Prof. Lugd. Batav.

1651. Henricus Julius Scheurlius, Ethic. Prof. Helmſtadienſ.

1652. Claudius Salmaſius, Prof. honorarius Lugd. Batav.

1652. Petrus Puteanus, Regis Galliæ Conſiliarius & Bibliothecarius.



(o)

JOHANNIS KIRCHMANNI ORATIO

In Funere V. Clarissimi,

PAULI MERULÆ,

Historiarum Professoris in Academia Batavorum, & Fæderatarum Provinciarum Historiographi,

Anno cIↃ IↃ c VII. Die XX. Iulii Rostochii defuncti.



Tinam, Magnifici, Reverendi, Amplissimi, clarissimi, doctissimi, nobilissimi & ornatissimi Auditores, utinam P. Merulæ homini, dum vixit, probo & à quo veræ eruditionis ac doctrinæ elogium Veritas ipsa non spreverit, acerbum hoc ac triste officium persolvere non sit necesse! Utinam diutius ipsi jucundissima hac luce frui licuisset, neque mors plenis jam velis in gloriæ campum invecto nimis immature manum injecisset! Erat sane hoc omnibus votis optandum, si non ipsius, qui præclare & laudabiliter vitæ suæ curriculum confecit: at uxoris gratia, quæ carissimum maritum amisit: at liberorum, qui optimo patre orbati sunt: at Musarum, quæ irreparabilem in ejus occasu jacturam fecerunt. Sed quoniam Deo ita visum, ut procul patria, in peregrino solo vitæ personam deponeret, non lessum mortuo faciemus, aut lachrimis nihil profuturis habenas laxabimus: sed potius memoriam optimi viri & de literis præclare meriti sancte conservabimus, nec quicquam prætermittemus, quod videbitur ad mortem ejus celebrandam pertinere. Etsi autem me quidem ab hoc officio deterrere poterat, & summa viri virtus, & ingenii mei tenuitas: præsertim cum sciam non defuturos alibi quoque & præsertim in celebri illa Batavorum Academia viros eruditos & eloquentia præstantes, qui collegæ & amici sui laudes vel prosa oratione, vel versibus, quorum architecti sunt, commendabunt. Tamen ne cuiquam illorum aut amore, quo prosequutus sum, aut dolore, quem ex morte ipsius cepi, ullo pacto concessisse videar,

dear, faciam quod potero, & postremum hoc munus & publico & meo nomine P. Merulæ præstabo, non ingenio aut facultate dicendi, sed vestra benevolentia & æquitate fretus. In certam enim spem, imo fiduciam ingressus sum, fore, ut qua erga alios ex hoc loco dicentes benignitate usi estis, eandem mihi quoque non sitis denegaturi. Quod si, ut spero & opto, à vobis impetravero, certe nec me in dicendo laborasse, nec vos tanti viri memoriam grata recordatione revocasse unquam pœnitebit.

Unde autem dicendi initium faciam? an à patria, genere, educatione? Solent quidem hinc narrationem arcessere, qui alios laudandos suscipiunt; neque id sine ratione. Ut enim plantæ cum bono è genere lectæ, feraci solo depositæ, & diligenti cultura adjutæ sunt, tum demum uberes fructus ferunt: sic quoque in hominibus genus, patria, educatio magnum momentum habet. Ego vero hæc omnia prætermittam, non quidem quod is ignobili patria ortus, obscuro loco natus, male educatus sit, non: Sed quod ad majora festinet mea oratio, & his si immorari diu velim, vereor ut concubium noctis sit, priusquam hanc narrationem ad finem perducam. Quid enim? Bataviam laudem, illud Martis & Musarum domicilium? in cujus antiquissimo munitissimoque, & quod Principatum quendam inter reliquas omnes Hollandiæ urbes tenet, oppido, Dordracum quod appellatur, jucundum hoc Solis lumen aspicere & aërem haurire P. Merula primum cœpit. At ea, si brevitati studuero, multis & præclaris laudibus à me privabitur: si omnia persequi voluero, longior mihi oratio expromenda esset, quam vestræ aures tolerare possint. De Merularum genere dicam? Unus Angelus fortissimus ille & invictus veritatis testis, Pauli nostri Magnus Patruus, qui annis abhinc quadraginta & quod excurrit ab Inquisitoribus ob constantissimam Religionis confessionem indigno supplicio affectus fuit, vel unus hic Angelus totum diem exposceret. Possem quoque de Guilielmo Pauli ipsius patre doctissimo & defæcati semper animi viro, qui multos annos Civitati Dordracenæ à Secretis fuit, & filii ingenium optimarum artium cultu accurate nutriendum curavit: possem, unde maternum genus ducebat, de vetustissimis Heermannorum & Omelingorum familiis, quæ primis semper honoribus apud Dordracenos functæ sunt, & etiam nunc funguntur, longam orationem texere. Sed nolo ex hoc rivulo in id flumen

laudem derivare. Neque enim nititur avorum meritis P. Merula, qui abineunte statim ætate vitam ita instituit, ut suarum splendore virtutum lucem afferre potuisset majoribus etiam obscurissimis. Quid vero opus, ut pueritiam ejus, partim in patria, partim Delphis sub præceptorum disciplina actam hic commemorem? Cum agrum fertilem & fœcundum videmus, etiamsi quomodo occatus & stercoratus sit ignoramus, neque agricolæ sementem jacientis laborem conspicimus, ex ipsis tamen frugibus bene cultum & studiose subactum judicamus. Sic quoque cum uberrimus virtutum proventus in P. Merulæ animo extiterit, quid aliter existimare debemus, quam ipsum diligentissime fuisse excultum? An igitur de corporis orisque dignitate dicamus? nam hinc quoq; laudem mutuari hominibus solemus, quod formæ decorem naturalis quædam ingenii bonitas plerumque comitetur. At licet pulcherrima P. Merulæ anima dignam se sedem, dignum diversorium, in quo habitaret, fuerit adepta: non est tamen ut in prædicanda tam fragilis & quod ætas facile aut morbus corruperit, boni præstantia diu immoremur: ne cum animi bona suppetant, laudem captare videamur ex corpore.

His igitur omnibus omissis, quæ minora sunt, quam ut in laudatione P. Merulæ poni debeant, ad ea, quæ potissimum mihi dicenda proposui, jam accedamus. Hic vero nobis primo occurrit ingens illud & indefessum studium, quod ipse à teneris statim unguiculis ad extremum usque halitum in literis collocavit. Nam etsi quidem à Natura felix ipsi & ad omnes honestas disciplinas docile ingenium erat attributum: tanta tamen utebatur semper animi contentione & diligentia, quanta utendum est homini, qui studet id, quod ingenio deest, industria compensare. Quotidie ille in libris, in chartis versabatur, & laborum Musicorum adeo non solum tolerans, sed & appetens erat, ut perire sibi omne tempus arbitraretur, quod studijs non impertiret. Et quoties aut iter faceret, aut animi causa deambularet, semper illi præsto erat liber aliquis quem volutaret, cujus lectione animum pasceret: quem vero librum semel in manus sumserat, eum non prius deponebat, quam à capite ad calcem usque percurrisset, annotassetque ea, quæ sibi aliquando usui fore existimaret. Nihil enim legebat, quod non excerperet & in Adversaria sua ac Memoriales libellos referret.

Talem

Talem assiduitatem & tam indefessum laborem si alii quoque præclaris ingeniis præditi ad discendas literas afferrent, nullum dubium est, quin nostro etiam seculo plures exorituri sint, qui veræ ac solidæ eruditionis copia & varietate cum ipsa antiquitate comparari merito possint. Ingenia certe nihilo hodie, quam antiquitùs, deteriora sunt. Non enim quasi lassa & effœta natura est, ut nihil jam laudabile pariat. Imo vero negare non possumus, extitisse nostra & avorum memoria multos, qui aut inventionum subtilitate aut exercituum ducendorum scientia, aut navium in magno mari gubernandarum peritia, aut aliarum rerum cognitione nulli veterum cesserunt, plerosque etiam longo post se intervallo reliquerunt. Quod vero oppidò pauci ad eruditionis illius, quam in priscis admiramur, fastigium pervenerunt, quid mirum, cum non eadem reperiatur in nostris hominibus, quæ in veteribus erat, diligentia, non eadem vigilantia, non idem labor? Relanguit jam pridem priscum illud in addiscendis literis studium, restinctus est vetus ille erga artes honestas ardor; torpor & veternus animos nostros occupavit, neque ulla in nobis scintilla apparet illorum igniculorum, quibus olim juvenes ad hoc Doctrinæ stadium alacriter decurrendum accendebantur. Prisci illi discendi cupiditate flagrantes omnes corporearum voluptatum illecebras contemnebant, nullam omnino curam gerebant rei familiaris, socordia & ignavia valere jussis noctes atque dies in solo literarum studio versabantur, nec ullum laborem, aut molestiam doctrinæ comparandæ gratia refugiebant. Nos inertiæ dulcedine inescati, aut voluptatum blanditiis capti, perfunctorie tantum literas tractamus & omnia nostra studia vel ad primos in Repub. honores obtinendos, vel ad opes corradendas referimus. Atque ideo mirandum non est, paucos hodie ad veterum illam admirabilem in omni genere doctrinam eloquentiamque accedere: &, quod sine cujusquam injuria dictum volo, illos propemodum jam ordines in literis ducere, & quasi signiferos esse, quibus olim vix inter gregarios milites locus esse potuisset.

Hanc seculi labem indigne ferens P. Merula, ut primum literarum dignitatem intelligere cœpit, tam acri erga illas amore exarsit, ut nulla difficultas, nulla laboris asperitas, eum ab instituto cursu revocaret, non ambitio ad honores, non libido ad voluptatem, non avaritia ad opes, non otium ad animi remissionem, non denique somnus ad quietem.

tem.

tem. Hac vero assiduitate, his vigiliis, hoc labore id assecutus est, ut in literatorum lustro inter eos, quibus Respub. hæc literaria hactenus fulta stetit, & ipse merito censeretur.

Cum enim duo sint, quæ virum eruditum perficiunt, accurata Rerum cognitio, & politi Sermonis copia, in utroque P. Merula ita excelluit, ut mihi fere ultra vulgarem humanæ mentis captum emersisse videatur. Erat quidem ipsi, postquam ad severiora studia animum applicavit, inprimis cordi & curæ Jurisprudentia, cum quia sciebat huic architectonicæ reliquas artes omnes ancillari: tum etiam quia videbat patrem avumque hac scientia fuisse excultos. Fit enim hoc plerumque ut ex quo disciplinæ genere quis majores suos laudem quæsivisse intelligit, ad hoc ipse quoque libenter se conferre soleat. In hoc igitur studium ita continenter & assidue incumbebat, ut protinus apud omnes summam sui admirationem, parem exspectationem excitarit, quam tamen in eo fefellit, quod, ubi ad maturiorem ætatẽ pervenit, expectatione ipsa major evaserit. Et quamvis civilem scientiam magis omnibus aliis artibus coleret: non tamen prius ad verenda hujus Deæ sacra accessit, quam instructus esset iis adminiculis, quæ in homine ad legitimam Jurisprudentiam aspirante requiruntur: Sed neque ita totum se unquam Themidi devovit, aut sic sub ejus signis stipendia meruit, ut humaniores disciplinas statim desereret, imo vero latissimos illarum campos ingressus tam variam & multiplicem rerum divinarum humanarumque scientiam sibi comparavit, ut nulla fere Philosophiæ pars sit, quam ille non degustarit; nullum scientiæ genus, quod ille non indefessa alacritate amplexus sit; nulla veterum monumenta, quibus nocturna diurnaque manu pervolvendis ille studium suum non impenderit, nulli in penitissimis venerandæ Antiquitatis penetralibus tam reconditi, tamque latentes ritus, quorum lustra & cubilia ille non deprehenderet; nulla aut vetus aut recens historia, quam ille non ad unguem teneret. Breviter, quod Nicephorus Gregoras de Theodoro Metochita usurpat elogium, id non immerito in P. Merulam accommodare possumus: Βιβλιοθήκη ἦν ἔμψυχος ὄντος καὶ τῶν ζητουμένων πρόχειρος εὐπορία. Erat viva bibliortheca, & eorum, quæ scire velles, oraculum.

Nec vero Rebus tantum intentus, Orationis politæ studium neglexit; id quod multi hodie faciunt, qui omnis hu

humanitatis expertes elegantiæ studiosos tanquam inanium verborum sectatores irrident, sed quia videbat, etiam priscos Sapientiæ proceres rerum investigationi incredibilem exornandi sermonis curam adjunxisse, ipse quoque eandem viam, præsertim tot doctissimorum nostri ævi hominum vestigiis signatam & impressam, omni conatu & honesta ingenii contentione secutus fuit. Cum enim nollet ita vitam transigere, ut, veluti naves, nullum sui vestigium relinqueret, sed propositum ipsi esset, Rempub. literariam, qua parte manca erat, pro sua virili juvare, labantem confirmare & erigere, faciendum putavit, ut accuratam Latine dicendi scribendique facultatem sibi acquireret, ne si animi sensa inquinate & rustice efferret, in numero eorum hominum haberetur, quos M. Tullius ait intemperanter abuti & otio & literis. Quid? quod Hebraici quoque sermonis fontes haud tralatitie delibavit: In Græcæ vero literaturæ adyta tam longe se penetravit, ut plerosque omnes primæ classis auctores in succum & sanguinem suum converteret, & fere omnia illorum præcepta in numerato haberet. Ex Poëtica arte quantum laudis consequi potuerit, si sæpius in hac scena siparium expandere, & ingenium suum in hoc præclaro curriculo experiri voluisset, testantur ejus versiculi pauci quidem illi, sed qui spirant veterem illam simplicitatem & quasi scintillas emittunt purioris illius seculi.

Erunt fortasse, qui hæc levia & nullius momenti esse judicabunt, nec digna à quibus P. Merulæ laudem aucupari debeamus. Ego vero, Auditores, omnino ita sentio, & forte mecum alii, inter reliquas ejus laudes non postremam hanc esse, quod variarum Rerum scientiam cum Orationis elegantia, utramque autem cum Jurisprudentia copulavit. Neque hanc meam sententiam, opinor, improbabitis, si me ejus rationes vobis paulo altius exponentem benevole, quod facitis, & attente audietis.

Philosophiæ cognitionem, non horridæ illius & nimis subtilium quæstiuncularum sentibus vepribusque obsitæ, quam hodie videmus passim in scholas irrepere: sed ejus, quæ olim vigebat, quamque superioribus annis viri eruditissimi è situ & squallore priorum seculorum liberarunt hujus igitur legitimæ Philosophiæ cognitionem Antiquitatisque peritiam, cultum item istarum linguarum, quibus hi nobilissimarum rerum thesauri tanquam arculis quibusdam asservantur, vel, ut verbo dicam, bonas literas maximum

ximum habere ad graviores disciplinas adjumentum, fatentur omnes qui quidem rationis alicujus primordiis imbuti sunt: at vero, qui his studiis non dico immorari, sed plusculum saltem temporis tribuere velint, reperiuntur semper paucissimi. Cujus rei causas dum mecum recogito, cum aliæ multæ, tum vero hæ duæ potissimum mihi in mentem veniunt, quæ familiam ducere videntur, Magnitudo videlicet ac varietas harum, quas dixi, literarum, & fatuum de iis seculi nostri Judicium. Etenim affirmare non dubito, quod etiam nemo prudens inficias iverit, qui in hoc studiorum genere ad aliquam laudem aspiret, ei tam latum & amplum campum esse propositum, ut posse eum conficere vix aliquis mortalium videatur, qui totum memoriæ dolium exhauserit, & his literis in perpetuum se manciparit, nedum is, qui mediocri tantum ingenio sit prædıtus & adhuc superiorum scientiarum alicui incumbat. Excutiendæ enim sunt omnes veterum scriptorum bibliothecæ, perlustranda & pernoscenda est omnis antiquitas, replicanda omnium historiarum monumentorumque memoria, neque Latium modo perreptandum, sed & navigandum in Græciam, & ad unum omnes utriusque linguæ auctores summo studio ac diligentia pervolutandi, Oratorum scripta manibus atque oculis quotidie conterenda, Poëtæ etiam ad verbum, si fieri possit, ediscendi, & denique nihil omnium prætermittendum, quæ vel ad animum proba & prisca doctrina multiplicique rerum olim gestarum scientia imbuendum, vel ad comparandam lautæ orationis & elegantioris styli supellectilem facere videantur. Quæ omnia vel etiam ex iis nonnulla tantum, quàm improbum & ærumnabilem laborem desiderent, conjectura facilius consequi est, quam verbis recensere. Ceterum cum jam nulli studio peperceris, summa omnia feceris, & prope in eo sis, ut vasa colligas & serio tandem aliquando migres ad Justinianæa castra, vel ad medicinam te conferas, vel ad sacras literas: erunt tamen homines usque adeo præposteri judicii, qui omne id tempus, quod politiori huic literaturæ impenderis, collocatum dicant non solum in re levi & hausta de triviis circulisque doctrina, sed & unde nihil omnino utilitatis vel in vitam humanam, vel ad ipsos harum cultores redundet. Ita enim vulgo persuasum est, illam superiorum scientiarum Trigam, quarum fructus omnium oculis expositi sunt, & pene manibus, quod dicitur, contrectari possunt, solam vitæ mortalium

lium servire: eas autem, quæ vere ut sunt, ita appellantur Humanitatis artes, esse omnino inutiles & frugis expertes, cum quid in commune conferant, sit à vulgi intelligentia sensuque paulisper remotum. Atque ideo fit, ut hæ quidem contemptui passim habeantur & egeant: illæ vero opibus affluant & honore, solæque occupent præmia illa, quibus disciplinæ liberales nutriri & ad earum cultum optima quæque ingenia excitari incendique soleant. Non igitur magnopere mirum, si spretis & insuper habitis Humanitatis artibus non solum maturæ ætatis adolescentes, quos temporis jactura, quam sua an præceptorum? culpa fecere, fortassis excusaverit: sed & investes adhuc, ut veteres loquebantur, pueri, quique ex Grammaticæ salebris pedem vix moverint, Latine autem nondum intelligant, ac ne disserendi quidem dicendique artes, nisi ex compendiis & nescio quibus cœnosis lacunis hauserint, in Medicos statim, aut Jurisconsultos, aut sacrarum literarum interpretes nomen dare non vereantur, & remis velisque πρὸς τὰ ἄλφιτα properando, aditumque sibi ad summas dignitates muniendo, cruda adhuc studia in Ecclesiam aut forum propellunt: non sine gravi animi dolore eorum, quibus melior Sol atram illam caliginem ab animi oculis detersit. Hi enim facile vident, quomodo nondum prorsus eradicata, sed magnam tamen partem superiori ætate nec infeliciter convelli cœpta barbaries paulatim iterum repullulet, hederarum vice præfocatura teneras optimarum artium stirpes, nisi mature huic malo occurratur. Frustra enim aliud speres, ubi qui ad amœniores hasce Musas, illas barbariei expultrices, excitare studiosam juventutem debebant, & ex Ignorantiæ antro quasi manu educere ad Bonæ Mentis sacellum, ipsimet non solum horum studiorum plane rudes sunt, sed & discipulis suis illa de manibus omni conatu omnibusque machinis excutere, & teneris animis odium contemptumque harum artium infundere non dubitant, dum quæ vel somnolentia sua vel ingenii tarditate consequi non potuerunt, in aliis reprehendunt & vituperant, ne se ipsi videantur inscitiæ tacito quodam præjudicio condemnare. Quid est autam irrepentem clam Barbariem admittere, si hoc non est? admittere autem? imo vero ambabus ulnis amplexari & in eum, unde avorum patrumque nostrorum memoria fere dejecta erat, locum reponere? Certe fieri aliter non potest, quin illa omnium artium regina & virtutum parens Theologia

logia omnino jaceat, atque adeo reliquæ severioris supercilii disciplinæ omnes pessum eant, densissima tenebrarum caligine involutæ, nisi hoc humaniorum Musarum aut sale condiantur, aut lumine collustrentur. Cui rei longe exempla petere quid opus? nemo enim est, qui ignoret, quam atra nox ante plusculos annos universum prope terrarum orbem obtexerit, ex quo perversa hæc & mirum quantum perniciosa opinio animos juvenum veluti pestilenti quodam sidere afflare cœperat, Græcas literas, orationis ornatæ cultum, antiquitatis cognitionem res esse ludicras & nugatorias, nec pertinere ad eos, qui gravioribus studiis essent addicti.

Sed querelam instituere de ingruente Barbarie, vel quomodo huic monstro obviam eundum sit, in medium consulere, non est mihi hoc loco propositum: causam tantum indicare volui, cur plerique ab hoc studiorum genere necessario quidem, sed aliquantisper difficili & variis calumniæ telis exposito refugere, ac confestim ad illas artes, quæ suis cultoribus è vestigio dignitates & opulentiam largiuntur, animum soleant applicare. Neque vero recte id fiat, an secus, ut nunc quidem sunt secula & mores, pluribus disputo: hoc autem, si taceam, res ipsa loquatur, jam pridem summam eamque multo majorem, quam quæ olim fuit, omnium disciplinarum ignorationem consequutam fuisse, absque paucis quibusdam divinitus ad hanc rem excitatis hominibus esset, qui publico bono nihil sibi prævertendum existimantes, politiores hasce literas omni studio & conatu propagatum eunt, & quicquid harum candidatos remorari aut tardare forte possit, è medio tollere nituntur, spargendo interdum ac liberaliter distribuendo in literarium populum, velut tesseras, quæ ipsi per omne genus scriptorum vagantes curiose in unoquoque observarint.

Quorsum hæc tam longe repetita? dicat aliquis. Nimirum ut intelligatur, Auditores, me non sine justa causa inter laudes P. Merulæ retulisse, quod non illotis, quod ajunt, manibus Juris sacra contrectarit, neque rerum amplitudine fractus, non vulgi judicio territus, non lucri cupiditate incensus, non honorum fumis captus humaniores Musas deseruerit; sed partim scientiæ amore, partim boni publici studio impulsus constantissime semper eas dilexerit, atque adeo nec ipsi Jurisprudentiæ, quæ amplissimas dignitates & maximas opes pollicebatur, præponere dubitarit.

Sed

Sed de varia P. Merulæ doctrina nolo longiorem orationem comparare, quomodo autem eam ad usum transtulerit, nec passus sit fructus ex literis perceptos, pomorum instar, putrilagine consumi, jam breviter dicam, si prius de studiorum curriculo, quod apud exteros confecit, pauca præmisero. Non enim erat P. Merula tam humili & plebeja anima præditus, ut perpetuo domi residere; idem semper solum premere, aut ab unius oræ ætatem pendere vellet; sed simul ac adolevisse sibi visus & eos in literis fecisse progressus, ut cum fructu & utilitate peregrinas regiones adire posset, statim ipsum cupiditas incessit primates illos in literis viros; quorum scripta admirabatur, coram alloqui & familiarius convenire: exterorum usu ingenia mirum in modum exacui, & illum optimum haberi militem, qui patria procul stipendia fecisset, quotidie audiebat. In Gallia tum temporis melior illa Jurisprudentia omnesque humaniores Musæ potissimum florebant. Semper enim ex quo literæ renatæ sunt, regnum hoc omnium totius Europæ florentissimum etiam in mediis bellorum civilium turbis abundavit copia doctissimorum hominum, qui relictis & spretis Glossatorum oleticetis ac sterquiliniis studiosam juventutem ad ipsius Jurisprudentiæ augusta templa duxerunt. Horum ille doctrina & celebritate, honesta quadam laudis contentione, quæ stimulos optimis ingeniis addere solet, excitatus, parentum permissu in Galliam abiit; ubi propter niveos mores, egregiam doctrinam & assiduum laborem in hominum, qui tum vivebant, doctissimorum amicitiam & familiaritatem facile fuit admissus. Longum foret hic recensere omnes illos doctos viros; quos P. Merula, cum in Galliis operam literis daret; vidit, salutavit, cognovit, quorumque divinas voces auribus suis hausit. Satis mihi est è multis nominasse Barnabam Brissonium, Simeonem Bosium, Johannem Auratum, Q. Septimium Florentem Christianum, Petrum Pithœum; Johannem Bodinum, Jac. Cujacium, Gul. Fornerium, Johannem Robertum, Petrum Danielem, Germanum Valentem, Vellium Pimpontium, Johannem Passeratium; F. Hotomannum, quos ille omnes, at quos viros! propius vidit; compellavit, audivit, plerisque etiam familiariter usus est. Ex Gallia in Italiam se contulit, sed quia Batavus erat, & memoria Angeli Merulæ, quem ob Religionis confessionem martyrio affectum diximus, adhuc passim vigebat, non ausus fuit diu ibi subsistere, multo

minus illam universam peragrare, metuens periculi, quod sibi imminebat, si fortean à quoquam proditus fuisset. Inde igitur in Germaniam superiorem migravit, ac magna ejus parte perlustrata Argentorati aliquot menses commoratus est, partim urbis amœnitate captus, partim doctorum hominum, quibus ea tum florebat, fama permotus. Nam quemadmodum apes non ab uno flore, sed sparsim mella sua sugunt & fingunt: ita quoque prudentiam & eruditionem hinc inde colligendam esse arbitrabatur. Cum vero patrios Lares cogitaret, in Galliam rediit, ac Jurisconsulti titulo publice donatus, in Angliam quoque trajecit, illaque visa tandem peregrinationibus suis finem imposuit, & ab hoc desultorio vitæ genere sese abdicavit.

Reversus in patriam, à qua fere totos novem annos abfuerat, consilio patris in Curiam Provincialem se confert, ut cum Theoria, cui hactenus deditus fuerat, etiam Praxim conjungeret, & ex umbra in Solem, quod dicitur, & pulverem prodiret. Hoc forense stadium non infeliciter ingressus, cum negotiorum sibi commissorum momenta diligenter expenderet; secreta causarum sagaciter indagaret; laqueos, quibus simplices à callidis illaqueantur, solerter dissolveret; clientibus suis non effugia, non offucias quæreret, quibus veritatis lumen obscuraretur, sed illos potius à temerario litigio deterreret, facile sibi Famæ januam paulatim aperuit, & non civibus modo, sed & ipsis Ordinibus innotuit. Quadriennium fere in hac se palæstrâ exercuerat, cum ecce Justus Lipsius, anima illa Antiquitatis & Suadæ medulla, prætextu valetudinis per Acidulas Spadanas recuperandæ, Lugduno Batavorum digreditur, & Academiam, in qua totos decem & tres annos juventutem Musarum sacris operatam cum plausu docuerat, præter multorum expectationem relinquit. Diu fuit deliberatum, quis tanto viro qui universam Europam famæ suæ radiis illustrarat, idoneus successor daretur. Erant enim plures in Belgio tum temporis, ut etiam nunc, viri in omni genere eruditionis exercitati, quibus hæc non incommode demandari provincia potuisset. Eò tamen omnium Ordinum suffragia & vota ibant, ut P. Merula ad Professionem, Lipsii abitu quasi viduam, promoveretur. Ab Academiæ igitur Curatoribus, inter quos facile principem locum obtinebat magnus ille & fama supra æthera notus, Janus Dousa P. ὁ μακαρίτης, honesto salario accitus, lubens foro, ubi magnas opes

opes acquirere ipsi in proclivi erat, nuncium remittit, & in Musæo hoc portu navem suam defigit; docendo, scribendo juvenum mentibus lumina prælaturus. Mos erat apud antiquos ut qui aut gladiatoriam, aut militarem, aut aliam quandam artem desinebant, ejus instrumenta Diis, qui isti arti præsidere credebantur, suspenderent atque consecrarent. Idem quoque factitavit P. Merula; qui cum causidicinæ prorsus valedicere constituisset, ut se in foro non frustra aliquando versatum fuisse ostenderet, Praxin juris civilis artificiosa methodo, sed vernaculo tantum sermone à se contextam in lucem emisit. Cum enim intelligeret, varias illas Constitutiones, quæ diversis temporibus à maximis Principibus erant promulgatæ, partim ævi injuria, partim hominum malitia obliterari & paulatim vim suam amittere, magno judicio illas in unum quasi fasciculum collegit; ratus, se hac ratione non solum casabundam Justitiam pro sua virili fulturum, sed & perfecturum esse, ut sui cives non amplius in forensi palæstra; tanquam hospites in urbe peregrinantes errantesque vagarentur. Neque hæc opinio ipsum fefellit, Tanto enim applausu, tantaque aviditate hic liber ab omnibus fuit exceptus, ut fere nullus in iis locis Judex sit, nullus Prætor, qui non eo tanquam canone aut norma aliqua in controversiis dirigendis utatur.

Postquam autem docendi munus auspicatus est, & sitienti juventuti historiarum fontes recludere cœpit, nihil antiquius habuit, quam ut Spartam, quæ obtigisset, omnibus modis etiam scribendo illustraret. Non enim arbitrabatur se muneri suo satisfacere, aut expectationi de se conceptæ respondere, nisi & in longinquas regiones doctrinæ suæ torrentes ex uberrimis ingenii fontibus derivasset. Hoc ipsum igitur statim præstare exorsus est editione Annalium Ennii, veteris Poëtæ, cujus à Grammaticis velut Penthei olim à Bacchis in mille partes discerpti membra fœdissime mutilata & divulsa plane Herculeo labore collegit, collecta composuit, composita eruditissimo commentario illustravit, atque ita ipsum Ennium patrem cultioris & elegantioris apud Latinos Musæ, ab Orco revocatum, quodammodo mortis postliminio rursus animavit. Magnam hoc opere famam industriæ & judicii apud omnes politiorum literarum mystas P. Merula sibi conciliavit: cujus pomœria cum aliis quoque ingenii monumentis extendere & amplificare vellet, & jam magna animo moliretur, Illustrissimi Fœdera-

tarum Provinciarum Ordines Historiam bellorum, quibus jam multos annos Belgica miserum in modum flagravit, Latino sermone describendam ipsi committunt.

Insigne hoc vestrum, Ordines illustrissimi,(liceat enim mihi pace vestra in hac doctissimorum virorum & lectissimorum juvenum Merulæ vestro justa persolventium corona, vos quamvis magno locorum intervallo à nobis disjunctos paulisper compellare:) Insigne, inquam, non erga præsentes modo, sed & post futuros meritum ac immortali laude dignum: quo si veteres illi Germani ac Belgæ suam quoque posteritatem obstringere sibi ac devincire voluissent, non certe tot præclara ipsorum facinora altissimo silentio sepulta & æternis ignorantiæ tenebris obruta nunc jacerent. Illud enim omnino in confesso est, majorum nostrorum ævo multos præstantes viros extitisse, qui rebus domi & foris, in pace & bello fortiter ac strenue obeundis ipsius vetustatis gloriam si non superarunt, certe æquarunt. Sed quia studium illarum Literarum, quibus virtutis memoria conservatur, ab ipsis manu quam calamo promptioribus omnino negligebatur, factum est, ut domesticorum quidem scriptorum vel inscitia vel silentio; exterorum autem invidentia & malignitate veræ fructu gloriæ fraudarentur, qui res quamvis præclarissimas amplissimasque administrassent. Quod ne jam vobis, Ordines Illustrissimi, qui Reipub. vestræ Libertatem adversus Hispanicam gentem tanta armorum virtute asseritis, & tam fortiter propugnatis, ut ipse etiam hostis vester potentissimus diuturni belli pertæsus pacem vobiscum pangere malit, quam ancipitem Martis aleam diutius experiri: ne hoc igitur quod minus dudum dixi, vobis quoque ullo tempore accideret, mature providistis dum scilicet P. Merulam Historicæ huic Provinciæ delegastis, ipsique in mandatis dedistis, ut res in Belgio jam ab aliquot annis gestas ad veritatis obrussam diligenter exigeret, & tandem ad posteritatem transmitteret. Quo instituto equidem nescio an quicquam utilius Reip. ad cujus clavum sedetis: certe nihil vobis gloriosius, nihil P. Merulæ honorificentius excogitari potuit. Vobis quidem, quod conscientia recte factorum freti hoc agitis, ut etiam ipsa Posteritas intelligat, unde hi bellorum plusquam civilium fluctus, quibus Belgica jam multos annos affligitur concutiturque, exorti sint, & quid vos ad excutiendum à vestris cervicibus Hispanicæ servitutis jugum impulerit, vere cognoscat & judicium ferat.

P. Me-

P. Merulæ vero, quod ab acerrimis ingeniorum censoribus huic muneri, quo nullum in tota Rep. literaria augustius, nullum ad famam provocandam aptius, sed nec ullum difficilius & periculosæ aleæ plenius esse potest, idoneus fuit judicatus.

At quò delabor? Vetabant Pythagorici Deos in transcursu salutari: quam legem cum mihi quoque in cultu magnorum virorum scriptam putem, malo divinam Ordinum prudentiam tacitus admirari, quam & infantiam meam prodere, & laudes ipsorum ingenii culpa deterrere. Ad P. Merulam redeo; qui cum rem sibi commissam infinitis difficultatibus obstructam esse animadverteret, lentius cœpit in iis, quæ jam præ manibus habebat, progredi, magna diligentia magnisque sumptibus undique locorum & gentium conquirens & in unum coacervans ea, quæ ad historiam scribendam erant necessaria. Mirum dictu est, & forte fidem excedit, quod narrabo. Sed quia me historice loqui, nihil fingere norunt alii quoque, quos si opus sit, testes laudare possim, nolo id, quod res est, silentio præterire: Audivi enim cum diceret, non quidem ostentationis gratia, à qua longissime aberat, sed à nobis, quibus familiariter hic utebatur, forte super hac re interrogatus, se de Belgicæ Reipub. statu & bello, quod geritur, quasi triginta sex mille chartas & schedia partim typis edita, partim manuscripta collegisse, ex quibus historiæ suæ corpus exstrueret. Quantus jam in his omnibus non solum evolvendis, & foliatim perscrutandis, sed & apte ac ordine suo loco digerendis collocandisque labos ipsi fuerit exantlatus, quot molestiæ devoratæ, quot vigilatæ noctes, quantum olei operæque impensum, facile erit conjicere iis; qui peponem cordis loco non habebunt. Quotumquemque Auditores, reperiri posse arbitramini, qui non tanta Actorum Auctorumque mole obrutus aut oneri prorsus succumbat, aut id vel propter gravitatem abjicere, vel propter virium imbecillitatem deponere tandem cogatur: P. Merula tamen non deposuit, non abjecit: sed qua potuit fide & diligentia, si non totam historiam, at magnam ejus partem ante quatuor annos absolvit, & Ordinum censuræ submisit, reliquum quoque opus ad optatos terminos perducturus, nisi telam feliciter inchoatam Parcarum iniquitas præcidisset. Mirabitur fortean aliquis, quod tot subsidiis instructus non universam historiam jam pridem confecerit. Sed admirationem depositurum spero, si in men-

tem sibi revocaverit, quod à Cicerone prudenter & vere dictum est, Historiam institui nisi præparato otio non posse, nec exiguo tempore absolvi. Imo vero magis mirabitur, potuisse P. Merulam id quod fecit præstare, si cogitaverit ipsum, præterquam quod publicæ suæ Functionis partes quotidie expleret, etiam alia multa, ut Varro ait, musinatum esse, quæ vitam ipsi nunquam in otio transactam, clare loquuntur. Non dicam de Gelrica Historia, non de Συγχρονισμῷ eorum, quæ proximis centum annis in orbe Christiano contigerunt, non de aliis ipsius scriptis: quæ omnia adfecta adhuc in scriniis ejus latent. Mitto Angeli Merulæ Tragicam Historiam, quam ipse ex Actis fideliter repræsentavit: sileo Κυνηγετικὰ vel de Venatione; Statum quoque cum Religionis tum Politicæ gubernationis, à nato Christo usque ad annum millesimum & ducentesimum, præterfluere sino: quorum illa pridem publicata in omnium manibus versantur, hæc vero jam sub prælo sunt & Musis benevolentibus lucem propediem videbunt. Unum illud Cosmographicum opus, quod ante biennium in lucem edidit, non possum sine religione præterire. In quo opere, cum generatim ea, quæ ad Mundum & Cœlestem Terrestremque sphæram pertinent: tum vero speciatim ipsam Europam & tres ejus nobilissimas Provincias, illos totius orbis extra omnem controversiam ocellos, in quibus vestigia Latini sermonis, quamvis corrupti, adhuc superant, Hispaniam, dico, Galliam & Italiam tanta diligentia & studio, tamque eleganti ordine persequutus est, ut affirmare ausim Strabonem, Pomponium Melam, Stephanum, Ptolemæum & reliquos majorum Gentium Geographos, si paulisper in vitam redirent, confestim P. Merulæ herbam porrecturos, & se ab ipso victos ultro ac libenter fassuros esse. Optandum quidem erat, ut reliquas Geographiæ partes eadem methodo & industria nobis concinnasset, & forte idipsum quoque præstitisset, nisi partim Syrtes & scopuli, quos in vasto illo & immenso scriptorum pelago nimis quam multos passim latere non ignorabat: partim aliæ occupationes ipsum ab instituto retraxissent. At quia spes illa jam omnino decollavit, præsentia boni consulamus, nec miremur, quod negotiorum multitudine impeditus, aut fati iniquitate interceptus, iis, quæ inchoaverat, extremam manum imponere non potuit. M. Tullium pattem illum Romanæ eloquentiæ negare solitum accepimus, si ætas sibi duplicetur, habiturum se tem-

tempus, quo Lyricorum Poëtarum versus legat; quos tamen verborum fuisse parcissimos, ex iis, quæ adhuc reliqua sunt, fragmentis liquidò apparet. Quid puratis, Auditores, ipsum dicturum fuisse de tot priscis, recentibus, mediæque ætatis auctoribus, quos P. Merula in condendo hoc opere perscrutari & penitus excutere necesse habuit?

Sed dies, opinor, me deficiat, si omnia, quæ quidem de insigni ejus doctrina & scriptis ad publicam utilitatem comparatis afferri poterant, hic pensiculatius vellem persequi. Superest, ut quoque de inculpatis ejus Moribus & reliqua vita ad virtutis normam transacta nonnihil dicamus. Memini ab antiquis prudenter dictum, Magna ingenia plerumque magnis vitiis solere esse obnoxia. Id vero in P. Merula adeo contra se habet, ut dicere audeam, nihil veritus ne cuiquam propterea ludibrium debeam, omnes virtutes, quæ quidem in hominem literatum cadere possunt, in ipsius animo sibi domicilium collocasse. Hic rursus mihi ingens dicendi campus aperitur, sed nolo orationis meæ vela pandere, nec aperto mari invehi, ne dum hominem peregrinum & nunquam mihi antehac visum, saltem fama & scriptis cognitum celebro, falsas ipsi laudes à me affingi forte quis suspicetur. Pauca tantum ex omni numero seligam, & quidem ea, quibus P. Merulam fuisse præditum omnes uno ore fatebuntur, qui vel scripta ejus primoribus digitis attigerint, vel amicam sermonum serram semel atque iterum cum ipso reciprocarint.

Ac primum quidem quanta fuerit ejus modestia, quæ omnium virtutum fulcrum & vinculum merito censetur, abunde testantur præclara ejus monumenta, in quibus illa ita elucet, ut si sententiam de iis meam dicere jubear, adserere non dubitem, ab ipsa Modestia nihil potuisse scribi modestius. Non ille, si quid ab aliis recte dictum aut ingeniose excogitatum, in sua statim ascribebat, & id à se multo ante inventum observatumque superbe clamitabat: non si quid alii rei literariæ opis attulissent, aut furtim carpebat, aut palam delicato fastidio aspernabatur. Nam illorum hominum mores, qui nihil, nisi quod ipsi fecerint, rectum censent, & quoties quenquam vel humanitus errare vel tantum aliam amplecti sententiam viderint, confestim ad maledicta confugiunt, & in viros etiam doctissimos velut è plaustro convitia jaciunt, rati, quantum alienæ famæ detraxerint, tantum sibi nominis accessurum; horum, inquam, mo-

mores ita solebat odisse, ut nemo homo ipsas portas Orci. Per quos profecerat ingenue profitebatur; aliorum scrinia non compilabat, nobilem illam Laurentium legem, qua sancitum erat, *Ne pomum ex alieno legatur in armum*, tam religiose servabat, ut nemo hactenus inventus sit, qui lege Atinia rem furtivam vindicarit. A quibus se ingenio vinci, aut doctrina superari intelligebat, iis ultro palmam concedebat, eos amabat, eos admirabatur. Pares facile ferebat, inferiores etiam sibi æquabat, Tyronum industriæ non invidebat, neque laudis aditu eos prohibere conabatur, sed & ipse se gloriæ seniorum succrevisse meminerat, & ad suam gloriam consurgentes alios lætus aspiciebat.

Jam vero quàm sobrie & continenter vixerit, norunt omnes quibus aliqua tantum notitia cum ipso intercessit. Quod enim tempus alii intempestivis conviviis, alii pilæ, alii tesseris, alii aliis recreationibus dare solent, id ille universum in literarum studio consumebat. Nemo ipsum non dicam vino prolutum, sed ne quidem hilariore Bacchi aura afflatum unquam vidit. Adolescentiam non nisi caste ab ipso traductam testantur cum reliquæ ipsius virtutes, quas mutuo complexu inter se colligatas & arctissimo cognationis nexu revinctas esse inter omnes Philosophos constat: tum vero præclara ejus doctrina, quam nunquam sibi comparasset, si primam illam ætatem voluptatum vinculis constringendam vinciendamque præbuisset. Qui enim in impuræ libidinis cœno volutantur, tantum abest, ut ad solidæ eruditionis culmen ascendere, ut vix ex inscitiæ tenebris pedem movere possint. Postquam vero ad tricennalem illam annorum lineam pervenerat, quam gravissimus auctor Hesiodus ad conjugii cursum aperit & demittit, cœlibatum, in quo hactenus egerat, aversatus, vitæ genus coërcendis vagis cupiditatibus divinitus repertum suscepit. Erat tum in magna apud Batavos auctoritate Bartholomæus Buys Gryphius, vir doctus & multarum linguarum cognitione longoque rerum usu præditus. Nam & apud Alphonsum II. Ferrariæ Ducem prudentissimum diu vixerat, & plerisque Germaniæ aulis diligenter perlustratis, magnam sibi famam solertiæ compararat. Huc accedebat, quod etiam laudatissimæ memoriæ Johanni Alberto Duci Megapolitano, quo doctiorem & literatorum amantiorem principem Germania tum temporis non habebat, à Secretis & Latinis Epistolis fuerat, ac industriæ suæ in legationibus ad exteras natio-

nationes obeundis tam illustria documenta præbuerat, ut sapientissimo Principi in primis amoribus haberetur. Unde etiam factum, ut dum plures annos in aula ista versatur, aliquot ibi liberos genuerit, ex quibus V. Cl. Johannes Albertus Gryphius, paterni ingenii & virtutis verus heres, cum ob excellentem eruditionem ab hac nostra Academia, in qua literis aliquot annos operam dederat, Jurisconsulti titulo publice ornatus esset, hanc urbem fortunarum suarum sedem ac domicilium elegit, ac in Senatorium ordinem ascitus, Reip. huic florentissimæ non solum primo loco à Secretis est, sed quoque eam juxta cum aliis ea, qua decet, fide administrat. Ceterum de Filio, quem hic præsentem conspicio, verbum amplius non addam, ne in os ipsum laudare, aut palpo percutere videar. Ad Patrem revertor, qui post excessum optimi & immortalitate dignissimi Principis Johannis Alberti, cum patriæ amore ductus in Belgium, quod tunc Pactione Gandavensi à bellicis tumultibus paulisper respiraturum videbatur, rediisset, non multo post in Collegium Ordinum Hollandiæ cooptatus est, tantaque fide & integritate labantis Reipub. commoda quæsivit, ut totius Nobilitatis Belgicæ, ac omnium patriæ studiosorum oculos in se converterit, & mortuus magnum sui desiderium reliquerit. Hujus Barth. Gryphii filiam natu majorem Juditham, omnibus virtutibus, quæ in sexum illum cadunt, decoratam matrimonio sibi P. Merula junxit, cumque ea decem & octo annis sine jurgio, sine offensa ita vixit, ut se illi integrum semper servarit, & quanquam numerosa prole augeretur, sordidas tamen ditescendi artes nunquam exercuerit, sed rei domesticæ curam tanquam se indignam, dilectissimæ conjugi resignarit.

Non enim à voluptatibus solum alieno prorsus animo fuit, sed & ab omni quæstu. Potuisset sane P. Merula honeste magnos pecuniæ acervos congerere, si in forensi stadio diutius versari, clientibus vocem & operam suam commodare, circumfusæ multitudinis comitatu assidue premi, à prima luce ad occasum usque solis in curia hærere, multorum odia experiri, & sæpe aliquid invito animo facere voluisset. Sed quia fieri non posse videbat, ut his rebus occupatus & obsessus animus honestis artibus, quarum latissimi sunt termini, invigilet, maluit amplas illas divitias spernere, & puro animo ac nullo scelere contaminato Musis operari, quasque ipsæ largituræ essent opes boni consu-

lere. Neque enim harum culturam omnino sterilem esse sciebat, sub talibus præsertim Musagetis, qui inter media arma, inter lituos & tubas non solum suavibus illis Musarum tibiis ac fistulis delectantur, sed & literarum cultores ad urgenda hæc studia, has pacis artes, magnis & egregiis præmiis invitant.

Quid nunc de fuga dignitatum, ad quas ipsi, nisi foro se abdicasset, aditus patebat, multa verba faciam? Erat enim ea prudentia, ea dicendi facultate instructus, ut etiam summis dignus esset. Atqui non potuit ejus pectus ullis honorum facibus accendi. Nam etsi quidem ipsi facile erat è Virtutis fano, in quo assidue versatus fuerat, rectà, non per pseudothyrum vel Deæ Pecuniæ posticum in vicinam Honoris ædem se penetrare: consultò tamen abstinuit, & in literaria tranquillitate vitam degere, quam ad summas illas dignitates, quæ plerumque cum magnis periculis & molestiis conjunctæ esse solent, aspirare præoptavit. Nimirum ut iis, qui è Clitorio fonte biberunt, vini tædium oboritur: ita quoque qui semel quietæ hujus vitæ dulcedinem gustarunt, nunquam possunt adduci, ut ad Remp. animum adjiciant, etsi summum in ea fastigium adipisci queant.

Neque tamen illos honores, qui in Musica hac palæstra versantibus tribui solent, superbe aspernatus est. De Professorio munere non dicam, quod olim inter honoris titulos fuisse memoriæ & monumenta veterum diserte testantur: nunc autem ejus dignitas pene interiit, postquam noxia hæc opinio animos plerorumque invasit, indignum esse homine ingenuo & liberaliter educato cultum ingenii profiteri, & honestis artibus docendis linguam elocare, quod tamen arduum esse, & laude dignos, qui faciant, norunt omnes, qui non elephanti corio sunt circumtecti. Historiographi quoque titulum, quo ab illustrissimis Ordinibus affectus fuit, hîc prætereo: est enim supra ejus facta à me mentio. At Bibliothecæ præfecturam à Curatoribus Academiæ ipsi delegatam, non possum hîc silentio involvere. quem ego honorem inter alios, quos gessit, non postremum duco. Nam si ad omnes, quotquot hodie sunt in orbe Christiano, nobiliores Bibliothecas oculos circumferimus, earum custodiam viris præstantissimis & primorum in literis ordinum commissam, reperiemus. Cæsareæ Bibliothecæ custos ac præses jam multos annos fuit vetus ille & verus Musarum sacerdos Hugo Blotius Belga, in cujus fronte & sermone humanitatem, in pecto-

pectore candorem & fidem habitare, fatebuntur mecum omnes, qui hominem doctissimum semel tantum compellarunt. Vaticanæ cura non nisi eruditissimis Cardinalibus demandari solet, & pronuper illi præfuit magnus ille Annalium scriptor Cæsar Baronius, quem non ita pridem vita functum esse fama nobis nunciavit. Galliarum Rex opulentissimæ Bibliothecæ suæ custodiam Isaaco Casaubono credidit, quo doctiorem Sol neminem intuetur, non modo in Gallia, feracissima illa studiorum parente, sed ne vix in universa Europa, & quidem judicio omnium, quos non ignorantia præpedit aut livor. Palatinæ præfectus erat, dum viveret, amor ille & cor Musarum P. Melissus! post cujus obitum serenissimus Elector munus istud imposuit CL. Jano Grutero, homini ut doctissimo, sic ad antiquos scriptores in lucem eruendos instaurandosque, bono publico, tanquam de cœlo delapso. His Augustanam quoque Bibliothecam merito accensemus, cui jam præest David Hœschelius felicissimus ille juventutis informator, & ruentis Græciæ fortissimus tibicen ac destina, quem inter præcipua urbis suæ decora merito augustissima illa Respub. numerat, & κειμήλιον illud πάσης ἀρετῆς illustris Marcus Velserus Aug. Vindel. Duumvir jure magni facit. Non exiguum igitur cumulum amplissimi Academiæ Leidensis Curatores ad reliquos P. Merulæ honores adjecisse existimandi sunt, dum mortuo & è vivis sublato Jano Douza principe juventutis Belgicæ ipsum potissimum locupletissimæ & libris omnium generum refertissimæ bibliothecæ suæ præficiendum judicarunt. Quam provinciam tanta quoque diligentia, tanta sagacitate administravit, ut omnium prope Collegiorum Bibliothecis perlustratis, omnibus Librariorum loculamentis & armariis studiose excussis, quoscunque ibi melioris notæ libros aut manuscriptos aut typis excusos reperiret, eos magnis sumptibus coëmeret, ac in Bibliothecæ sibi creditæ forulos ad publicam omnium utilitatem transferret. Atque hoc studium si alii quoque in libris undique conquirendis continuaverint, brevi futurum est, ut Leidensis illa Bibliotheca, quæ non ita dudum instaurari cœpta, cum antiquissimis quibusque, si non codicum manuscriptorum copia, at typis editorum multitudine & præstantia comparari ac contendi possit.

Multa mihi hoc loco, Auditores, prorsus omittenda sunt, pleraque carptim tantum & breviter attingenda. Nam



Nam si humanitatem ejus, si patientiam, si animi constantiam, si integritatem, candorem, pietatem, & alias virtutes enumerare & persequi velimus, nullum fere finem nostra inveniet oratio. Quis unquam ejus amicitiam per literas expetiit, quem ille non statim albo suorum inscripserit? quis ipsum compellavit, quem non comiter & humanissime exceperit? Amicitiæ cum illo instituendæ non erat opus proxenetam aut pararium aliquem intercedere; omnibus qui Virtuti & Doctrinæ litabant, fores ejus erant apertæ, nulli clausæ. A quibus se diligi intelligebat, iis amorem æquo pondere, sæpe etiam graviore rependebat. Iracundiæ aut odio adeo nullus erat in ejus pectore locus, ut nemo ipsum unquam commotum viderit, nemo asperius aliquod verbum ex ore ipsius audierit. Non vultus ejus, non frons, non color, non sermo, non manus, non gressus unquam perturbati animi signum dederunt. Obtrectatorum sermonibus non magis quam anseris strepitu aut canum latratu movebatur. Ut culicem aut muscam moleste circumstrepentem levi manu & citra iracundiam abigimus: sic ipse perverse judicantium calumnias sine ulla tristitia eludebat. Rectum omnino cursum in hoc undoso vitæ mari tenebat: si fortuna blandiretur, non abripiebatur licentiæ ventis; nec opprimebatur impatientiæ fluctibus, si forte non omnia ex animi sententia succederent. Cum quibus conversabatur, iis remoto omni simulationum velo mentem suam aperiebat, neque aliud clausum in pectore, aliud promptum habebat in lingua, more illorum hominum, qui vultu quidem & sermone probitatem præferunt, sed corde dolum ac fraudes machinantur: quod qui facerent, eos ipse angue & cane pejus aversabatur. Quid multa? nihil omnino ad ostentationem faciebat, sed in pura mente, incontaminata conscientia, usum fructumque recte factorum sibi consistere reputans, hoc unum agebat, huc omnes suas actiones dirigebat, ut, quod de Amphiarao ait Æschylus, revera bonus esset, non tantum bonus videretur.

Possem alias quoque P. Merulæ virtutes, quas ipse cum multijuga eruditione sociavit, hoc loco commemorare: sed ne vestra in audiendo patientia abuti videar, finem dicendi faciam, ubi de ejus pio, &, quod vere dixerim, sancto ex hac vita discessu, quæque hunc antegressa sunt, pauca hic adtexuero: ex quibus ejus constantia & firmitudo mentis in profligando mortis terrore meridiana luce clarior elucebit. Plures

res jam anni sunt, cum P. Merula Hygeiam inimicam primum experiri & gravissimo Lienis affectu laborare cœpit; Qui morbus cum crebrò ipsum interpellaret & vires quas interdum ponebat, & velut dissimulabat, semper resumeret, tandem superiori hiemi adeo ipsum dejecit, ut à fati limine paucos tantum pedes abfuerit. Ex eo tamen emersus, ne vires adhuc infirmas intensioribus studiis rursus debilitaret, affinem suum V. CL. D. Johannem Albertum Gryphium JC. & Reip. hujus Senatorem, quem unice amabat, cuique id jamdudum receperat, incoram salutare & simul has inferioris Saxoniæ urbes perlustrare constituit, si fortean hac vectatione valetudinem suam magis firmare & corroborare posset. Sed ô vanas hominum cogitationes! ô spem fallacem! ô infaustis avibus susceptam profectionem! Vires recollecturum se sperabat P. Merula: at eæ longiore hoc itinere adeo sunt prostratæ, adeo fractæ, ut vix urbem hanc ingressus statim medicum accersere, & ejus opera, in morbo; quem recrudescere senserat, depellendo, uti coactus fuerit. Interim tamen nihil mali suspicans, cum lassitudo in itinere contracta paululum resedisset, non indelectatus consuetudine eorum à quibus quotidie fere salutabatur, à quibus suam amicitiam ambiri, à quibus se coli & amari videbat, si quando adventoria à quoquam exciperetur, illi comiter hilariterque intererat, frontem exporrigebat, ac animum quidem suavissimis sermonibus largiter, corpus autem cibo ac potu parce & continenter pascebat. Nam ut fines à medico præscriptos migraret, & ejus abstinentia, quæ pene in naturam verterat, non sinebat, & nemo nostrûm erat adeo ab omni humanitate aversus, cui id ab ipso postulare in mentem veniret. Cum hic alterum fere mensem substitisset, & jam editum ad suos meditaretur, non facere ullo modo potuit, ut prius hinc discederet, quam quosdam ex iis, quibuscum privatos sæpe sermones de literis habuerat, etiam è publico loco docentes audivisset. Intellecto igitur, collegam nostrum V. C. Ignatium Danielem, JC. quem professionis & studiorum similitudo arctissime ipsi devinxerat, III. Idus Julii ad lectionum suarum telam paulisper interruptam rediturum esse, ipse quoque eodem die, ejus audiendi desiderio incensus in Auditorium venit, & illi nobilem & passim ab omnibus vexatam quæstionem De septuaginta Danielis hebdomadibus auspicanti tam attentas aures accommodavit, ut juveni alicui in ipsa velut studiorum incude posito & formantis

mantis adhuc manum admittenti similior esse videretur, quam viro ad summum eruditionis culmen evecto, & inter Reip. literariæ Senatores haud postremo.

. Hic dies, Auditores, ultimus fuit, quo P. Merula pedem limine extulit. Nam cum ante tempus cœnæ cum affine suo ambulatiunculam aliquam conficeret, & pluviam, qui supra caput stabat, metuens, aliquanto celerius, ut fieri solet, domum sese reciperet, tanta defatigatio, tantus languor ipsum invasit, ut statim animus ipsi præsagiret, corpus suum hic Rostochii in pulverem redactum iri: his enim fere verbis utebatur, cum quomodo se haberet, à quibusdam amicis, qui ea ipsa vespera ad illum inviserant, interrogaretur.

Dolor, quem ex amicissimi capitis amissione percepi, non sinit, ut multis hic commemorem, qua patientia morbi indies magis magisque ingravescentis molestias tolerarit, qua constantia fati imminentis horrorem excusserit, & quam pie se ad vitæ exitum compararit. Sentiebat quidem se paulatim propius ad mortis limen accedere, sed nullam ejus metum, nullam formidinem præferebat. Debilitabatur ipsi vox, intercludebatur anima, spiritus ægre ducebatur, nullum tamen impatientiæ, nullum doloris signum edidit: sed totus ad servatorem Jesum conversus omnesque res humanas oblitus, cum quotidie præsenti mente signum, quo è statione evocaretur, expectasset, tandem septima, postquã ægrotare cœperat, die candidam suam animam ardentissimis precibus & altis suspiriis Deo creatori & auctori commendatam tam placide efflavit, ut non mori, sed in somnum labi videretur. Nam etsi quidem in confinio mortis erat constitutus, mens tamen semper illi manebat integra, non aures hebescebant, non oculi obtenebrabantur. Nihil tam secreto fere dici poterat, quod ille non auribus sublegeret; nemo in cubiculum intrabat, cui non capite adnutans manum porrigeret; omnes qui lectulo adstabamus exacte noscebat. Quid? quod vix tribus horis ante mortem calamum quoque poposcit & ad incomparabilem virum, D. Johannem ad Oldenbanneveldt, Senatus Hollandici, Principem, cujus ille prudentiam in gravissimis Reip. negotiis dextre expediendis, humanitatem in Musarum cultoribus, animi magnitudinem in laboribus pro communi salute obeundis semper in ore habebat, quoties de Belgicæ statu sermo

ipsi

ipsi cum amicis intercederet. ad hunc igitur quem vivus semper magni fecit, jam morti proximus scripsit, & uxorem ac sex liberos superstites illius patrocinio commendavit.

Hic fuit P. Merulæ exitus, felix quidem & prosper illi, qui ex hoc undoso mundi hujus æquore in optatum æternæ salutis & tranquillitatis portum invectus est: perquam autem acerbus & luctuosus cum dilectissimæ ejus uxori, liberis, & iis qui sanguine ipsi aut affinitate sunt juncti: tum vero universæ Reip. literariæ, quam hujus viri morte, ubi increbuerit, tantopere consternatum iri certo scio, ut nemo futurus sit, nisi è saxo sculptus, aut è robore dolatus, qui non ipsius tam celeri tam inopinato occasu toto animo commoveatur. O Lugdunum, ocelle Batavorum, Athenæ Belgarum, flos urbium, quid tibi nunc animi fore putem, cum primum hic tristis nuncius ad aures tuas advolabit? Quos gemitus, quæ suspiria tunc edes! quam crebra genarum laceratione, quam frequenti pectoris & capitis percussione dolorem tuum testabere! nec immerito: nam qui te præclaris ingenii monumentis illustravit, naturæ lege functus est. Ex cujus sacro pectore tua juventus hiante ore bibere solebat reconditæ doctrinæ fontes, is interiit. Qui Batavorum gloriam literarum beneficio ab oblivionis interitu vindicare exorsus est, is jam in alieno solo, procul patria, sepultus jacet. Obmutuit Suada tua, exaruit lacteus ille eruditionis fons, corruit columen antiquitatis, lumen Belgicæ extinctum est. Fuit, fuit ille omnis historiæ promus ac condus, fuit, nec est quod ejus ad te reditum posthac expectes.

Sed quid ego dolori indulgeo? Mortuus quidem est P. *Merula*, at ejus fama perpetuo vivet, ejus gloriam nulla unquam vetustas abolebit. Dum hunc terrarum globum, quem Merula stylo suo descripsit, Sol è cœlo radiis suis illustrabit, dum stabit hæc immensa mundi compago, omnis litteratorum natio ipsius nomen pleno ore prædicabit.

D I X I.

EPITAPHIUM.

TIBI.
PAULE. MERULA.
QVI.
DUM. DEUS. TE. NOBIS. SUPERSTITEM.
VOLEBAT.

OB.

OB. SINGULAREM. TUAM. ERUDITIONEM.
MAGNAQVE. ET. MULTA. IN. OMNES. BENEFICIA.
DOCTISSIMORUM. AUDIISTI. HUMANISSIMUS.
HUMANISSIMORUM. DOCTISSIMUS.
HOC. QVALECUNQVE. MONUMENTUM.
MOERENS. BENE. MERITO.
F. P. Q.
P. D. I. F. EX. A. D. VIII. KAL. AUG.
cIↃ IↃc XIII.
AVE. ET. SALVE. VIR. PAUCIS. COMPARANDE.
S. T. T. L.

EPIGRAMMA.

Hospes Batavi Merulæ vultum vides,
Qui sceptra Leidæ sacra Musarum gerit;
Orbem dat orbi, restat externis nihil:
Terram Batavi fabricant; subdunt mare.

DAN. HEINSIUS.

SCRIPTA.

Praxis Civilis Provincialis Curiæ apud Batavos, lingua Vernacula: *Lugd. Bat.* 1592. in 4. *Gravenhage* 1619. in 4.

Commentarius in Ennii fragmenta: *ibid.* 1595. in 4.

Vita Francisci Junii: *ibid.* 1595. *Genevæ* 1602. in 4.

Fidelis narratio rerum adversus Angelum Merulam tragicè gestarum ab Inquisitoribus: *ibid.* 1604. in 4.

Cosmographiæ generalis libri tres, specialis libri quatuor: *Amsterod.* 1605. in 4. *Antverp.* 1605. 1621. in fol. 1636. in 12.

Vita Erasmi & Epistolæ aliquot nondum editæ: *Lugd. Bat.* 1607. in 4.

Eutropius:

Urbis Romæ delineatio & methodica ex variis autoribus descriptio: *Lugd. Bat.* 1599.

Historia Ecclesiastica ac Politica cIↃ CC. annorum, quam ejus Filius, Guil. Merula ad sua usque tempora cIↃ IↃ XIV. perduxit: *ibid.* 1615.

Willeramus Abbas in Cantica Canticorum cum commentariis:

Dia-

Diatriba de Statu Reipublicæ Batavicæ cum libello de Republ. atque Urbibus Hollandiæ, edente Joachimo Morsio. *Lugd. Batav.* 1618. in 4.
De Maribus Dissertatio. *Lugd. Batav.* 1633. in 8.
Italia, Gallia & Hispania; *Amsterod.* 1636. in 12.
De Romanorum Comitiis & Præmiis, quæ militiam sequebantur. Opuscula Posthuma, Joh. Boschio edente; *Lugd. Bat.* 1675. in 12.
Placaten ende Ordonnantien van de Wildernissen ende Jachtbedriif: *Gravenhage* 1605. in fol.
Tijæ Tresoor tvvede deel in fol.
Maniere van Procederen: *Gravenh.* 1631. in 4.

ELOGIUM
UBBONIS EMMII,
Historiarum & Græcæ Linguæ in Academia Groningensi Professoris primi;

Id est,

De Ortu, totius Vitæ Curriculo, Scriptis & Morte ejusdem Narratio brevis,

Ab Amico conjunctissimo contexta.

Clarorum virorum facta moresque literis mandare uti antiquitùs, sic & nostris temporibus usitatum, non solum ad gratam eorumdem recolendam memoriam, sed etiam ad studium similium virtutum in animis aliorum excitandum. Habet enim acres in animis excelsis ad virtutem stimulos eorum, qui cum laude vixerunt, per exemplum, quasi per speculum vivum atque ardens, propositum accensa æmulatio. Mihi vero UBBONIS EMMII ortum totiusque vitæ curriculum, atque ex his terris excessum memorabilem pro conjunctissimæ necessitudinis nostræ jure narraturo verbis utendum reor nec fucatis nec multis; cum & ea sint viri hujus in Ecclesiam, Remp, Scholas merita ut

 ora-

orationis lenocinium minimè affectent, & ipsus eruditis suis scriptis aliorum famam cum sua jamdudum longè lateque diffuderit, atque adeo ad seros usque posteros transmiserit.

Natus est igitur EMMIUS anno æræ Christianæ vulgaris M D XLVII, pridie Nicolai, id est, ipsis Nonis Decembris, in vico Frisiæ Orientalis haud ignobili, cui nomen GRETHA; ubi arx egregii operis præfecturæ totius caput, sedes & antiquissima hæreditas Sircseniæ domus, quæ Comites edidit, tum portus commodissimus, & huic subserviens rara soli felicitas. *Hoc mihi solum natale est* (inquit ὁ μακαρίτης) *in quo & lucem primùm vidi & educatus sum: ubi & pater meus & avus paternus, & proavus, & avia quoque paterna, & aviæ pater, & patris mei avunculus eodem mecum nomine & cognomine dictus, nati fuere omnes inter suos honorati, & possessiones soli ibidem tenentes.* Pater ei fuit EMMO Diken, Ecclesiæ Jesu Christi ibidem per annos complures fidus minister, vir & eruditione & vitâ Theologus, M. Lutheri & Phil. Melanchthonis quondam discipulus, ob doctrinam, pietatem singularem morumque modestiam carus imprimis ac familiaris Johanni à Lasco Polono, viro maximo, omnium Ecclesiarum toto agro isto sparsarum tum temporis Ephoro. Avum paternum habuit Dikonem Mettium, Remeti F. agricolam, fortunâ ut in illo ordine satis lautâ, curando aquarum claustro apud Grethanos præfectum, annis & authoritate gravem, qui cùm bello Geldrico arce istius loci, ad quam occupandam Geldri properabant, fraude infidi præfecti Alberti Bacomorini excedere & claustro providere, ne quid id detrimenti caperet, jussus esset, re probe confecta, cum jam pedem referre cœpisset, ad genua usque toto corpore armis fulgens, ab hostibus circumfusus, & nequicquam fortiter defendere se conatus, in manus eorum pervenit, è quibus non parvo auri pondere pro modo rerum suarum redimere se coactus fuit. Cui si in arce remanere licuisset, haud leve momentum, ut tum quidem vulgò credebatur, ob gratiam & authoritatem, quam inter suos habebat, tardandis Alberti consiliis, qui arcem hostibus pessimâ fide tradidit, adferre potuisset. Patris avunculus UBBO EMMIUS, J.U.D. huic nostro nominis author, juri dicundo in arce Orthanâ præfuit, cum ad eam Henricus Senior Brunsuicensis casu planè memorabili, tam illustris opibus & gloriâ princeps, inglorià & imbelli manu ado-

In descript. Chorogr. Frис. Orient. pag. 48.

Hist. lib. 57. p. 887. Anno 1534.

Hist. lib. 45. p. 710. Anno 1514.

adolescentis XVI. annorum occubuit. Nec minus honoratum ei genus maternum. Mater enim Elisa patrem habuit Egberdum Tjardam civitatis Nordanæ per annos triginta continuos consulem, qui mores hominum multorum norat & urbes. *Hinc mihi maternum genus*)ait Emmius de Nordâ locutus) *hic avus, proavi, abavique sedes habuêre.* Patriam & originem paulò accuratius in historiâ descriptâ, aliaque sua posteris reliquit, ob sinistrum quorundam affectum, quibus quasi sudes in oculis erat ingenua viri in dicendo scribendoque libertas; præsertim quoties de jure libertateque Frisiorum mota esset controversia. Coëgit quoque hoc facere eum adversariorum iniquitas, qui cum fabulas suas ab eo temni ac refelli indignis ferrent animis, eum conviciis conspuere & boni nominis ejus famam lacerare voluerunt; eum μισοφρίσονα esse, hostem patriæ, ignarum ignotumque sibi, & cujus conditionis sit clamitantes. Quibus ille responsum hoc debuit; *Me quod attinet, sum origine & patriâ Frisius non minus quàm hi, qui me flagellant, si modò hujusmodi hi sunt, honestâ domo utrâque natus, honestâ quoque in re, in literis voluntate ac sumptu meorum, sine onere aliorum, honestè domi forisque educatus, idque cum diminutione hæreditatis meæ. Adversariis meis affectu in communem patriam & gentem nostram non concedo; sed affectum veritati in historiâ vim facere non patior, intraque terminos me contineo. Verum tradere tuerique ante omnia laboro: & hunc laborem difficilem Frisiis meis impendo gratis, solo patriæ ac veritatis studio ductus, & hoc inter negotia assidua cum valetudinis jacturâ præsto.*

In descr. Fris. orient. p. 23.

In descr. Fris. orient. pag. 51. & alib. passim.

de Orig. & antiqu. Fris. p. 3. & 4.

In puero statim indolis & ingenii præstantia eluxit; ideoque piâ ac fidâ parentum curâ domi maturè Dei timore, bonis moribus, literarum primis initiis imbutus, anno ætatis nono à patre Emdam ad scholam literariam deductus fuit, hæsitque in ea annos ferè IX. Deposito illic primo studiorum tyrocinio, cum flueret annus M. D. LXV. missus est Bremam, ob famam ac celebritatem magni illius Grammatici & Scholæ Rectoris Joannis Molani, è cujus exactâ disciplinâ multi præclari & eximiè docti viri prodiêre. Inde in patriam reversus, non mox properavit ad Academias more juvenum nostri ævi, in quos quadrat vetus hoc dictum, Canis festinans cœcos parit catulos, sed aliquandiu in Scholâ Nordanâ renascenti substitit, præceptoribus usus Joanne Floriano, & Doct. Nicolao Saschero, viris do-

ctissimis. Ibi tum ille & exercendi stylum scribendique rationem suo exemplo suscitare, & studio industriaque singulari cum sibi favorem caritatemque superiorum conciliare, tum animos æqualium ad bonas literas majore assiduitate & diligentia colendas impellere; idque non sine emolumento studiorum suorum insigni. Quemadmodum enim purpurarii pannos suos ahenis decoquunt ac subigunt, ut purpuræ recipiendæ reddantur idonei, facturi alioqui coloris præstantissimi & laboris jacturam: ita adolescentium ingenia in classibus sub disciplina subigenda esse ipso rerum usu edocti non sine ratione sapientes semper judicarunt. Nisi enim ritè præparata fuerint, & solidioris eruditionis fundamenta rectè jecerint, antequam ad Academias ablegantur, quidquid superstruxerint, corruet, certè nunquam in viros magnos evadent. Quod cum probè intelligeret vir prudentissimus pater Emmii, filium suum Academias adire noluit, antequam ingressus esset annum vitæ XXIII. per annos XIV. in Scholis optimè exercitatus ac confirmatus, cum jam posset semet regere contra insidiosas seducentium illecebras egregiè firmus, & ea solidioris doctrinæ fundamenta jecisset, ut uberioris profectus gratiâ laudatissimas Academias cum fructu adire posse judicaretur. Anno igitur Christi M D LXX. è patriâ ad pleniorem ingenii cultum & quasi mercatum doctrinæ uberiorem rectâ Rostochium perrexit. Erat verò tum temporis præ cæteris Germaniæ Academiis celebris Rostochiana ob clarissimorum in eâ docentium virorum copiam, inter quos eminebant duo viri magni, David Chytræus, & Henricus Brucæus, ille Theologus & Historicus celeberrimus, hic verò Medicus ac Mathematicus præstantissimus. Utrumque docentem assiduè audiebat, utrumque crebrò dein in ore habebat; priorem ab insigni in dicendo facundiâ, & multiplici historiarum cognitione, alterum à docendi dexteritate jocis facetiisque conditâ commendans. Heic dum se penitus sacris musarum studiis dedit, in morbum incidit gravissimum ac propemodum lethalem, quo corpusculum fractis viribus contabescebat, medicis morbi speciem non dignoscentibus, qui intus diu latitans tandem se prodidit externis indiciis. Morbus erat Frisiis & accolis maris Balthici ἐπιχώριος, vulgo dictus Schorbutus, reddebatque ejus curationem difficiliorem tempus brumale, in quod fortè inciderat, cum nulla suppeteret recentium herbarum copia & æger ad ver usque superesse

esse non posset. Restituit tamen eum sanitati pristinæ, per Dei gratiam, potus lactis caprilli, in quo decoctum erat semen sinapios & raphanus major. Hoc morbo periculoso defunctus DEO servatori suo hanc Oden Ἐπαινετικὴν cecinit:

Conditor humanæ gentis, Servator & idem,
O mihi præsidium dulce decusque DEUS:
Quis tua centenis miracula pangere linguis?
Quis benefacta suâ pendere mente queat?
Tu facis ut valeant, modo quæ languore jacebant
Obruta & exanimi membra soluta lue.
Quodque videbatur mediâ jam morte teneri,
Ecce nova corpus mobilitate viget.
Nam tua me in pœnam justam Lex justa trahebat,
Quam vitium & lapsus transiliêre mei.
Iamque suis ultrix aderat mors cincta flagellis,
Intentans Stygios effera sæpe metus.
Ast tua me mediis subreptum faucibus Orci
Dextra tulit, tuto restituitque loco.
In te sperabam, teque in mea vota vocabam
Assiduò, cum me merserat ista lues.
Nunc agiles artus igitur saliuntque valentque,
Qua prius exanimes penè fuêre malis.
Nec secus exultant, quàm quando æstate serenâ
Hinnulus ad liquidas ludere cœpit aquas.
Aut cum densa procax inter virgulta capella,
Aut tener in plenis exsilit agnus agris.
Ergò tuum nomen semper, tua facta canentur,
Nec tua laus unquam cedet ab ore meo.
Tu spes una meis rebus, tuque anchora fesso
Solus es, & nostra jura salutis habes.
Solvant justa DEO, reddant præconia Christo,
Quotquot ab illius nomine nomen habent.
Ille (novum dictu!) funestis excita lectis
Cœlesti subitò corpora sanat ope.
Salve sola mea reparatæ causa salutis,
Salve iterum vita spesque salusque mea.

Jactis sic satis fideliter Rostochii præcipuis studiorum fundamentis de adeundâ Galliâ cogitare cœpit; sed ecce tristissimus nuncius de morte patris eum in patriam ad matrem

viduam revocavit, labente jam anno tertio, ex quo è patria discesserat. Domum ad suos reversus fratres quatuor ac sororem mœrentes, ac inprimis mœstissimam matrem, cui unice carus erat, multis pietatis officiis non parum refocillavit. Sed, quæ est rerum humanarum sors, hunc mœroris æstum vix ac ne vix quidem in animo matris nonnihil residentem casus excepit alius vere infelix, qui eandem & vehementer, & diu afflixit. Is sic habuit. Miserat pia mater ad sororem Henricam nuptam Buttoni Hinckenæ consuli Nordano tum ægrotantem, filiam suam unicam Thelicam, puellam annos natam XIX. corporis & animi dotibus eximiam, quæ domum rediturìens ac è portu Nordano solvens, navigio per navicularii incuriam everso, aquis suffocata est. Quam ad littus natantem cum forte fœmina insulsa conspectam agnovisset, inconsiderate accurrens ad ædes viduæ, clamore sublato, ac si rem lætam nuntiaret, infausto hoc ac improvido nuntio matrem sedentem cum filiis in prandio ad mensam ita perculit, ut ipsa animi deliquium passa concideret. Hinc dolor ille prior ex obitu mariti recruduit, & luctus ingens casum hunc secutus Emmium apud matrem, qua erat in eam pietate, in tertium usque annum retinuit. Quo dolore multa filii hujus consolatione & temporis longinquitate non nihil mitigato lenitoque, idem denuo è patria migravit Genevam Allobrogum petens, cum jam ætatis annum ageret XXVIII. quæ ætas comparandæ per peregrinationes prudentiæ, præterito juventutis lubrico, omnium aptissima est. Vidit in itinere non solum ea, quæ sponte sua se oculis ingerunt, Academias & urbes celeberrimas, Coloniam Agrippinam, Moguntiam, Wormaciam, Spiram Nemetum, Heidelbergam, Tubingam, Argentoratum, Basileam, Tigurum, Bernam, Lausannam, sed & viros in iis doctrina & virtute claros salutavit, hominum ingenia, mores, instituta summa cum cura observavit didicitque, eaque ratione penum scientiæ sibi fecit instructiorem. Genevam vero attraxit eum non solum studium addiscendæ linguæ Gallicæ, sed imprimis studium Veri in religione; & inclytum nomen Theodori Bezæ, à cujus ore totum biennium pependit auditor assiduus. Audivit quoque L. Danæum, Fr. Portum aliosque. & Simoni Guolattio viro optimo & clarissimo gratus fuit, qui etiam ad extremos vitæ annos ei fuit amicus, & singularis benevolentiæ plenas literas frequenter misit. Habuit ibidem compares & studiorum so-

tios ac sibi familiares Hermannum Vultejum, Sibrandum Lubbertum, Joannem Witten, Eberhardum Altingium, Oniam Geldorpium Henrici F. quibus literæ & virtus postea clarum nomen dedere. Viso etiam Lugduno, Romanorum quondam colonia à Plancio deducta, in patriam denuo reversus, cum in reditu Basileæ aliquamdiu substitisset, ubi tum clarissimi viri docebant, propinquorum & amicorum gratulationibus exceptus, matrem amplexu sui tantopere commovit, ut præ gaudio prorumpentibus lachrymis sinum ipsa suum perfuderit. Nec diu nomen viri hujus latere in patria potuit, nec diu quoque eidem otiari libuit, quod multi facere solent; sed mox Deo vocanti obsecutus, bono publico inservire, qui studiorum finis esse debet, voluit. Proponebantur id temporis ei duæ potissimum conditiones perhonestæ, Ecclesiastica una, altera Scholastica. A priore, ad quam animus ferebat, retraxit eum verecunda modestia, quæ hæreditaria adeo naturæ ejus insita fuit, ut nimis pene modeste de se sentiens in hominum cœtu fari vix auderet. Et hæc ad extremum vitæ terminum fere ipsi adhæsit; fuitque hoc ei commune cum viris quibusdam vere eximiis, de quibus idem dici potest, quod D. Hieronymus de suo Nepotiano scribit: *Eruditionis gloriam famamque declinando, eruditissimus habebatur.* Scilicet ut recta ingenia debilitat verecundia, ita prava confirmat audacia. Elegit igitur vitæ genus Scholasticum, molestum ac laboriosum, oblatamque Scholæ apud NORDANOS Recturam anno M D LXXIX. sub festum Paschatos iniens, juventutem bonas artes & pietatem docere, seminariumq; Ecclesiæ & Reip. fideliter exercere occœpit. Biennio in hoc stadio prope exacto, cum jam difficilia ea, quæ in initiis omnium fere bonarum rerum occurrere solent, superasset, de matrimonio cogitans, non fuit in amoribus nimium festinus aut fervens, sed actiones suas omnes ratione regebat. Erat apud Nordanos puella bono genere nata, THEDA, Tiabberii F. cum hac conjugii sponsionem initiit pridie natalis Christi anni M D LXXX. nuptiasque celebravit mense Aprili anni sequentis. Verum ut moderatior fuit amor ante nuptias, ita ferventius exarsit in matrimonio. Theda enim ista vere tædas in pectore mariti adeo luculentas flammasq; tenaces accendit, ut ad extremum vitæ terminum in animo ejus earum recordatio hæserit. Sed ut nihil stabile est in rebus hominũ, sic & in hoc con-

jugio extrema gaudii luctus occupavit. Nam & funus fratris, funusque matris Emmii non longè secuta sunt, & quod tam valido mutui castique amoris nexu vinctum erat matrimonium inter novos conjuges mors acerba citò diremit. De eo sic ait ipse: *Anno Christi M D LXXXIII. die XVI. Octobris post tertiam pomeridianam Theda conjux mea, vera amoris inter nos mutui tæda, affectus & morum conjugalium perfectum exemplar vitæque socia, prorsus ad genium meum à naturâ facta, optima, jucundissima, officiosissima, incomparabilis, Nordæ, ubi tum pestis populariter grassabatur, secundò parturiens, in labore partus unà cum fœtu suffocata, incredibili meo cum dolore inter manus & lachrymas suarum exspiravit, cum vixisset in hoc seculo annos XXIIII. menses IV. ferè, mecumque in conjugio ἀμέμπτως egisset annos duos, menses VII. dies VII. Elata est die XVIII. Octobris, & in ambitu cellæ interioris templi Nordani in sepulchris majorum condita. Ejus memoriæ monumentum æreum è regione sepulchri columnæ à me affixum, cui præter reliquum præcipuum ἐπιτάφιον, hi versus quoque in marginibus impressi sunt:*

Hic sita perpetuis videor cessisse tenebris
THEDA, sed æterno lumine viva fruor.
Quæque humana semel putor hæc liquisse, mariti
Hic tamen in mœsto pectore vivo mei.

Aliud Ἐπικήδιον.

Lux mihi tu, tu sola calor mea THEDA fuisti,
Dum viguit vitæ blandula flamma tuæ.
Nunc tua cum vitæ flamma est exstincta, repentè
Occidit una animi luxque calorque mei,
Inque vicem me frigus habet, tristesque tenebræ,
Curque premunt pulso nubila mœsta die;
Interiit mentisque vigor, corduque voluptas,
Factaque sunt animo dulcia amara meo.

Scripsit hæc inter alia multa in recentis doloris æstu. Superstes ei ex hac conjuge fuit Emmo filius primogenitus, qui anno ætatis XIX obiit Groningæ, patrique ob placidos mores, & optimam fructus ingenii spem magnum sui desiderium cum dolore reliquit. Mansit vero in hoc toro viduo verè subtristis viduus in annum usque tertium. Tum hor-

hortatu & amicorum & propinquorum frequenti impulsus ad alterum conjugium transiit, ducta in uxorem MARGARETHA à BERGEN civis Emdani viri optimi filiâ, virgine annos natâ XIX. Nuptiis finitis cum novâ nuptâ ad intermissa studia & labores solitos, quos non perire sibi, sed per DEI benedictionem fructus ferre valde uberes cum voluptate videbat, Nordam lætus rediit. Sed tantam Nordanæ Scholæ felicitatẽ livor & violentia heterodoxorum tandem turbavit. Cum enim Scholam istam frequentiâ discipulorum augeri cernerent Zelotæ quidam Lutherano nomine se jactantes, nec ullâ ratione adduci posset Emmius, ut sententiam de religione mutaret, metuentes ne clarissima lux hæc ipsorum officeret luminibus, id effectum dedêre, ut ipsi denuntiaretur, deinceps ut à munere suo abstineret ob confessionem doctrinæ. Accidit hoc anno M D LXXVII. mense Septembri. Mansit tamen per hyemem Nordæ in ædibus solitis, sed sine functione, sine stipendio; fortique animo hoc suum damnum tulit. Inde LERAM in eâdem patriâ à populo istius loci, volente id Comite Johanne, ad eandem functionem vocatus, id brevi singulari in docendo industria & dexteritate cum collegis, assistente divina gratia, assecutus est, ut Schola literaria illic non infrequens nec incelebris esset, cæteras certè omnes istius regionis inter Amasum & Visurgim superans. Nordanæ vero, postquam in ea confessioni veritatis in doctrina sacra locus amplius non esset, & Ecclesia Lutherano nomine gaudentibus cessit, fortuna paulatim decrevit, nec reduci postea potuit; quamvis omnia in eum finem, tentata sint, & luci restituendæ faculæ accensæ. Apud Leranos dum vivit, & quam nactus erat Spartam exornat egregie, facile amorem ac favorem multorum, quibus innotuit, cum in patria, tum extra eam, in se vertit. Sed non sine numine cœlesti, præter cæteras animi dotes insignes, imprimis studium Veri, ob quod loco priore cedere coactus fuerat, familiaritatem ei ac amicitiam non vulgarem multis cum Civibus Groninganis, qui ob similem veritatis professionem è patria extorres Leræ sedes suas fixerant, conciliavit. Inter hos primi erant tres viri generis nobilitate, virtute & eruditione eximii, Regnerus Alberda consularis, in exilio vita functus, & duo natura & amore vere fratres, Fredericus & Abel Coenderi. Hac quippe ratione ei via ad hanc urbem nostram quasi strata fuit, ut postea eventus docuit. Reducta namque ad Societatem

Ordinum fœderatorum Belgii GRONINGA, cum passim exules in patriam redituri erent, Ampliss. Senatus inclyta hujus urbis ad Scholæ suæ clarissimæ; sed per belli tumultu collapsæ instaurationem ac gubernationem, statim consentiente omnium voluntate, UBBONEM EMMIUM vocavit, ac Rectorem toti literariæ Reipublicæ docentiumque Ephorum præsidere voluit, facta ei potestate una cum Scholarchis collegas pro arbitrio suo arrogandi & abrogandi. Eò igitur tanquam ad majorem boni publici proventum concedens anno Christi M D XCIV. natus annos XLVII. collegis sibi adscitis viris piis & eruditis, quantum cujusque locus ac conditio requirebat. Scholæ resurgenti ordinem convenientem dedit, ejusdemque synopsin legesque typis excusas publicavit. In hoc munere, cum undequaque discentium ad hanc Scholam concursus fieret magnus, collegarum quoque numerus auctus, & par studium ei responderet, magno cum honore & fructu per annos XX. fere, hoc est, ad Academiæ nostræ initia heic perstitit, vereque ostendit quis quantusque vir esset; ingenio & eruditione multiplici excellens, labore etiam inter occupationes & varias & assiduas indefessus, Orthodoxæ religionis & adstrictioris disciplinæ amantissimus, pietate in DEUM nulli secundus, & quæ ab ea non deflectit, prudentia multum pollens. Prudentiam dico, quæ à pietate non recedit. Aversabatur enim eorum hominum pravam indolem, quibus pietas ludus est, ac vitiorum velamentum, quibus commodum Reipublicæ commodo Ecclesiæ, prudentia politica sincera pietate politica potior est. Ingenium ei sincerum & candidum, atque ideo subdolos & aliud præ se ferentes dicentesque, aliud pectore clausum habentes, detestabatur. Candore vero sic utebatur, ut non minus cautum quam candidum se esse reipsa ostenderet, fidens quidem, sed cui videns. Secreta ac momentosa non facile cuiquam revelabat. Judicium, quibuscumque de rebus consuleretur, tam purum & exactum, ut rarissime aberrasse meminerim, qui consilium ipsius esset secutus. Collegarum suorum amans, & concordiæ cum iis servandæ perquam studiosus, ut in omnes fere, sic in eos præcipue æquus. Gerardo Buningio Scholæ Conrectori ob ejusce pietatem, doctrinam & singularem industriam plurimum tribuebat. Disciplinæ suæ alumnos; si officium, si diligentiam, si solertiam probarent, amore & favore singulari complectebatur, eorumque commoda

moda quacunque poterat ratione promovebat. Vita erat gravis, adstricti rectique moris, frugi sobria, casta, ab omni levitate & lascivia abhorrens. Nec tamen natura eum fecerat aut tristem aut horridum, quamvis paucissimi esset somni, laboris vero multiplicis; sed erat in eo comitas & affabilitas prorsus suavis. Patriam non minus, quam fortunas suas privatas caram habebat; ideoque ut rebus ejus adversis vehementer dolebat, sic secundis ex animo lætabatur. Laborantem ac afflictam consilio atque opera sua, præsertim ab Ordinib. ejusdem ad hoc rogatus & amicissime invitatus, juvare ac sublevare studebat quam maxime. Rem literariam quæstui habere turpe ducebat, sua sorte contentus procul omni studio pecuniæ; ambitione, vanitate, invidia vitam agebat. Sibilos & clamores calumniatorum contemnens, & adversus quorundam minas imperterritus, ab optimo proposito se abduci, aut in recto cursu turbari non sinebat, optimâ se optimæ voluntatis conscientia cum bonorū approbatione conjuncta sustentans. In communi periculo cum fere trepidarent alii, etiam post acceptam aliquam cladem, animo erat nequaquam abjecto; & parum Reipub. ab hoste externo metuebat, ad interna vero ejus mala quoties oculos vertebat, ex imo pectore ingemiscebat. Nihil temere agere, cogitandi & omnia diligentissime expendendi in eo cura erat summa. Itaque in sua inquirere ipse semper, & retexendo meliora efficere multum laborabat. Temporis rei scilicet prætiosissimæ, accuratissimam rationem semper habebat, ne minimam quidem ejus particulam sine ducta linea transmittebat. Inter docendum utebatur voce articulata, clara canora. Has animi dotes, hos mores, hæc studia viri eximii, postquam & exteris innotuere, mirum quam multorum quoque benevolentia fuerit subsecuta. Certe præter alios, Dordrechtani, Leoardienses his excitati, ad similem apud se functionem, Emdani vero ad aliud vitæ genus capessendum, amplissimis propositis præmiis eum invitarunt. Sed ille, gratiis quibus debebat actis, non suum lucellum, sed Reip. literariæ commodum semper quærens, Groningæ, quoad DEO visum, manere, quam alio transferri maluit, & quod aliis in simili casu occinere solebat, ipse ad usum quoque suum revocavit dictum hoc vulgare;

Si qua sede sedes, quæ sit tibi commoda sedes,
Ista sede sede, nec ab illa sede recede.

Vi-

Videbat quippe Groningam, cujus curia totius Frisiæ commune velut tablinum videri potest, & studiis suis historicis, & Musis sedem esse longe commodissimam: videbat quoque labores suos ibidem nec ingratos nec infrugiferos esse. Ubi rerum testimonia adsunt, non opus esse verbis sapientes dixere. Qui Frisiæ hujus nostræ res novit, ignorare non potest, quam plurimos viros pietate, virtute ac doctrina excellentes, ex Schola Ubbonis Emmii prodiisse, Theologos, Jurisconsultos, Politicos. Vixere jam multi, vivunt plures hodie, qui sub disciplina hujus adoleverunt, & non in hac solum, sed & in vicinis Frisiæ partibus, & extra eas alibi, Ecclesiæ Reip. Scholisque vel dudum præstitere, vel adhuc præstant operam & utilissimam & felicissimam. Consenuit igitur in hac palæstra, atque adeo annos XXXV (qui fuit flos ætatis) in pulvere isto & alibi & hic trivit, vir, si recte censuit magnus ille Thuanus, meliore otio dignus. Dignum quoque eodem censuere illustres hujus provinciæ Ordines, cum, egregiis ejusce virtutibus abunde compertis, eum non solum in illustris hujus Academiæ initiis ad Historiarum & Græcæ linguæ professionem, sed etiam ad primam illius Recturam capessendam provexere. Quid vero in utraque hac provincia ille? maxima sane cum laude utramque administravit. Latinitate namque donatis Academiæ hujus legibus & præclaris & æquissimis, ut literatam juventutem justitia, æquitate ac prudentia sua singulari in officio continuit; sic aures etiam animosque eorum eruditissimis suis lectionibus, magnaque diligentia imbuit atque instruxit; donec grandior ætas per invaletudinem laterumque imbecillitatem eum à publico revocavit. Hanc tamen jacturam alio modo cumulatissimè resarcivit. Nam & lectionum intermissarum dispendium privatis suis & indefessis operibus, de quibus mox dicemus, ita amplè redemit, ut gratam æternamque nominis sui memoriam compararit: & suam à Senatu Academico absentiam prudentissimis ac saluberrimis consiliis in rebus gravioribus benignè rependit, suosque collegas aliosque invisentes sanis mellitisque suis sermonibus ita detinuit, ut doctiores lætioresque sæpenumero dimiserit. Et quia cum senio ut prudentia, sic & authoritas ejus crescebat, quum in consiliis dandis plurimum polleret, in maximis tam publicis quam privatorum negotiis frequentissimè consulebatur, consultoresque consilio juvabat prudenti, rebus ipsorum convenienti. Unde factum,

ut

it maximam apud suos sibi pararit autoritatem, cum inter :os haberetur quasi commune in rebus dubiis oraculum. Ad amicos literas scribebat familiares frequentissime, vix ulus ut dies ei abiret, quo non hoc officii genere defungeretur, & sæpe complures eodē die exarabat ad diversos, perinde ac si hoc ageret tantum, & à negotiis cæteris feriaretur. Amicitias vero colebat constantissime domi forisque. Ex iis, quos Groningæ arctius complectebatur, neminem extra domum suam amabat magis & observantia colebat, quam Fridericum & Abelem Coenderos fratres, viros genere nobilissimos, & virtute ac dignitate in hac Rep. maximos; Eggericum Eggæum Phœbens Hovetmannum & Scholarcham rara pietate, candore & integritate vitæ insignem; & clarissimos viros rerumque Belgicarum peritissimos, Eberhardum Reinanum Ill. Comiti Guilhelmo Ludovico à Consiliis, & Pancratium Castricomium civitatis Syndicum. Cum his omnia communia habere, summa familiaritate conjungi, unum fere & idem velle. Emdæ intime amabat Mensonem Altingium, Theologum summum, atque omnium optime de Ecclesia Emdana meritum. Quocum Genevâ domum reversus statim initia contraxit amicitiæ, quæ brevi tempore, cum genii inter se congruerent, in tantum adolevit, ut nihil illis toto reliquo tempore esset conjunctius, adeo quidem, ut nulla vel minima nubecula intervenerit unquam, quæ facem amoris mutui inter eos vel ad brevissimum horæ momentum redderet obscuriorem. Cum hoc & in patria degens & Groningæ commorans habuit eosdem affectus, eadem desideria & consilia. In hujus sinum si quid ægrimoniæ aliunde hausisset effundere solebat. Eaque inter ipsos erant mutua. Atque hinc literarum inter eos missitationes prope quotidianæ, quibus sensus suos alter alteri assiduo communicabat. Ab hoc intima & incorrupta, nec usquam mutans amicitia ei constabat cum clarissimo viro, doctrina, virtute & fide singulari D. Johanne Althusio Syndico, & cum Samuele Wingenio Senatore integerrimo, & cum affine Herone Bojin; ad quos sæpius literas dabat, & ab iisdem accipiebat. Perarcta quoque & vetus necessitudo ei intercessit cum magni nominis Theologo Doct. Sibrando Lubberto, quæ Genevæ primum inita, dein per annos XLVIII. circiter sine vitio continuata ad ultimum Lubberti vitæ diem perduravit. Huic jure merito accenseo amplissimos viros Gellium Hillama & Joannem Saeckema, binos supremi

premi Senatus Frisici ocellos. Sola certe locorum distantia obstitit non affectus amorque, quo minus Emmius eos, & hi Emmium totum κλήρῳ καὶ χρήσει non possederint. Scio ego quanti se mutuo semper fecerint, & testantur id amicissimæ frequenter missæ literæ. Quin etiam ab eo tempore, quo sedes suas Groningæ habuit, per annos XXVI. affectum illustrissimi principis GVILHELMI LUDOVICI Comitis Nassoviæ, Gubernatoris nostri quondam laudatissimæ memoriæ, tam benevolum ac benignum semper sensit Emmius, ut humilioris suæ conditionis sibi conscius in ruborem sæpe daretur. Nam viri hujus cordatum ingenium, Nestoreamque in consiliis dandis prudentiam sæpe expertus heros inclytus, eum ad se accersere, benigne habere, per fidos domesticos, per literas in maximis negotiis consulere, & à mente ejus haud temere recedere in more positum habebat. Inter disciplinæ suæ alumnos ob sincera & aperta ingenia, doctrinam, pietatem, mores incorruptos præcipue diligebat plurimique faciebat, Bernardum Theodorum Agnæum, Ecclesiæ hujus nostræ pastorem p.m. Everhardum Everdes Reip. Emdanæ consulem, Rembertum Husmannum, Henricum Eppium Jurisconsultos, Henricum Altingium M. F. Theologiæ Doctorem & Professorem eximium; necnon viros & natalium splendore & publicis honoribus claros, Gosvvinum Schafferum in consessu illustrium Ordinum Generalium Assessorem, Bartholdum Wicheringium, Joannem Huninga, Henricum Schonenborch Reip. hujus Consules: quibus comes addatur Joachimus Borgesius Scholæ Groninganæ moderator. Hosce inquam, suos olim discipulos, uti præ cæteris amavit, ita ab iisdem reciproca ratione ut communis quidam parens & diligebatur & summo in honore cultuque perpetuo habebatur. Cum collegis Professoribus integra atque illibata ipsi intercessit concordia, atque amor mutuus. Præcipue vero amare visus est magnique facere celeberrimi nominis Theologum D. Franciscum Gomarum, & virum è Scotia nobilem Guilielmum Mackdovvellum J. U. D. & præstantissimi ingeniii Philosophum. Extra Frisiam cum viris summis animorum conjunctio ipsi fuit, imprimis cum Joanne Wittio Transisulaniæ quæstore & vetus & perarcta, tum cum magno Thuano, I. Dousa, cum illustri Abrahamo L. B. à Dhona, cum Davide Chytræo, Herm.

Vul-

Vulsejo, Christophoro Pezelio, Urbano Pierio, Jer. Bastingio, Jano Grutero, Petro Scriverio, Antonio Thysio, atque aliis non paucis: quibus omnibus ut charus erat ob singulares dotes animi & eruditionem, ita ipse eos vicissim amore sincero & cultu prosequebatur. Cum igitur nihil sit appetentius similium sui, nihil rapacius quam natura, & hinc bonis inter bonos quasi necessaria benevolentia sit, quid mirum, si & multos & magni nominis viros, in sui amorem & benevolentiam excitaverint tam illustris in Emmio virtus & eruditio, quæ Sole clarius in scriptis ejusdem elucent? Hæc vero scripta, præsertim ea, quæ lucem jam vident, hic silentio quasi præterire, nec fas satis, nec commodum quis existimarit. Nos tamen nihil de his dicemus, quæ adversus disputationes Danielis Hofmanni in re Theologica edidit; nihil quoque de illis, quibus & vitam & sacra Eleusinia Davidis Georgii, qui monstra pudendorum errorum aut furorum veterum a se recocta mundo denuo propinavit, ex libris ejus mysticis eruta in lucem protraxit apertam. Commendant hæc sine dubio viri pietatem & asserendæ veritatis ac gloriæ DEI ardens studium. Sed dotes ingenii & vis ignea in historia scribenda maxime effulserunt. In eo enim scriptionis genere ingenium habuit plane subactum. Nam in omni omnium populorum ac gentium historia versatissimus, de cujusque gentis ac cujuslibet temporis historia rogatus ex tempore disserebat, recitatis omnibus locorum, temporis, & personarum circumstantiis, haud secus ac si præmeditatus & paratus accederet ad historias istas exponendas. Quod mihi imprimis probe cognitum. Quotiescumque enim eum colloquii causa invisebam (invisi autem creberrime vicinus vicinum rogatus aut αὐτόματος) si forte ipsum offenderem longa lectione aut scriptione defatigatum, languentem ac subtristiorem, mota qualicumque quæstione historica aut chronologica, mox excitabatur quasi in suam arenam deductus animus, prolixoque ac læto sermone rem totam ab ovo, quod ajunt, repetens enarrabat, explicabat. Nec erat superficiaria hæc cognitio, quæ multis contigit, sed quæ paucis, exacta, solida, ad interiora penetrans atque descendens. Notissimas habebat in veteri & nova historia non solum res gestas, earumque causas & eventus, cujusque populi πολιτείας, sed

& ur-

& urbes arcesque à forma, situ, magnitudine, simulque vias publicas, fluvios, montium tractus, geniumque loci principum ingenia, mores, cupiditates, ambitus, artesque quibus ad honores grassati, quibus propinquitatibus subnixi quo sanguine creti. Cum igitur tot tantisque instructus esset subsidiis, ingeniique dotibus, quæ in optimo historiarum scriptore requiruntur, cœpit de rebus quoque patriæ suæ, hoc est, gentis Frisiorum cogitare, quæ orbi hactenus incognita partim in archivis, partim in monumentis variis patria lingua scriptis latitabant. Quod ut faceret, quanquam res facilis non esset, & ad id tempus usque, quo eam occœpit, nulli tentata, minimeque in otio vivere fortuna ei largiretur, tamen patriæ charitas, & rei ipsius honestas ipsum impulerunt. Indignum enim putabat latere ea, quæ memoria essent dignissima, & quæ recte & vere cognita non possent non toti genti Frisicæ haud parvo honori esse. Semel vero stadium hoc ingressus, quanquam multa essent, quæ absterrere potuissent, tamen obfirmata mente perrexit, nec ante à cœpto desistendum sibi putavit, quam ad metam pervenisset. Pervenit vero tanta dexteritate fideque, ut lectorem sano judicio præditum vere in admirationem sui rapiat. In rerum narrationibus & orationum textura crederes esse Livium redivivum; in gnomis politicis arcanisque principum consiliis rimandis esse alterum Tacitum. Denique ita scripsit, ut in ipsius historiam probe quadret præconium hoc apud Rud. Agricolam: *Rerum*, ait, *ad actiones moresque nostros pertinentium ratio ab hujus historia petenda est. Quoniam is & bene facta laudando, & quæ contra sint vituperando, non docet solum, sed, quod efficacissimum est, exemplis propositis, quæ recte secusve fiant, velut in speculo ostendit.* Judicium meum, scio, elevare poterit apud nonnullos cum amor erga amicum, tum mea ipsius in rebus æstimandis tenuitas. Intercessit mihi, fateor καὶ εὔχομαι, cum Emmio amicitia ultra annos XXII; amicitia, inquam, non vulgaris, sed quæ nostros inter se animos ita devinxerat nexu adamantino, ut vix per paucos dies alter alterius consortio ac colloquio carere posset. Nec amor iste inter nos stetit, sed quod Plinius de se & suo Cornuto scribit; *Vnà delegimus, unà dileximus ferè quos ætas nostra æmulandos tulit.*

Libet igitur heic producere gravissimorum ac integerrimorum virorum de Emmio & scriptis ejus judicia amplissima,

ma. Audiatur eruditorum nostri seculi Phœnix, magnus ille JOS. SCALIGER: *Quam jucundæ, inquit, mihi fuerint priores literæ tuæ, testari possunt ii, qui unà aderant, quum eæ mihi redderentur. Nam quanti & probitatem tuam & doctrinam semper fecerim; non solum ego mihi conscius sum, sed & illi, qui me de ea narrantem sæpissimè audiverunt, quæ virtus tua & meritum à me expressit. Certe, si nihil aliud, saltem divina historia tua Frisica hoc à me exigebat, quàm ego judico non solum iis, qui similem scribere volent, conatum, sed & iis, qui jam scripserunt, laudem præripuisse, &c.* Scripta fuit hæc Epist. anno M DC VIII. XIII. Kal. Septemb. ut & aliorum aliquot sequentes, antequam postrema historiæ editio priore limatior; auctiorque in lucem prodiisset. Audiatur & JAC. AUG. THUANUS summi Senatus in Gallia, dum viveret, præses, & historiæ sui temporis scriptor celeberrimus: Is sic scribit ad Emmium:

Quod ad binas, quas à te, vir doctiss. cum elegantissimo Frisiæ Orientalis typo accepi, hactenus non responderim, nolim superbiæ aut negligentiæ tribuas: Ab altero quippe, qui me norunt, summè alienum sciunt; ab altero me occupationes continuæ facile excusabunt; præsertim apud te; quem & summâ animi æquitate esse perspexi; & tanto candore, qui in scriptis tuis elucet, ut minimè dubitem, quin quot alius fortasse requireret, in me non sis desideraturus. Cum his mitto exemplar primæ historiarum nostrarum partis, cujus publicatione vix dici potest, quantam in aulâ nostrâ invidiam sustinui. Adeo difficile est, scisso jam à multo tempore factionibus regno, ita modum in scribendo tenere, ut non laudando ab his adulatoris, reprehendo ab illis obtrectatoris suspicionem incurras. Et tamen testari possum Deum & homines, me nihil in toto hoc opera gratia aut odio dedisse, easq; duas veritatis pestes summopore semper vitavisse. Eandem tibi pugnam fuisse video cum Originum Frisicarum ineptis assertoribus, mihi æquè ridiculis, ac ii, qui Antenores, Helenos, Francos, Marcomicos, Clodomiros, & hujusmodi vanitatis novitiæ monstrosa nomina Francicis antiquitatibus affingunt, quos à te semel explosos ut generosè deinceps contemnas, si me audis, tibi autor sum, potiusque in pertexendâ illâ Frisicâ telâ ad hanc usque ætatem, ut polliceris, atque adeo ad Groningam receptam allabores. Quod si facies, omnem Belgicam historiam nostri ævi maximè omnium memorabi-

lem complecteris: Ad eum annum, hoc est, M DXCIIII. nostra perduximus, optavimusque sæpius, ut quod moliris jam editum esset, antequam quæ de Belgicis scripsimus, tu longè secuti & vestigia semper adorantes scripsissemus. Nam citra assentationem dicam, quare enim apud te? nihil simile tuis scriptis post BVCHANANVM in eo genere me legere memini, seu fides, prudentia, ac ingenua libertas, sive orationis elegans simplicitas, ac perspicua brevitas spectetur; ut me temeritatis meæ pudeat, pœniteatque, qui ab his omnibus imparatus tantum opus supra vires aggressus sim, & infestiores longè nec scriptis disceptandas animorum contentiones non sine vitæ discrimine contra me excitaverim. Quippe illi, quibuscum mihi res est, quidquid verè & liberè dicitur, in suam contumeliam dictum interpretantur, præsertim à me, quem Reip. ratione muneris addictum tempori servire, hoc est, eorum flagitia dissimulare. quod in rep. administranda temperamentum afferre debuisse sibi persuadent, homines præposterâ prudentiâ, & iniquissimâ mente, qui quo longius à privato absum, tanto acerbius in me feruntur, quasi dignitas & purpura, & non veritas potius historiæ fidem conciliaret. Tandem meo periculo sensi, magnatum odium veritatis assertæ mercedem esse. Sed quid pluribus te detineo? Tu vide & cense. Vicem meam, scio, misereberis, & te exemplo me solaberis. Vale doctissime VBBO, & me virtutis ingeniique tui præcipuum admiratorem ac cultorem redamare perge, & cum otium erit diligenter rescribe. Lutetiæ Parisiorum. Kal. Septemb. M DC IIII.

Idem in Epist. alia scripta IV. Kal. Quintil. anno M DC XII. inter alia sic ait: *Itaque postremis illis tuis, quanquam omnia tua mihi summè grata sunt, non tam lætatus sum quam jacturâ priorum dolui, gratissimamque longe rem mihi feceris, si earum exemplum, si quod habes, ad me quamprimum mittas. Nam non is sum, qui mea ita amore cœcus mei probem, ut non plura amicis, quam mihi in iis corrigendis permittenda censeam; præsertim tibi, cujus & singularem in me humanitatem expertus sum, & facilem in scribendo elegantiam cum acerrimo judicio & Veri amore conjunctam non desino tua cottidie legendo admirari. Itaque te iterum rogo, hanc amico à te suppliciter flagitanti gratiam ne negaveris, tibique sic persuadeas, nullas occupationes, quanquam gravissimis undique indies premor, impedimento fore, quo minus*

minus sedulo ad tuas rescribam, &c. Et Epist. scripta anno M DC XV. VIII. Kal. Martii. *Novi candorem tuum & fidem, quam ubique si me admonitione tua non indignum judicaveris, sequi certus sum. Frisica tua an sis persecuturus, & quousque sis persecuturus scire aveo. His nihil simile secundum SCOTICA BVCHANANI nostras ætas, meo quidem judicio, vidit, &c.*

Adde his ejusdem Thuani aliud elogium & quidem publicum Lib. hist. CXIX pag. 771. sub finem: *Huic*, dicit, *comes addetur Suffridus Petrejus Leoardiæ in Frisia natus, qui cum Lovanii in pueritia literis Græcis naviter operam dedisset, veterum Græcorum scriptis in Latinum vertendis animum & applicuit, & postea à Frisiæ Ordinibus invitatus, origines, colonias, nobilitatem, libertatem, jura gentis suæ illustranda suscepit; in quibus altius repetendis dum admistis fabularum figmentis nimium stylo indulget, multorum reprehensiones incurrit; ut VBBONI EMMIO, qui eam provinciam summa fide ac admiranda simplicitate postea executus est, potius lampada tradidisse, quam ei in scribenda patria historia præluxisse videatur.*

Horum vero maximorum virorum testimoniis, in quibus ut judicium acerrimum, ita nulla omnino adulandi causa fuit, quippe in laudationibus minimè omnium faciles fuêre, quid præclarius? quid illustrius?

Contenti AVGVSTO vos miratore THVANO
Vivite; majus enim quid dare Fata queant?

de libris Emmii sui locutus Epiphonemate hoc claudit extemporalem sed eruditissimam epistolam suam ad Ubbonem, inter alia clarorum virorum Epigrammata Historiæ Frisicæ præfixam, nobilissimus JANUS DOUSA pater, Academiæ Leidensis Curator laudatissimus. Idem in laudes nostri quasi luxurians, epist. aliam prolixam ità auspicatur, scriptam anno M DC III. *Literæ tuæ cum reipsa, tum vero amoris erga nos ac benevolentiæ notis insignes, gratissimæ mihi fuere: quas quidem binas diversis temporibus accepi, multo urbanitatis aspersas sale: in quibus admirabilem illam in historiæ veritate propugnanda EMMIANI studii constantiam evidentissime perspexi, &c.* Sic vero terminat: *Vale mi Emmi, historicorum seculi nostri (nolit velit invidia) unico magis unice citra controversiam Phœnix, gracculosque istos ac spinturnices (quod facis) fortiter*

fac contemnas; in quo omine, mi ocelle, desino. Iterum vale, & nos amare perge mutuum facturos. Ego te in oculis fero, ingenii ac doctrinæ tuæ admirator & cultor præcipuus perpetuusque, J. Dousa.

Idem judicium suum de Emmii scriptis publice sic professus est lib. 1. Annal. Holl. pag 75. *Ideoque*, inquit, *nec in Frisiorum gestis recensendis lectoris otio abutemur; supervacaneum existimantes ea iterare, quæ ab VBBONE EMMIO legitimo Frisiæ suæ historico fidelissimè perscripta sunt. Cujus ea in patria sua antiquitatibus investigandis curiositas, ea religio fuit, ut (meo quidem animo) parum seu potius nihil aliorum industriæ reliquum fecisse videatur.*

Eximium rei literariæ decus, JANUS GRUTERUS, vir multæ lectionis, atque omnium optime de tot scriptoribus Romanis & imprimis de M. Tullio meritus, Thuano & Dousæ carissimus, hic quoque suum momentosum ferat suffragium, Ep. scripta anno M DCVI. Septemb. XVIII. *Mi Domine* (inquit ad Ubbonem scribens) *habes secundam partem historiæ optimæ, quam transmisit author Præses THVANVS, qui priores tuas ad se non recepit. Fac quæso nunc saltem intelligat ipse gratam fuisse & voluntatem ejus & æstimium de te, cui es inter historicos princeps. Ego jure merito diligo & æstimo virtutes tuas & doctrinas supra seculum suum rectas & erectas. Pergere te in historico illo campo feliciter, votum meum est, & petitio unica, &c.* Et Epist. scripta M DCXII. Jan. XXIV. *Vir & amice eximie, non sine gaudio vidi manum tuam semper alioquin mihi optatissimam, & tanto magis adpressi ori ac pectori, quam magis ibi agnosceremus vivam Gratiarum, vivam Humanitatis tantum non Appellæis expressam imaginem. Ego te quidem dudum, uti fecerat etiam THVANVS, habui pro historico seculi hujus sine controversia principe; sed nunc præterea habere cogor amicorum item primarium, &c.* Idem alibi Epist. scripta M DCXVI. Apr. XXVI. *Interim firmiter amo, observo, quos judicio certo mihi applicui; inter quos te carum Minervæ & Consô caput, jure merito habeo agnoscoque principem. Iuvenes, qui senibus substituuntur, vanitate seculi sui inflantur, nihilque resipiunt solidi. Eaque propter te inter probos doctosque æstimo vero pretio, hoc est, singularem; cuique in historia nihil est hodie prius, nihil secundum. Si-*

licet,

licet, velim & nomen meum comparere juxta DOVSAM nostrum, ac breviculo Epigrammate testabor, animis nos fuisse cognatos. Serius quidem id Epigramma advenit, post impressam editionem historiæ Frisicæ posteriorem, ideoque inter cætera non exstat. Est vero dignum maxime quod cognoscat posteritas, sic habens:

In Historiam FRISIÆ UBB. EMMII V. Cl.

Quisque hodie historiæ numeros implesse putatur,
Qui de re quavis dicere plura potest.
Quive adeo fumos aut somnia vendere doctus,
Stemmata cujusvis continuare queat;
Fabellasque gravi jacere ac miracula pompa,
Quæ pueri expaveant, fœmineumque genus.
Paucis culta Fides, paucis reverentia Veri est,
Nemo at Mnemosynem demeruisse sitit;
Mnemosynem, monumenta suis quæ sola receptat
Illa tholis, Vanum inde exulat, inde Nohtum.
Non tulit id Phœbus, prolesque novena Monetæ,
Corque tibi thyrso terque quaterque ferit,
VBBO EMMI, hinc Frisicæ surgunt gesta omnia gentis,
Picta Minerva suo quæ velit esse peplo.
Quæque Cupidineæ aurato mucrone sagittæ
In tabulis scribat Gratia terna cedri:
Moxque Honor ac Virtus templo deponat avito,
Heic aras ubi habet Anna Perenna suas.
Quottidie quibus Hora rosas, quibus Hebe amaranthos
Sufficit; at nectar Ambrosiamque Venus.
Macte EMMI, hac curâ, macte hoc opere VBBO! perennis
Historiæ tu Dux, tu coryphæus eris.
Quamque tibi magis Invidia atque Inscitia dentes
Ostendunt, annos hoc magis ipse feres:
Perque omnem Europam vectus famæ allice pennâ,
Excipière hominum dulce Deûmque decus.

Idem cum Grutero suo sentit eruditissimus P. SCRIVERIUS Batavus, cum sic Epistolam suam orditur:

Esse quid hoc dicam? tibi debita fama negatur,
VBBO? tibi, patriæ quem voce jure patrem?
Nam sine te (verum testor) vir magne fuisset,
De Frisiis vanum jam legeretur opus.
Iam Suffridais premerentur nostra chimaris
Pulpita: jam monstris omnia plena forent.
ita verò, explosis fabulatoribus, eandem claudit:
Sed queis judicium, queis est mens sana, pudorque,
Lectores libris det DEus VBBO tuis.
Qui pretium faciant, cedroque & murice donent:
Abstineat scabras cætera turba manus.
Ante focum pueris veterum deliria nutrix
Narret, & Occonem garrula laudet anus.
Te gravis æterna commendet voce THVANVS,
Noster & ingenti GROTIVS ore legat.
Me quoque mirantem generosi fulmina Veri
Devinctum sancto pignore pectus habe.

Maximi ingenii & eruditionis singularis DANIELIS HEINSII verba hæc sunt ad Ubbonem Emmium: *Cum in tam eximio volumine & æterno opere, quo patriam & universum Frisiorum nomen, candore admirabili, summa industria, singulari facundia; quamdiu ullum in terris eruditioni erit pretium, tibi obligasti, &c.*

DAVID CHYTRÆUS πολύϊστωρ ille ad eundem scribens sic ait: *Clarissime & optime vir, amice colende, accepi tandem diu desideratam rerum Frisicarum historiam tuam singulari & exquisito judicio, & prudenti rerum delectu & illustri orationis disertæ ac perspicua copia elaboratam, & chorographiâ totius Frisiæ accurata eruditissime ornatam. Pro munere, quod dedisti, reverenter tibi gratiam habeo, & posteris, qui hæc recentiora legent, gratulor, &c. die Magdalenæ anno MDXCVI.*

Idem alibi: *Ego quidem publico literarum & Reip. nomine gratias tibi officiose ago, quod hunc laborem, non patriæ solum tuæ, & toti viciniæ, ac tibi ipsi honorificum ac salutarem, sed omnibus etiam bonis & doctis in cunctis gentibus gratissimum suscepisti & constanter urges: & DEum, ut vires animi & corporis ad ea, quæ instituisti, perficienda tibi tribuat, ardentibus votis precor. Pro historia tua Frisica omnibus elegantiæ numeris perfecta, remitto rudem & nudam*

rerum proximo sexennio in hoc Arctoo orbe actarum annotationem, &c.

Adjungo his, quæ Vir Clarissimus PIERIUS WINSHEMIUS de Ubbonis Emmii scriptis ad ampliss. curiæ Frisicæ Senatorem inter alia sic scribit: *Quod ad EMMIUM attinet, is etsi divina sua scripta ad quorundam in gente nostra palatum non temperavit, accedendum tamen in hoc est omnium literatorum judiciis, ne privatis affectibus metiamur gloriam tam sublimium monumentorum. Vt turpe sit, illi viro, cui quasi totus orbis in scenam prodeunti adsurgit, nos solos iniquiores esse, ac illud nomen temerare, quod & sanctum cunctis gentibus est, & consecravit se æternitati. Pauci enim dies, quibus à Cl. Heinsio accepi magni illius AVG. THVANI de Emmio testimonium, quod tale erat, ut vel hujus videndi causa Belgium salutaret, ac coram, quemadmodum appellat, intueretur hoc naturæ miraculum. Mitto quid uterque DOVSA fecerit. Tantum abest posse virum tam illustrem trahere in despectum, & illius odium tuto nobis concitare, qui in animis hominum ære perennius monumentum reliquit. Ejus enim ut magna admiratio, ita censura difficilis. &c.*

Absoluta historiæ Frisicæ ante per partes editæ, jam vero in unum corpus collectæ iterata editione, mox ad alterius operis operosam editionem idem se accinxit. Jampridem enim moliebatur divinum illud opus Chronologicum, nova forma nec ulli hactenus usurpata conceptum, in quo illustriores omnium historiarum eventus in sua tempora digesti inter se comparantur, haud minore labore quam industria. Ad hoc opus elaborandum non sufficit sola historiarum omnium gentium exacta cognitio, sed una requiritur rei Astronomicæ haud levis peritia, ad temporum epochas, annorumque formas dissimillimas connectendas, controversias & difficultates Chronologicas decidendas, amovendasque. A quibus subsidiis quanquam esset instructissimus, ut & labori & tempori parceret, libuit ei haud rarò uti mea opera subsidiaria, in eclipsium aliorumque cœlestium motuum calculo; mihique una cum Scaligero author fuit ad Tabulas Frisicas, quas affectas habebam, perficiundas, ac in publicum edendas. Quarum ope tollitur omnis in calculo syzygiarum Solis & Lunæ, eclipsiumque labor & operosa molestia. Beneficio igitur fili hujus Ariadnes, hoc est, Astronomiæ, cum se ex temporum labyrinthis ex-

plicuisset, superatis etiam aliis magnis molestiis, quæ inter excudendum occurrebant, opus Chronologicum emisit omnibus suis numeris absolutum, singulari dexteritate passim connectens historias sacras cum profanis, Ecclesiasticas cum politicis, adjecta etiam Imperiorum serie ac Genealogiis succinctis præcipuorumRegum ac Principum; maximo certe rei literariæ & imprimis cognitionis historicæ commodo atque emolumento. De hoc opere sic judicat Jurisconsultorum, qui nunc in Germania vivunt, facile princeps, HERMANNUS VULTEJUS: *Ago vero tibi ingentes gratias pro insigni munere Commentarii rerum Chronologicarum, quo me superiore panegyri Francofurtensi donatum voluisti. Appendicem, de qua me nunc & nuper monuisti, avidissime exspecto, ut hoc gaudium mihi sit perfectum. Legi nonnulla, ex quibus operis totius præstantiam colligere mihi non fuit difficile; lecturus totum ubi appendix accesserit. Sed fateor ingenuè, mi VBBO. hæc supra captum meum sunt; ita accurate & exacte constituisti omnia, ut etiam istarum rerumperitis arbitrer aquam hæreee posse, &c. Marpurgi 1620. April. 5.*

De eodem scribit Vir Clarissimus JOANNES KIRCHMANNUS Philologus insignis, olim in Academia Rostochiensi Professor, nunc Scholæ Lubecensis Rector, ad quendam patricium Hamburgensem in hanc sententiam: *Cum verò in historiarum lectione parum feliciter quis versetur absque Chronologiæ face, non possum quin tibi commendem Chronologiam VBBONIS EMMII ante annum primùm editam, qui mihi omnium industriam videtur superare in assignandis temporibus omnium regnorum, quæ ab orbe condito floruerunt, & adhuc florent, & quidem in libro peculiari, quem Chronologiæ præmisit.* Sincera hæc ac planè industria sunt de præclaris eximii hujus viri monumentis judicia: sed hæc ille indefesso suo atque invicto ad Remp. literariam juvandam labore illustriora reddidit, ut res ipsa demonstrat. Nam non longo post tempore opusculum aliud edidit, in quo complexus est summatim illustrissimi Herois GVILHELMI LUDOVICI Comitis Nassovii pridem Gubernatoris nostri genus, vitam & res præcipuas domi militiæque præclare gestas, non hujus solum, sed sequentis etiam ævi cognitione & memoria dignissimas: & hæc duo simul assecutus est; Effigiem scilicet optimi, sapientissimi, prudentissimi, fortissimi principis exhibet; &

maxi-

maximas plurimasque res in Belgio pro libertate fœderatorum contra Hispanos feliciter gestas perspicua brevitate constrinxit, ut compendium hoc pro Breviario quodam aut συνόψει eorum, quæ in his regionibus ab anno M DLXXVII, ad annum M DCXIV, acciderunt, lectoribus esse possit.

Jamque æquissimum amicis videbatur, virum gravem annis, qui jam tres vitæ aureos, ut Martialis verbo utar, compleverat, curis & laboribus assiduis fractum, à scriptione multa porro abstinere, quiescere, respirare laborumque anteactorum memoria frui. Sed ille laboribus castrensibus Musarum induratus quieti se tradere nequaquam voluit, ostenditque placere sibi id, quod à forti principe usurpatum legitur; *Imperatorem etiam stantem mori oportere.* Itaque quamvis annos quatuor pluresve corporis valetudo non permitteret ipsum uti publico, ut ante quoque diximus, mens tamen sana ac vegeta ad extremum vitæ terminum sibi constans, otium detrectans tertium meditata fuit opus rei literariæ utilissimum, præsertim viris ad Reip. clavum sedentibus, aut principum consilia regentibus gratissimum. In hoc & accuratam descriptionem chorographicam regionum & insularum à Græcis quondam habitatarum, & medullam historiæ Græcæ ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo, aliis, contextam, & diversos Rerumpub. status, quibus diversi populi ac civitates in ea gente usæ sunt, repræsentat. Interea dum hi fructus suavissimi mellitissimique ex longa, multiplici, studiosa historiarum veterum lectione decerpti Lugduni Batavorum typis excuduntur, aliquamdiu contra certum typographi promissum hærent, rursum sub prælo sudant, rursumque hærent, author parensque eorum paulo octogenario minor, à corpore languidus, ab animo pro ætate validus, vulnus accepit gravissimum ex obitu Egberti filii sui junioris, juvenis optimi, magnæque exspectationis, quem mors immatura in Gallia apud Aurelianos abripuit anno M DCXXX. Huic plagæ postremæ animus ejus, qui suorum ex hac vita excessus & alia fortunæ adversæ incommoda hactenus fortissime tulerat, par ægre esse potuit. Ad levandum dolorem suum inter alia hoc ipse filio Epitaphium scripsit:

D. O. M. S.

Memoriæ

Cariſſimi filii ſui

EGBERTI EMMI;

Iuvenis optimi, modeſtiſſimi, ſuorum, quibus obſequium debebat, obſervantiſſimi, & ad eorundem voluntatem ſequendam paratiſſimi, tum pietate ſingulari in DEVM, probitate in homines eximii, vita apprimè frugi, ſobria, caſta, literarum bonarum & Iurisprudentiæ Studioſi; nati Groningæ Friſ. anno æra Chriſtianæ MDXCVI. die Novemb. Iul. XXVI. profecti hinc in Galliam an. ære ejusdem MDCXXIV. menſe Iun. atq; ibi apud Aurelianos, procul à ſuis, evocante Chriſto Servatore, ex hac vita ſubducti anno proximo, dü XXV. Iulii Iul. exeunte, cum vixiſſet in hoc mundo annos XXVIII. menſes VIII. fere, relicto ſuis ingenti ſui deſiderio; parens mœſtiſſimus

UBBO EMMIUS

ad levandum dolorem ſuum hoc Epitaphium typis excudi ac vulgari curavit.

Superata tamen utcumque doloris ἀκμὴ, ad conſuetos legendi ſcribendique labores rediit, & cum res geſtas Philippi Macedonis Alexandri Magni patris, quomodo ſcilicet per artes verſutiſſimi hujus principis libertas Græcorum oppugnata conciderit, in commodum Reipublicæ, Belgicæ præſertim, exponere ſtudet, & ad annum XV. Regni Philippi perveniſſet, ſenſit clementiſſimam DEI manum ex hujus vitæ ſtatione ſe placide evocantis. Placide inquam. Morbus enim ipſum prehendit omnis doloris expers, interioris pulmonis receſſus occupans, corpuſculique virium reſiduum ita ſenſim atterens, ut in Muſæum ſuum per gradus aſcendere non valuerit. Dies igitur plus minus XL. cum libris juxta focum ſeſſitans, amicorum inviſentium colloquiis & alloquiis vacavit, multaque de Rep de patria afflicta, de mundi hujus vanitate, de deſiderio ſuo abeundi ad Servatorem Chriſtum diſſeruit, animo mirifice patienti, ſereno, confirmato, absque ulla doloris metusve ſignificatione; certus tamen de morbi eventu: meque omen iſtud averſantem vehementer obteſtatus eſt, ut ſepo-

ſita

ita omni dissimulatione medicis familiari, verum aperte licerem. Officio igitur amici potius quam medici functus, assensi ægro (non sine lachrymis) imminere summum itæ diem, præter Hippocratem, adducto etiam hoc Ovidii, Pont. Eleg.4. testimonio:

Non est in medico semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Cernu ut è molli sanguis pulmone remissus
Ad Stygias certo limite ducat aquas?

Hos cum audisset versus memoriæ suæ labilitatem admiratus, evestigio poposcit codicem, voluitque eosdem ibi denuo è libro per me recitari, & pro officio gratias egit nimo plane tranquillo & sedato. Unum hoc ei molestum rat, quod sensim imminui sibi sentiret sermocinandi cum micis facultatem, obsessis à morbo pulmonibus, ac tanem ipsis faucibus in consensum attractis, tacitus tamen audebat præsentium mutuis inter se colloquiis, ad quæ nterdum poscente re respondebat, sed paucis ut plurimum. ngravescenti morbo accessere vigiliæ ferè perpetuæ, ei uidem sanitatis tempore minime insolentes, sed hoc temore non parum infestæ. Nam quamvis cerebrum rorida omniferaque exhalatione satis superq; irrigaretur, somnum amen inire vetabat pectoris angustia respirandique difficulas, quo nihil in morbo gravius dari potest. Quamobrem iribus corporis destitutus in lectulo sese continere coactus uit circiter diem XXXVI. à morbi principio. Postridie, oc est, quinto Decemb. Jul. die sibi natali, jussit familiam uxtà lectum cœnare, vultuque ad hilaritatem composito veuit nimium indulgere luctui ob suam ex hac miseriarum alle ad cœlestia gaudia migrationem, sed voluit magis anino esse bono, DEoque gratias agere, quod singulari ejus eneficio tam diu sua ipsis frui præsentia, præsidioque uti icuisset. Se nunc peracta absolutaque bona militia ad Doninum vocantem abire non restitantem, aut tergiversanem, sed alacrem & promptum tendere ad meliora æternamque quietem. Die sequenti chartam & calamum poposcit, nque lecto erecto corpore sedens de editione Veteris Græiæ hæc, quæ sequuntur, in chartam conjecit, eandemque ilio asservandam studiose commendavit: Typographus,, duo

,, duo gravia peccata commisit, prius in forma, alterum
,, tempore. Cum de forma majore in folio contra certu
,, promissum me dejecit, excussit mihi è manibus indig
,, bundo chartas chorographicas non sine tædio & labo
,, diligente à me delineatas, accommodatas formæ illi m
,, jori; cujusmodi tabulas chorographicas lectores sine d
,, bio in editione sunt desideraturi. Dilatione operis, re
,, ciendo semper in posterius multum studii mihi ademi
,, præsertim post cognitum obitum filii mei Egberti. Co
,, stitueram luculentam præfationem operi præmittere j
,, dudum præmeditatam, & in ea Græca vetusta cum n
,, stris recentibus domi militiaque comparare, vitia cum
,, tiis, virtutes cum virtutibus conferre; effecta ac eve
,, ex his secuta ponere ob oculos; aliaque hujusmodi a
,, cere. Quæ nunc ob incidentem repente infirmitat
,, meam maximam abeunt in nihilum. Conjeci hæ
,, chartam summa pectoris angustia & respirationis di
,, cultate laborans, & quasi cum suffocatione agoniza
,, totoque corpore valde debilis, ipso die S. Nicolai, post
,, Nonarum Decemb. anni M DCXXV. cum quibus N
,, nis, quæ mihi natales sunt, finii annum ætatis m
,, LXXVIII. & inchoavi LXXIX. vitæ hujus jam satur,
,, meliorem desiderans, emigraturiens ad Servatorem me
,, unicum CHRISTUM. Quod vitæ superfuit biduu
precibus piisque meditationibus impendit, animique pie
tem ac constantiam admiranda suavitate ac prudentia pr
fessus astantes amicos, & imprimis mœstissimam conjuge
liberosque binos præsentes hisce fermè verbis, sermone
,, tercisо, affatur: DEUS longum mihi in terris diem
,, largitus: vespera jam ingruit. Diem autem illum m
,, diocriter laboribus impendi, quos omnino pro virili E
,, clesiæ Christi & charissimæ patriæ bono sustinui. Hu
,, rei mihi probe sum conscius. ac testis mihi DEUS. S
,, tur sum vitæ hujus. In DEI voluntate penitius acq
,, esco. Cupio migrare & esse cum CHRISTO unico, S
,, vatore meo. Hæc vita mera molestia est, etiam quod
,, ea præstantissimum. Hoc autem præstantissimum
,, xi, si quid laboris perferrem, unde aliquid fructus & bo
,, ad alios proveniret. Vita viatoris quasi cursus; at ille p
,, ratam in cœlo requiem, qui bene currit, habet. Ja
,, iter ingredior. Nunc dimitte servum tuum Domine i
pac

ace quia oculi mei viderunt salutem tuam. Salutem
iam exspecto ô Jehova. Non potest, inquit Augusti
us, male mori, qui bene vixit. Laudabili igitur vitæ laudabilis finis ac coronis accessit. Nocte ferè media, quæ præcessit nonum Decembris, mortis imminentis certamen postremamque naturæ luctam sentiens, convocatam ad se familiam omnem jubet genua flectere, secumque, præeunte erbis filio, à Deo exorare corporis sui dissolutionem & lenem & brevem. Quo facto, cum ipse capite totoque corpore superiore inter precandum levato, sursum oculis manibusque sublatis, alta voce & quasi animo ovans, & spe plenus fusas preces ingeminando illud *Amen*, *Amen* obsignasset, gratiasque pro officio præstito egisset, & illud Simeonis, *Nunc dimitte servum tuum, Domine, in pace* iterasset, paulo post suavissime obdormiscere cœpit, qualem somnum inire solent ægri, cum nullam amplius morbi sentiunt molestiam, ac in isto somno quieteque corporis pia illa sanctaque anima ad DOMINUM suum æternamque quietem migravit placidissime, adeo ut exitus illius non nisi cessante respiratione ab astantibus animadverti potuerit. Accidit hoc circiter horam secundam à media nocte. Hoc curriculum vitæ in his terris, hic finis viri præstantissimi fuit.

Vixit in hoc mundo annos septuaginta octo & dies quasi quatuor. Vixit inquam, imo vivit. Nam illius etiam nunc,

Ante meos oculos tanquam præsentis imago
Hæret, & exstinctum vivere fingit amor.
Flere jubet Pietas; nos flevimus: occidit eheu!
Sol Frisiæ, castæ lumen & Historiæ.
Occidit: & largos lachrymarum funditis imbres
Pierides; torrens ex Helicone fluit.
At nos sancta Fides, cœlique immensa cupido
Nec lugere diu nec lachrymare sinunt.
Quandocunque vocent igitur nos fata, sequetur
Altera pars animæ lætior, VBBO, mea.

Fuit statura corporis plane justa inter proceram brevemque media. Artus illi satis compacti firmique, ἔνσαρκοι verius quam graciles aut macilenti. Caput decorum superne crines

crines densi fereque tonsi tegebant. Facies postremis an-
nis suppallescens grato rubore suffusa; in qua frons la
atque exporrecta, oculi, animi indices, cæsii, vivi
& acutum cernentes, prout res poscebat, torvi blandi
ve. Totus denique vultus gravitatem præ se ferebat mul
ta humanitate temperatam. In Scholis cum versaretu
vel sola vultus hujus gravitate disciplinæ suæ commisso
in officio continere ut plurimum valebat. Idem tamen
inter amicos honoratiores verecundè modestus, inter æ
quales vero aut inferiores blandissima comitate aspersus vi
sebatur. Idem quoque corpori mortuo tam pulcher ac
sibi constans mansit, ut viventem videre te putares. Fu
nus ei factum die XIII. Decemb. honorificum, deducent
hoc, præter Academiæ cives, magna frequentia civium
& procerum civitatis: cui & interesse voluit ad testandum
dolorem suum illustrissimus & fortissimus Heros ERNE-
STUS CASIMIRUS, Comes Nassoviæ, Frisiæ, Gro
ningæ, Omlandiæ, Drentiæque Gubernator. Condita
sunt corporis exuviæ in interiore parte templi Acade
mici juxta carissimos liberos, exspectantes resurrectio
nem ad vitam æternam. Conditorio saxum instratum,
cui hoc Epitaphium memoriæ causa incisum:

IMMORTALI MEMORIÆ

CLARISS. ET PIENTISS. SENIS,

UBBONIS EMMI,

FRISII GRETHANI:

PRIMI ACAD. GRONING. RECTORIS;
THEOLOGI SINCERI,
PHILOLOGI EXIMII,
HISTORICI ABSOLUTI,
VIRI PRUDENTIÆ SINGULARIS,
QVI PER OMNEM VITAM
SUA SORTE CONTENTUS,

LABORE INDEFESSO

DE ECCLESIA AC REPUBL. PATRIA
QVAM OPTIME MERITUS;

VERE PIA DEMUM AC PLACIDISS.
MORTE DEFUNCTUS
HEIC CORPORE QVIESCIT.
MARGARETHA A BERGEN
VIDUA ET LIBERI SUPERSTITES
MOERENTES
H. M. P.
VIXIT IN TERRIS AN. LXXVII. DIES IV.
ABIIT IN COELOS AN. CHRISTIANO
MDCXXV. DIE IX DECEMB. JUL.

H. Alting.

Effigiem vero ejusdem ad vivum in tabula depictam amplissimus inclytæ hujus urbis Senatus honoris ergo in curia decreto publico ponendam curavit. Superstites reliquit conjugem Margaretham à Bergen, matronam lectissimam, ex eaque natos liberos binos, Wesselum Emmium, Ecclesiæ hujus Groninganæ Pastorem pietatis, probitatis, modestiæ aliarumque paternarum virtutum ac eruditionis vivum exemplar; & Elisabetham Emmiam, Virginem indole moribusq; Emmianæ familiæ convenientibus præditam. Hæc sunt, benigne Lector, quæ de Clarissimi atque optimi viri vita, scriptis & morte posteritatis memoriæ mandandis putavi. Boni consule, fave, vale.

EPICEDIUM
In obitum Celeberrimi Viri,
UBBONIS EMMII.

Miletus veluti luxit præclara THALETEM,
Urbs & Athenarum deflevit docta PLATONEM,
Romaque mœsta fuit CICERONIS funera plangens:
Sic Groninga tui UBBONIS nisi fata dolore
Vero prosequeris, verè tibi dicere possum,
Mente stupes tota, magnum tibi lumen ademptum est;
Cui Ciceronis erat calamus, mens docta Platonis,
Et præsens semper prudentia viva Thaletis.

JOHANNES HUNINGA
Ab Oostvvold.

SCRI-

SCRIPTA.

Responsio ad confutationem D. Danielis Hofmanni, quam contra Disputationes suas opposuit. *Herborna* 1591 in 8.

Rerum Frisicarum Historiæ libri X. *Franek.* 1596. in 8. & *Lugd. Batav.* 1599. in 4. Decas IV. *Arnhemii* 1604. in 8. *Amstelod.* 1604. in 8. Decas V. *Groninga* 1607. in 8. Decas VI. *Lugd. Batav.* 1616. in 8. Decas VII. & ultima. *ibid.* 1617. in 8. & junctim, sive Descriptio Chorographiæ Frisiæ Orientalis. *ibid.* 1616. in fol.

De agro Frisiæ, inter Amasum & Lavicam fl. deque Urbe Groninga, in eodem agro, & de jure utriusque Syntagma, cum Serie Magistratuum præcipuorum. *Gron.* 1615. 1646. in 8.

Opus Chronologicum novum liberis V. distinctum, cum Canone Chronologico. *ibid.* 1619. in fol.

Guilielmus Ludovicus Comes Nassovius. *ibid.* in 4.

Genealogia Universalis Imperatorum, Regum, Principum, aliorum illustr. Virorum, à Diluvio ad nostra usque tempora diducta. *Lugd. Bat.* 1620. in fol.

Λόγος Ἐπιτάφιος Guilhelmi Ludovici, Comitis Nassovii, *Amsterod.* 1621. in 4.

Græcia Vetus, sive de Græcorum Rebuspublicis. *Lugd. Batav.* 1625. in 8.



VITA
CL. VIRI,
D. EDONIS NEUHUSI,
Gymnaſiarchæ Leoverdienſis,

Deſcripta per Epiſtolam
ab ejus Filio,

REINERO NEVHVSIO, JCto & Gymnaſii Alcmariani Rectore.

MAgnifici, Prudentiſſimi Viri, PARENS meus etſi nunquam totus & æternum moriturus, hoc tamen magnopere à me deſiderari videmini, ut vivam Præceptoris ve-[illegible]ri imaginem Vobis & poſteritati in literis conſignem. Li-[illegible]ens ac ſponte facio, Viri Ampliſſimi, quod pro veſtra in [illegible]ios manes benevolentia tam amicè à me depoſcitis. Si [illegible]lacet, & à publico ſit otium, agite, & à primis incunabulis, [illegible]d extremum uſque Fati diem, univerſæ vitæ campum at-[illegible]entè mecum decurrite. Annus erat, poſt reparatam ho-[illegible]minis ſalutem, M. D. LXXXI. 21. Octobr. quo Parens, [illegible]eu! quondam meus, vitæ mortalis uſuram hauſit in illu-[illegible]ri apud Weſtphalos civitate *Steinfurtenſi*, quæ Gymnaſii [illegible]elebritate tunc temporis orbi terrarum notiſſima, nunc mi-[illegible]ti Cæſariano præda ab hoſpitium. Suæ autorem originis [illegible]atrem habuit *Reinerum Neuhuſium*, Virum de Reformata [illegible]eligione optime meritum, civem apud ſuos primarium, [illegible]atrem *Saram Piccardinam*, egregia tunc gente & familia [illegible]atronam. Annos circa natus novem, intra ſpatium fer-[illegible]è menſtruum, utroque parente orbatus. A quo tempore [illegible]ratres pupilli multis jactati per orbem fatis. Natu medius [illegible]*annes*, qui poſtmodum Leoverdiæ apud Friſios vixit, du-[illegible]ta in matrimonium Filia Clariſſimi Fullenii, in Hiſpaniam [illegible]blegabatur, ibi Mercurio fidem ac operam facturus. Natu [illegible]inimus *Alexander*, Stockholmiam apud Suecos miſſus, il-

 lic-

lic, postquam adolevit, in magna apud Regem gratia, ac Centurio contra hostem gloriose obiit. Parens p.m. cæteris ætate major, ab amicorum consilio ad varia destinatus; nisi bono intervenisset Fato Vir Cl. *Ottho Casmannus* ipsi Avunculus, qui singulare in puero cognoscens ingenium, solis literarum studiis deberi hunc dixit. In patria Schola exacto fermè triennio, cum Avunculo suo *Stadam* commigrat, ubi Gymnasii Rectura ipsi offerebatur. Hic totos novem annos in gremio & deliciis hæsit magni Casmanni, tanquam ad Gamalielis pedes. Quo ductore Philosophiam, Theologiam, cum reliqua literatura non perfunctoriè pertractavit. Inde in patriam reversus, institutione Clarissimi *Vorstii* & *Timpleri* gratioribus studiis non leviter tinctus. Quibus tam familiariter convixit, ut ab illis Filii loco duceretur. Si quando ardua & acris disputatio à vicinis Jesuitis, ut solenne illic erat, offerebatur, ad illos de Summa religionis disputaturus Monasterium mittebatur. Sed miserabilem hoc exitum habuisset, nisi aliter Deus hoc malum rexisset. Subordinatus erat à Jesuitis, qui vim illi inferrer in via. Quod factum continuò, & grave vulnus crebro inflictum, Letho proximus, si non aliquod in capite operimentum tel impetum retorsisset. Etiam res illa penè litem illi fecit apud nostros, quasi prorsus Vorstianam sectam amplecteretur, jurassetque in verba Magistri. Aliter hoc scripta in publico testantur, & ille pro orthodoxa Religione sumptus in manum calamus. Sic probè exercita juventute & ad gloriam vergente ætate, incogitanti atque ultrò studiorum causa *Marpurgum* contendenti, anno M DC VII. 11. Junii, *Rectura* offertur *Leoverdiensis*: de qua gente vix unquam fando quicquam ad aures venerat. Moris tunc fuit terra & maria pervestigare, ut tali provinciæ Vir dignus inveniretur, secus quàm nostra ætate, quando rudis aliquis, modo barbæ & pallio nomen faciat, ad ferulam admoveatur. An illam regere cum imperio & consilio possit, parum curæ & cordi est. Juvenis tamen, peneque imberbis, cum illam Atlas molem susciperet, discipulos ætate, quàm ipse majores reperit; Collegas invidos ac obstinatos, quasi bon illis prærepto. Paucis verò annis invidiam ac livorem superavit, Virtute ac eruditione publicè testibus. De Religione, quia Vorstii olim discipulus, ne cui vacillet fides, Anno M DC XIII. in laudatissima, quæ Leoverdiæ Frisiorum Christo Domino colligitur, Ecclesia, *Presbyter* eligitur; Reverendi

verendis, Clariss. nostrâ ætate Theologis, DD. Bogermanno, Fullenio, Hachtingo, illic V. D. Ministris. Ut in pijssimo Parente pietas, ita assiduus ille in functione sua labor non parvam nobis gloriam apud Nostrates reliquit, cum nullus in Rep. ordo, nulla vitæ honoratioris functio, quæ non ex fideli sua institutione Viros optimos ac Clarissimos profiteatur. In quo unico dum viveret, summum sibi decus ac solatium reposuit. Non miror in illa ætate ac statione infractum laborem, quando memini adhuc puer istam ad meas aures quotidie cantionem; quod sæpe ablatis clam lichnis & lucernis in orbem ligare se solitus manibus pedibusque, ut præveniens mane auroram melius Musis litaret. Audi mea juventus, & imitare exemplum. Non minùs, quàm illud Cleanthis, qui noctem hauriendis aquis impendit, ut pretium suis Præceptoribus pro disciplina diurna persolveret. Sed magis in alio hæc laudem, quàm in illo vitæ sanguinisque mei fonte. Divi Parentis nomen cum fama foras nunciret, illustris Resp. *Groningensis* illi Recturam sponte obtulit, Anno M DC XIX. cum magno suorum civium desiderio & exspectatione, in Uxorem, in liberos, si fatis vita interrumperetur, publicæ liberalitatis insigni facta promissione. Manere Leoverdiæ Deo visum. Quæ de illius abitu, quemadmodum de Scholæ universæ interitu, idem penè faciebat vicinæ Civitati. Non minus illi in spem & liberos, si quando res postularet, & morari apud illos vellet sacrosanctè pollicita. D. Parens cum undique favorem hominum intueretur, publicam penè lamentationem de suo decessu audiret, tandem de assumenda vocatione destitit, motus tum singulari literatorum Civium in se affectu,

------ *jure perhorruit*
Latè conspicuum tollere verticem.

tum in suos æternum meritò mansura Amplissimi Senatus recordatione. Igitur in illustri Leoverdia, hoc quod brevis vitæ restaret, in statione sua decurrere, forti animo stetit sententia. Quam tamen adverso fato vitam traxerit, nemo vestrûm Cl. Viri, ignorat: Præter omnes sarcinas & molestias, quas illa professio ab integro viro requirit, totos viginti annos cum immanissimis calculi doloribus sic miserè luctatus, ut vix diem ab illa carnificina liberum habuerit. Totas septimanas, vermis adinstar, humi repens, pervigiles & insomnes egit, quasi unus omnibus ærumnis par congressu.

 Ni-

Nihilominus in ærumnosa hac vita tam pertinacem meditationibus operam impendit, ut fracti corporis imbecillitatem ingenii illa intentione magna sæpe ex parte lenierit & levarit:

Ad mala jam pridem non rude pectus habens.

In primis à Poëtico spiritu, quando ad calculi incudem gravissimi torqueretur, minuendi doloris remedium sibi quæsivit, scilicet:

------ grande doloris
Ingenium, miserisque venit solertia rebus.

Cujus generis hujusmodi multa observavi, extemporanea & ab ipso ejulantis ore ad lacrymas excepi.

Inter calculi torturam effusa.

Si me peccati moles operosa fatigat,
Attollit miserum gratia larga DEI.

Aliud.

CHRISTE mei miserere, mei miserere Iehova,
Nec sine me cassas ferre sub astra preces.
Neu sine me querulis frustra quatere æthera votis,
Perpetuoque meas imbre rigare genas.
Tunc tua magna meo referam præconia versu,
Et solvam in laudes os animumque tuas.

Aliud.

Cum nihil humanæ superest opis; una salutis
Spes in te residet Christe benigne mea.
Affer opem, Servator opem fer, rebus in arctis,
Et recrea auxilio languida membra tuo.

Aliud.

Tandem Chare Pater, post longi tædia morbi,
Chare Pater, medicam, tu potes, affer opem.
Affer opem misero, fidam mihi porrige dextram,
Carnificem à, lasso corpore pelle luem, &c.

Sub illo Phalaride ac truci morborum jugo nata tamen præclara literarum volumina: Illud humani ingenii Theatrum: De Sacris Fatidicis libri duo: Triga artium Scholasticarum: quæ inter manus singula versantur:

Qui

Quæ nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Quædam adhuc domi in armario apud me asservantur, & si Deus volet, lucem propediem videbit, sub septem Regibus Romani Imperii Infantia, & Gymnasium Eloquentiæ, opus planè serium ac perpolitum. De cæteris cum animi, tum corporis dotibus, quas serio admirari in Parente nostro soletis, non ero prolixior. Vobis, Viri Clarissimi, æternum gratiæ debentur, quod ob veteris memoriam Magistri, tanta erga nos fide ac benevolentia sitis affecti, quod nuperrime, quando parens p. m. hoc vitæ carcere exivisset, cum meliore Reip. suffragio publicè testatum fecistis. Obstitit turpis ambitio, & pro triginta annorum admiranda sedulitate, cum viva voce, tum assiduis lucubrationibus, ne gutta bonæ gratiæ ad suos promanavit:

Hoc est ad nostros non leve crimen avos.

Aut cum Poëta Græco dixerim:

Τὸ μὲν λάχομεν γέρας ἡμεῖς.

Ac verè Cicero; Fortes & sapientes viros non tam præmia sequi solere rectè factorum, quàm ipsa rectè facta. Hoc in tristibus rebus unicum solatium, quod gloriari semper liceat de beata Cl. Parentis memoria: quam nulla delebit vetustas, nulla hominum ingratorum obliterabit oblivio:

Ergo, dive Parens, carnis compage solutus,
Nunc cognata tibi sidera victor habes.
Nunc coram mirare DEum, magnique Tonantis
Vultus, Ora, Torum, Sceptra, Manumque vides.
Hic major terris, humanas despicis artes,
Et cui nunc pretium fœda libido facit.
Non illic quereris, quos Calculus ingerat, ictus;
Aut labor afficiat sollicitudinibus.
Otia quæ nuper Tibi Musa ingrata negavit,
Hæc nunc in Cœlis otia latus agis.
Cernis, ut humanis nulla est fiducia rebus,
Et vulgi instabilis gratia, fide Deo.
Fide Deo, quicunque voles te credere Fatis;
Alloquio CHRISTI, Cœlicolumque frui.
Corporis exigui parva est jactura: perennes
Ingenii titulos, Fama decusque facit.

Sola Deum Virtus penetrat, metitur & astra;
Est ubi corporibus gratia nulla suis.
Sic, ô dive Parens, quot Musis clara dedisse
Nomina, quàm Frisio commoda multa solo:
Tot pro dote refers, CHRISTO ductore, Triumphos,
Semper ubi nullo fine Triumphus erit.

SCRIPTA.

Princeps Agapetianus, sive Commentatio de officio Principis, vulgo Scheda regia dicta, quam Agapetus Magnæ Ecclesiæ Constantinopol. Diaconus ad Imper. Justinianum I. perscripsit, in LXXII. Aphorismos digesta, & metricis adstricta numeris, *Francofurti* 1603. in 8.

Theatrum Ingenii humani, sive de cognoscenda hominum indole & secretis animi moribus, libri duo. *Amstelod.* 1633. 1048. 1664. in 12.

Fatidica sacra. *ibid.* 1635. in 8.

Triga Scholasticarum artium, sive idea Loquendi seu Grammaticæ, Dicendi seu Oratoriæ artis, & Differendi sive Dialecticæ. *Leovardiæ* 1636. in 8.

Gymnasium Eloquentiæ, sive Institutio studii Oratorii, *Amstelod.* 1641. in 12.

Infantia Imperii Romani sub septem Regibus. *ibid.* 1657. in 12.

Novam quoque Grammaticam edidit unà cum Vibrando Revio & Petro Mollio, illustrium in Frisia Scholarum Rectoribus, &c.





PRO-

PROGRAMMA,
In funere
Viri Amplissimi, Consultissimi atque Excellentissimi,

DN. CHRISTOPHORI NEANDRI,

JCti, Philosophi & Oratoris Celeberrimi in Alma Viadrina Philosophiæ Moralis Professoris Publici, Facult. Philosophicæ atque adeo Academiæ Universæ Senioris longè meritissimi,
III. Idus Decemb. A. C. M DC XLI, Ætatis LXXV. Profess. LIII.
placidissimè defuncti,

Propositum
à
T. M.

APud quos Virtus & literæ in pretio, illis non unum studii, aut testificandi grati animi indicium erga præclarè meritos, quà vivos ac videntes, quà vita functos. Modò id proditum in addito *Cognomine*, quemadmodum (ut eruditorum Heroas tantum attingamus) Accius ALTI, Pacuvius DOCTI, Plato DIVINI, Attilius SAPIENTIS titulo condecorati sunt: modò in *Proëdria*, cujus nostra experimentum ætate, apud illustres Batavos, in Josepho Scaligero, cui in theatro & Lyceo primam occupare sedem fuit integrum: modò in *Statuis* erectis, cujusmodi, non inaurata, sed aurea posita Gorgiæ Leontino, qui primus subitæ & fortuitæ Orationis aperuit fontem à Græcis, Varroni à Romanis, & patrum memoria Erasmo à Roderodamensibus magnificè structæ: modò in *Funere*, vel ex publico, vel alias honorificentissimo ritu facto, quale Platoni, Zenoni, Bianti & aliis, Attica Civitas, Chiloni Panegyris Olympica, Joanni Keplero, Astronomo, fama in altero orbe noto, Comitia Ratisbonensia, paucos ante annos, frequentarunt. Hodie Civitas Francofurtana, si Te Hospitium esse Musarum, eorumque qui Musas colunt, probro non ducis, sed laudi, ho-

die, qui urbem incolitis Cives, sive oppidano gaudeatis foro hodie vestrum est, geminum quidpiam meditari, & ne videantur ante laudandorum præmia desinere, quàm merita de publica & solenni erga DN. CHRISTOPHORUM NEANDRUM, quem dum absque pompa titulorum introducimus, Accio non inferiorem, non indoctiorem esse Pacuvio, non Platoni ingenio, non Attilio sapientia cedere judicamus, animi significatione lubentis cogitare. Et initium sanè fecistis, dum vobiscum erat, non imus inficias, dum, non altum quidem, non doctum, non divinum non sapientem, sed (qui complexus est horum) MAGNUM usurpabatis: Pergite nunc post fata, ubi modestia ejus non reluctatur, honorare Virum, & nomen ejus peplo Minervæ involvere. Quam jure, quàm merito præstiteritis utrumque, tunc intelligetis, ubi hoc quicquid est pittacii funerei, oculis non aversis, lustraveritis. Casu non rarò obvenere cognomenta, quæ postmodum ab ipsa re sic constabilitata sunt, ut centuriatis decreta comitiis credantur: NEANDRO Nostro eo more, appellatio Magni in omnium ore, tum cum Virilem vix togam sumeret, nata, quam & ante indoles ejus præsagivit, & deinceps ingenium, industria, judicium, prudentia, memoria, doctrina (non aberramus, si addiderimus) fortuna constanter adseruerunt. Indoles & ingenium hominum plerumque ita ut cœlum, Athenæo teste, in NEANDRO nostro hæc pulcrè respondent. Bœotico cœlo longè absimile existit *Silesium*. Illud præter Pindarum paucos dedit, quibus non mens suina; istud huic Academiæ (cæteras prætereo) *Gerstmannos, Pelargos, Benckendorffios, Polenios, VVencelios, Ebertos, VVeidneros*, & præter multos Scholæ ocellos, hunc quoque NEANDRUM præbuit. *Crosna*, urbe ad Viadri & Boberæ confluentem sita, & de sese Ducatum integrum denominante, A. R. H. CIↃ IↃ LXVI. mense Octobri. Pater ipsi Vir integræ vitæ ac famæ, ex honesta atque necessaria vitæ tribu, quæ panifico panem liberaliter quæritat, *Christophorus Nevvman*: Mater fœmina sui sexus ornamentis conspicua, *Barbara Remin, Bernhardi Remen*, Civis & moribus & aurifabrili arte inter Crosnates spectatissimi, ex Claro Remorum stemmate Augustæ Vindelicorum oriundi, filia. Non prosequimur longo Syrmate familiam, etsi suo loco non inhonoratam, dum non aliena, sed nostra sectamur: Genus utique à se exordiri, adeoque doctum per Natos, & qui nascantur

ab ipsis propagare, quam à Codro accersere maluit, ideoque intus pungente indole, nomen quidem non mutavit, sed illud (ut amamus) ex vernaculo in doctum transtulit, eoque ipso majoris animi indicium fecit. Hoc in oculos cœpit incurrere, quando in ludum missus est, & quidem maturè, literarium, ubi ingenium ingeniis in cætu comparatum, veluti purpura juxta purpuram, præ aliis emicuit, & magistrorum amorem juxtimque admirationem traxit, animadvertentium nequaquam fundum hic à se sterilem coli. Ex illis in Schola patria extiterunt *Dn. Elias Bartholdus*, Chori primo Moderator, post illa curiæ Senator, & *M. Ioannes Buchnerus*, Rector, tum etiam Pastor & Superintendens Forstensium in Lusatia. Ab his pietatis & bonarum fundamentis artium imbutum, acceperunt ætatis anno XVII. salutis cIɔ Iɔ LXXXIII. circa Martinalia, *Gymnasii Vratislaviensis* Antistites, commendatitiis Buchnerianis ad *Dn. Georgium Leonem*, tertii & secundi ordinis ordine Collegam instructum, quem ipse viva commendatione promotorem illico sibi devinxit. Expoliverunt non impolitum, paternoque sunt amore adolescentem complexi Viti dignitate, autoritate, eruditione, scriptis & præclaris in juventutem meritis longè lateque celebratissimi, *DNN. D. Esaias Heidenreich*, Pastor Elisabethanus, *M. Nicolaus Steinbergius*, Rector, *M. Melchior VVeiglerus*, *M. Martinus Langius*, & *M. Martinus VVeinrichius*, Phrontisterii Collegæ primarii, quorum DN. NEANDER consignavit nomina à nobis non tacenda, quo illo se detestari contestaretur, qui pudori sibi ducunt, fateri per quos profecerint, discipulorum degeneres. Dum ita decertarent, illi docendo sine livore, hic discendo sine pudore, biennium, discipulum à Præceptoribus tam fidis, tam sedulis, pestifera lues grassari orsa A. S. cIɔ Iɔ LXXXV. dirimit, domumque circa Joannis festum propellit, inde circa Michaëlis, domo patria, *Suebosium* ad agnatos ejicit, ubi à supellectile libraria desertus, Magnum illum Homerum magno conamine familiarem reddidit, ex quo non verba duntaxat, verum & res ipsas, ut ex Oceano Mæotis, Mæotide Pontus, Ponto Hellespontus, & ex Hellesponto mare fertur, sibi defluxisse, cum Maximo Tyrio, tota vita gloriatus est. Anno sic exacto sese Magistro, Academicos adit A. S. cIɔ Iɔ LXXXVI. primo vere, profectuum fretus maturitate potius, quam annorum, siquidem undevigesimum modò expleverat. Hic ubi Marchicæ provinciæ magistra venerabilis,

 bilis,

bilis, & (quod de Carthagine olim Philosophus Madaurensis) Camœna togatorum, ingenii nactus theatrum, ad Philosophiæ, quæ non temerè à Plutarcho reliquorum studiorum caput & summa constituitur, fontem bibendum summa aviditate rapitur Crateram eloquentiæ dulcem capiens porrigente publicè *Dn. Andrea VVencelio* Theologiæ tum Licentiato, austerulam Dialecticæ præbente ex ipso Doctore Aristotele *D. Christophoro Pelargo*, Mathematicæ limpidam privatim fundente *M. Davide Origano*, publicè *D. Iacobo Bergemanno*, & post illum *Guilielmo Hildemio*, Physicæ amœnam propinante *D. Iodoco VVillichio*, Ethicæ amabilem *M. Iacobo Eberto*, universæ Philosophiæ Practicæ nectaream iterum domi præbibente *Dn. Hildenio*, novemque Musas pari colit studio, non majori quidem (quod Apulejus de se fatebatur) voluntate, quàm facultate, sed pari. Successus exoptatissimus id testatum fecit non multo post anno supra millesimum quingentesimum octogesimo octavo, quo, cum ipse ætatis annum confecisset XXI. à Decano Collegii Philosophici *M. Andrea Remplero*, Transilvano, insignibus Magisterii condecoratus, confestimque in eam patriam repetentis locum nempe Adjuncturæ, surrogatus est. Producti sic in lucem, procari cœperunt singulares animi dotes, Viri eximii & urbis proceres, qui ipsum *D. Georgii Reinhardi* Consulis ex fratre Hieronymo, Cameræ Spirensis Adsessore, nepotibus, *Georgio Andreæ & Ioanni Christophoro Reinhardis*, *Ephorum* præfecerunt, quorum initia literaria sic est auspicatus, ut ambo in Jureconsultos, hic etiam in Consiliarium Ducis Wirtenbergici intimum evaserint. Porro cum & Cleanthem illum Phreanthlem indefessa opera, & ipsum Demosthenem lucubrando post se relinqueret, & crebris disputationibus subsellia Philosophica frangeret, editis ingentibus ejus Collossi (ut proverbio utimur) frustis, Dn. NEANDRO præter spem, nec opinanti, nec petenti, *Professio Latinæ Linguæ* extraordinaria, die XI. April. Anni Iͻ LXXXIX. oblata, & quod ne Votis quidem concipere ausus erat, eodem anno, d. XIV. Augusti, cum *Balthasar Caminæus*, *M. Michaëli Haslobio*, in Professione Poëtices successisset, *Ordinaria Logices professio*, Rectore Magnifico, *D. Maximiliano de* Straßen, concurrentibus Senatorum testulis, demandata, atque ita ille juvenis inter senes, Discipulus inter Præceptores, quod non nisi edecumatæ præstantiæ ingeniis contingere potest, cooptatus e-

Hic ſpartam ſuam, quam nactus erat, cum ſtrenue ornaſſet, & Logicam Phœnicis Germaniæ *Philippi* bis, Organon *Ariſtotelis* ſemel, advocatis in Conſilium Interpretum Græcorum acutiſſimis, publicè explicaſſet, domi vero etiam *Fortunati Crellii*, veſtigiis Organi preſſiſſimè inſiſtĕtis, Logicam, ſcientiam itidem naturalem, & aliquot *Iſocratis*, illius Atticæ Sirenis, Orationes Græcas expoſuiſſet, uſumque in ϑϑόει & ἀιάλυσει gnaviter commonſtraſſet: factum eſt, ut An. S. IↃ XCIV. tranſeunte D. Eberto, ex ordine Philoſophico ad Theologicum, menſe Junio, *Profeſſio Ethica*, imo *Philoſophia practica*, Rectore *Martino Benckendorffio*, U. J. D. & P. ipſi deferretur. Hæc *Profeſſura Politices*, quam artem ille tuendæ Civitatis, curandæ ſalutis populi, & Reip. adminiſtrandæ, nuncupare ſolebat; adeo ipſi obvenit ad ſalivam, ut totam ipſi vitam impendendam arbitratus ſit. Oblata utique ipſi emergendi ad altiora & lautiora conditio non una, quando anno S. IↃXCVII. ætatis XXXIII. *Ampliſſimus Senatus Rigenſis in Livonia*, per *Davidem Hilchenium*, & D. *Michaëlem Bolfraſium*, de Pro-Syndicatus & Legati in Poloniam munere obeundo, ipſius tentaret voluntatem: Quando *Illuſtriſſimus Dux Olsnenſis Carolus*, tutorio nomine, vocationis literas ad Rectoratum & Inſtitutionum Imperialium Profeſſionem in reſtaurato Gymnaſio Bregenſi A. R. cIↃIↃcIV. ipſi transmitteret: Quando *Sereniſſimus Elector Brandeburgicus Ioachimus Fridericus*, in aulam transferri, inter Conſiliarios legi, Oratoris, Legati, & Secretarii Latini officio fungi, non ipſius tamen ingratiis, clementiſſimè A. R. IↃcV. cuperet: Verùm quod de *Zenone* pronunciabat *Nazianzenus* Theologus, ad Philoſophicum pallium fortuna, imo providentia potius divina, *Noſtrum* rejectũ, paruit. Sive enim vitæ Academicæ tranquillitas, ſive Aulicæ lubricitas, ſive Valetudinis inconſtantia, ſive laudata illa in omnibus verſandi artibus (ut Syneſius vocat) πολυπραγμοσύνη, ſive doctrinæ profeſſio, quæ Conſiliarios & Oratores facit, ſive auditorum erga ſe atque Collegarum ſingulare ſtudium, ſive iſta omnia, diverſum *Macarita* ſuaſerunt, non minori profecto literarum & Reip. bono. Etenim cum Dn. NEANDER Auctores, qui doctos, pariter atque bonos efficiunt, ſic pernoviſſet, ut Ariſtotelem ſuum, Senecam ſuum diceret, Hippocratem & Galenum Meditrinæ duumviros, ſic, uti Medicorum filii ingenui, calleret: nihil ſacrarum profanarumque literarum ignoraret; ita ela-

borata

borata & testimoniorum copiis suffulta, ita emblematibus ita verborum & sententiarum flosculis intertexta auditorio proposuit, alternis, modò moralia, modò civilia præcepta ut hoc in genere nihil lucem adspexisse limatius atque elegantius, adseverare non dubitent illi, qui viro aurium ædiculas commodarunt. Hos certe, tanquam Hercules quidam Celticus, Suadæ catenula duxit Principes, Duces, Comites, Barones, Nobiles φιλομαθεῖς promiscue omnes, ut Socratem quendam, aut Platonem sibi audire viderentur, & perinde censerent NEANDRUM non audivisse docentem dicentemve, atque in Academia non vixisse. Ad hæc florem non tantum facultatum & dominam atque reginam, Politicam habebat, cum Philosophorum Dictatore, sed ejus fructum in rivulis, nempe Jurisprudentiæ quærebat, quæsitum vulgabat. Erubescebat ut Philosophus sine ratione, ut Jureconsultos sine lege loqui. *Institutiones juris* prælegendo domestico auditorio, ita frequenti, ut à nullo publico superaretur, *sexies*, pace summa Antecessorum juris, *absolvit*, *titulum de V. S. paratitla* (ut vocant) *VVesembecianis* aliquoties *enodavit*, imo & se uti illis, quæ cognita haberet nosse, docuit; quando operam suam, cum virerent genua, Viris nobilibus, in patrocinando, in cavendis decipulis adversantium, & exorabulis judicantium avertendis, in commissionibus & transactionibus locaret, cum vero sequi lites artuum infirmitas non indulgeret, domi nihilominus consuleret consulentibus, & in negotiis Academicis præcipue sive Stentaliæ, sive Berolini, sive in Senatu sive judicio nostro expediendis, dexteritatem suam abunde probaret. Prudentiæ Viri testimonium omni exceptione majus est, quod sæpius, quam pro annorum intervallo, *sceptra* ipsi Academiæ tradita, id quod factum *sexies*: quod in summa hujus Academiæ festivitate, seculari nempe A. IↃ C VI. summa cum laude, ab ipso gesta: quod nunquam non clavum rectum tenuit navimque sine & salutis publicæ & æstimationis suæ naufragio gubernavit. Adhæc quod *Decanatus Philosophici* axiomate *quater & decies* functus est, ut inter cæteros Collegas, imo præ cæteris, egregiis gavisus Promotionibus, LXXV. Viris doctis Corollam Apollinarem sua manu imposuerit. Neque vero Magistratus solummodo Virum ostendere solet, sed & matrimonium certe NEANDRINUM ostendit. Quando enim ipsi in manu convenisset A. S. IↃ XC. feriis Bacchanalium, aut ut nobis Passionalium

IↃ XO A

nalium, & quidem ad aram publicam, tum puella virtutum & castitatis dote opulentissima *Anna*, Clarissimi & Experientissimi Medici *D. Ioannis Cnoblochii* Prof. P. *filia*, non amplexus est eam in nuptiis tantum hilariter, sed & toto conjugii tempore, quod ultra seculi dimidium extenditur, ita habuit humaniter, ut ambo conjuges (verba mariti agnoscite) nunquam irati dormitum iverint: *Liberos* ex ea, qui vitales fuerunt, utpote ex Masculis VI. & V. fæmellis, filios duos, & filiam unam, sic educavit liberaliter, ut *Samuel* & *Ioannes* LL. Candidati, inque Academiis exteris paterno sumtu nutriti, Syndicatus & Advocaturæ dignitatem, ille apud Luccavienses in Lusatia, hic in Electorali Dicasterio Custrinensi, præclarè tueantur; nata vero *Dorothea-Sybilla*, *Dn. Samueli Gerstmanno*, Consuli hujus Urbis Seniori, secundis votis expetita fuerit: Familiam denique ita rexit circumspecte atque frugaliter, ut bonum Patremfamilias, quem legibus Oeconomicis fingebat, ad vivum ipse exprimeret. Judicii & memoriæ rarum in uno cerebro contubernium, in NEANDRO vero, hæ tanquam germanæ sorores ita conjuraverant, ut virum ante fata non desererent. Memoriæ vis aliis adfuit præstantissima, ita tamen infideliter, ut vix viri ne nominis quidem proprii meminerint; Dn. NEANDRO adfuit & præstantissima & constantissima, qui se callere decrepitum ea, quæ puer imbiberat, non semel, nec falso prædicabat. A Demosthene legimus Phocionem securim vocatum Orationum suarum: ejusmodi securis scriptorum & exercitiorum, ut omnium, ita potissimum Academicorum, erat Dn. NEANDER, cujuscunque ea erant artium aut facultatum, acriter ab ipso examinata & sedulo pensiculata, limam ejus & lineam, citra tamen auctorum injuriam (ab hac enim erat alienissimus) admittebant. Magna hæc & divina, quæ hactenus adumbravimus beneficia: sed verum verbum est profecto, quod ajunt: *Nihil homini tam prosperum divinitus datum, quin ei tamen admixtum sit aliquid difficultatis, conjugatione quadam mellis & fellis.* Id etiam inter commoda sua usu expertus est Dn. NEANDER, qui primo Rectoratu, *Patrem*, secundo *Matrem*, & subinde diverso tempore *caros liberos*, ante quadriennium etiam elocatam Consuli natam flebiliter amisit, qui vitam divisit inter prosperam valetudinem & adversam, & ingravescenti ætate Martios ungues sensit in facultatibus: verum ut Doctor Magnanimitatis, magno hæc & constanti supera-

vit

Audite hæc animis illæ, qui cernitis, æquis;
Ajunt, ne sævas esse putate Deas.
De nobis meruit bene præclareque NEANDER,
Qui nostri vindex semper honoris erat.
Hæc sibi mortales poni monumenta laborent;
Mors nihil in Nostrum pallida juris habet.
Docta per ora virûm volitat superatque NEANDER,
Cumque sitis planè nil habet ille rei.
At Mausoleum, quod non abolere vetustas
Ulla potest, scriptis condidit ipse sibi.
Quæ nostrum sapiunt nectar Charitumque leporem,
Æternum vivent hæc monumenta Senis.
Doctorum concors vox flagitat ista virorum,
In laudem soboles profer honora patris.

M. JOANNES MOLLERUS,
Rector Scholæ Francofurtanæ.

SCRIPTA.

Disputationes Logicæ. *Francof. ad Oderam* 1591. in 4.
Disputationum Physicarum Heptas. *ibid.* 1590. in 4.
Oratio de vita & fato Adriani Albini, *ibid.* 1592. in 4.
Disputationes Physiologicæ XII. *ibid.* 1592. in 4.
Disputationes Ethicæ. *ibid.* 1593. in 4.
Bacchanalia, *ibid.* in 12.
Orationum funebrium in Marchiæ Brandeburgicæ Academia habitarum Decades V. *ibid.* 1614. in 8.
De potestate Principis. *ibid.* in 12.
Ego ipse, sive farrago quæstionum. *ibid.* in 12.
Orationes Politicæ, *Berolini* 1666. in 8.

(o)

MAR-

MARTINI à WYBINGA,
Jurisconsulti & Antecessoris Ordinarii in illustri Frisiorum Academia Franequerana,

LAUDATIO FUNEBRIS,

Habita
Post Exequias in Templo Academico,
In Honorem ac Memoriam
Viri Excellentissimi, Clarissimi ac Spectatissimi,

DN. PIERII VVINSEMII,

JCti, Illustr. ac Præpotentum ORDINUM Frisiæ Historiographi Celeberrimi, Eloquentiæ Professoris Famosissimi in Academia Patria.

NObilissimi, Amplissimi, &c. Quantis calamitatum, miseriarum, ærumnarumque fluctibus gravissimis ac decumanis, genus humanum passim obnoxium sit, testatur continua ac jugis rerum humanarum tristis ac subitanea mutatio & catastrophe. Testatur in primis celeberrima ac famosissima hæc Academia Patriæ, quæ proh dolor! non quotannis, verum singulis fermè semestribus aut trimestribus, gravissimo lethalique vulnere sauciatur ac lancinatur. Ut enim unda undam trudit: sic publicus luctus & squalor, publicum antecedentemque è vestigio subsequitur. Excessit, pronuper ex hac vita, camposque Elysæos petiit, unde negant redire quenquam, Nobilissimus, Acutissimus nec non Theologorum hujus ævi facile Princeps, JOHANNES MACCOVIUS, SS. Theologiæ Doctor & Professor primarius, Collega conjunctissimus ac dilectissimus. Hoc gravissimo vulnere Academico non contenta, non satiata, dira ac implacabilis Dea Morta, iterum ex improviso, quasi per cuniculos aggreditur ac adoritur, ipsas Athenas Attico-Frisiacas, ac incomparabilem summumque Virum, Clarissimum Collegam, DN. PIERIUM WINSEMIUM, J.U. Doctorem, Eloquentiæ Professorem, Patriæ Historiographum, Academiæ decus ac columen æternum, præter omnium

Audite hæc animis illæ, qui cernitis, æquis:
Ajunt, ne sævas esse putate Deas.
De nobis meruit bene præclareque NEANDER,
Qui nostri vindex semper honoris erat.
Hæc sibi mortales poni monumenta laborent;
Mors nihil in Nostrum pallida juris habet.
Docta per ora virûm volitat superatque NEANDER,
Cumque sitis planè nil habet ille rei.
At Mausoleum, quod non abolere vetustas
Ulla potest, scriptis condidit ipse sibi.
Quæ nostrum sapiunt nectar Charitumque leporem,
Æternùm vivent hæc monumenta Senis.
Doctorum concors vox flagitat ista virorum,
In laudem soboles profer honora patris.

M. JOANNES MOLLERUS,
Rector Scholæ Francofurtanæ.

SCRIPTA.

Disputationes Logicæ. *Francof. ad Oderam* 1591. in 4.
Disputationum Physicarum Heptas. *ibid.* 1590. in 4.
Oratio de vita & fato Adriani Albini. *ibid.* 1592. in 4.
Disputationes Physiologicæ XII. *ibid.* 1592. in 4.
Disputationes Ethicæ. *ibid.* 1593. in 4.
Bacchanalia, *ibid.* in 12.
Orationum funebrium in Marchiæ Brandeburgicæ Academia habitarum Decades V. *ibid.* 1614. in 8.
De potestate Principis. *ibid.* in 12.
Ego ipse, sive farrago quæstionum. *ibid.* in 12.
Orationes Politicæ. *Berolini* 1666. in 8.

(o)

MARTINI à WYBINGA,

Jurisconsulti & Antecessoris Ordinarii in illustri Frisiorum Academia Franequerana,

LAUDATIO FUNEBRIS,

Habita

Post Exequias in Templo Academico,

In Honorem ac Memoriam

Viri Excellentissimi, Clarissimi ac Spectatissimi,

DN. PIERII VVINSEMII,

JCti, Illustr. ac Præpotentum ORDINUM Frisiæ Historiographi Celeberrimi, Eloquentiæ Professoris Famosissimi in Academia Patria,

NObilissimi, Amplissimi, &c. Quantis calamitatum, miseriarum, ærumnarumque fluctibus gravissimis ac decumanis, genus humanum passim obnoxium sit, testatur continua ac jugis rerum humanarum tristis ac subitanea mutatio & catastrophe. Testatur in primis celeberrima ac famosissima hæc Academia Patriæ, quæ proh dolor! non quotannis, verum singulis ferme semestribus aut trimestribus, gravissimo lethalique vulnere sauciatur ac lancinatur. Ut enim unda undam trudit: sic publicus luctus & squalor, publicum antecedentemque è vestigio subsequitur. Excessit, pronuper ex hac vita, camposque Elysæos petiit, unde negant redire quenquam, Nobilissimus, Acutissimus nec non Theologorum hujus ævi facile Princeps, JOHANNES MACCOVIUS, SS. Theologiæ Doctor & Professor primarius, Collega conjunctissimus ac dilectissimus. Hoc gravissimo vulnere Academico non contenta, non satiata, dira ac implacabilis Dea Morta, iterum ex improviso, quasi per cuniculos aggreditur ac adoritur, ipsas Athenas Attico-Frisiacas, ac incomparabilem summumque Virum, Clarissimum Collegam, DN. PIERIUM WINSEMIUM, J.U. Doctorem, Eloquentiæ Professorem, Patriæ Historiographum, Academiæ decus ac columen æternum, præter omnium

Audite hæc animis illæ, qui cernitis, æquis:
Ajunt, ne sævas esse putate Deas,
De nobis meruit bene præclareque NEANDER,
Qui nostri vindex semper honoris erat.
Hæc sibi mortales poni monumenta laborent:
Mors nihil in Nostrum pallida juris habet.
Docta per ora virûm volitat superatque NEANDER,
Cumque sitis planè nil habet ille rei.
At Mausoleum, quod non abolere vetustas
Ulla potest, scriptis condidit ipse sibi.
Quæ nostrum sapiunt nectar Charitumque leporem,
Æternûm vivent hæc monumenta Senis.
Doctorum concors vox flagitat ista virorum,
In laudem soboles profer honora patris.

M. JOANNES MOLLERUS,
Rector Scholæ Francofurtanæ.

SCRIPTA.

Disputationes Logicæ. *Francof. ad Oderam* 1591. in 4.
Disputationum Physicarum Heptas. *ibid.* 1590. in 4.
Oratio de vita & fato Adriani Albini. *ibid.* 1592. in 4.
Disputationes Physiologicæ XII. *ibid.* 1592. in 4.
Disputationes Ethicæ. *ibid.* 1593. in 4.
Bacchanalia, *ibid.* in 12.
Orationum funebrium in Marchiæ Brandeburgicæ Academia habitarum Decades V. *ibid.* 1614. in 8.
De potestate Principis. *ibid.* in 12.
Ego ipse, sive farrago quæstionum *ibid.* in 12.
Orationes Politicæ, *Berolini* 1666. in 8.

❧ (o) ❧

MARTINI à WYBINGA,

Jurisconsulti & Antecessoris Ordinarii in illustri Frisiorum Academia Franequerana,

LAVDATIO FVNEBRIS,

Habita

Post Exequias in Templo Academico,

In Honorem ac Memoriam

Viri Excellentissimi, Clarissimi ac Spectatissimi,

DN. PIERII VVINSEMII,

JCti, Illustr. ac Præpotentum ORDINUM Frisiæ Historiographi Celeberrimi, Eloquentiæ Professoris Famosissimi in Academia Patria.

NObilissimi, Amplissimi, &c. Quantis calamitatum, miseriarum, ærumnarumque fluctibus gravissimis ac secumanis, genus humanum passim obnoxium sit, testatur continua ac jugis rerum humanarum tristis ac subitanea mutatio & catastrophe. Testatur in primis celeberrima ac famosissima hæc Academia Patriæ, quæ proh dolor! non quotannis, verum singulis fermè semestribus aut trimestribus, gravissimo lethalique vulnere sauciatur ac lancinatur. Ut enim unda undam trudit: sic publicus luctus & squalor, publicum antecedentemque è vestigio subsequitur. Excessit, pronuper ex hac vita, camposque Elysæos petiit, unde negant redire quenquam, Nobilissimus, Acutissimus nec non Theologorum hujus ævi facile Princeps, JOHANNES MACCOVIUS, SS. Theologiæ Doctor & Professor primarius, Collega conjunctissimus ac dilectissimus. Hoc gravissimo vulnere Academico non contenta, non satiata, dira ac implacabilis Dea Morta, iterum ex improviso, quasi per cuniculos aggreditur ac adoritur, ipsas Athenas Attico-Frisiacas, ac incomparabilem summumque Virum, Clarissimum Collegam, DN. PIERIUM WINSEMIUM, J.U. Doctorem, Eloquentiæ Professorem, Patriæ Historiographum, Academiæ decus ac columen æternum, præter omnium

bonorum ac doctorum Virorum Votum, præter omnem expectationem, in ipso florentis ac vigentis ætatis flore atque vigore (lucis præsentis) usura privavit.

-- -- - - - Nec non Fati

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Ex hoc clarissimi ac celeberrimi Viri discessu ex hac vita quantum publica ac Academica res detrimenti capiet, sentiet, testabuntur fortean seri nostri nepotes, omnesque illi, quibus studia bonæque artes curæ ac cordi imposterum erunt. Hujus igitur summi ac incomparabilis Viri exequias, dum omnes ac singuli hodie pulla veste, longoque Syrmate ex officio caritatis ac Christianæ συμπαθείας iverimus lessumque fecerimus: Unicum hoc tandem, Auditores Ornatissimi, restat, ut ex laudabili instituto hujus Academiæ piis manibus denati Μακαρίτȣ parentemus: Quamvis quidem clarorum Virorum fama, ex se æterna, ex se quoque immortalis sit: Nihil tamen unquam sanctius habet habuitque reverentia superstitum, quàm ut amissos cum pia veneratione ac memoria recordetur: dandum enim hoc illustrium virorum posteritati, (Tacitô teste) ut quomodo exequiis, à promiscua sepultura mortalium separentur, ita in traditione supremorum accipiant, habeantque propriam memoriam ac laudem. Sic enim olim Atheniensium Oratores, eos qui bello Persico ad Platæas mortem fortiter pro salute patriæ oppetierant, funebri laudatione publice prosecuti sunt. Sic quoque Fabius Maximus Publium Scipionem, sic Julius Cæsar Juliam Caji Marii uxorem, amitam suam, amplissimis ac magnificis verbis in supremo funere publicè pro concione ornarunt ac laudarunt. Sic & Appii Decemviri defuncti funebrem laudationem sequutis temporibus, æquis auribus Plebs Romana audivit ac accepit.

Qua quoque de causa indubie moti, proximi heredes ac amici denati nostri Collegæ ac Μακαρίτȣ etiam atque etiam à me flagrantissime & instanter petierunt, ut hoc extremum Christianæ pietatis officium in me reciperem. Accessit quoque præterea Amplissimi Senatus Academici decretum, quo, per delegatum, hanc dicendi Provinciam impræsentiarum humeris meis imposuerunt, quod pietatis, quod humanitatis officium, tum Senatui Academico Amplissimo, tum denati Μακαρίτȣ amicis, nullam excusationem planè pleneque admittentibus, tum imprimis familiari amici-

amicitiæ, quam cum demortuo, constanter, pie, religiose semper colui & habui, me debere existimavi. Verum enimvero cum probe novi, quid humeri valeant, quid ferre recusent, & quam curta domi nobis sit in dicendo supellex; proinde omnes ac singulos (Auditores Ornatissimi) vos etiam atque etiam rogatos volo, ut præsentem hanc oratiunculam non gravate accipere & excipere dignemini, in qua si fortean verborum pondus, elegantia, splendor, cæteraque oratoria ornamenta desiderentur, cogitate quæso, non ab Rhetore, aut Rhetoris filio proficisci, verum ab eo, qui parum aut nihil à facundia possit. Ne igitur (Aud. Orn.) diutius animos vestros, longa per exorsa, suspensos teneam, (novi enim optime quam odiosa ac tædiosa sit Circensibus pompa) paucis & Laconicæ orationis penicillo adumbrabo, ac delineabo nostri Μακαρίτȣ nativitatem, educationem, studia, vitam, mores & mortem. Nativitatis locum quod concernit, natus est ὁ Μακαρίτης Leovardiæ Frisiorum, Anno Æræ Christianæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, quæ totius provinciæ nostræ caput ac Metropolis est, claris ac stupendis ingeniis clara ac superba, juxta illud Poëtæ:

Doctorum genitrix LEOVARDIA clara Virorum.

Permagni ut plurimum refert, an quis Vervecum in patria; crassoque sub aëre;

Colchisne natus, an enutritus Athenis sit.

Sic Plato (uti memoriæ proditum est) imprimis maximam felicitatis suæ partem urbi, in qua natus ac educatus erat, adscripsit: *Quotidie Dis immortalibus singulares gratias referens, quod Athenis non Thebis natus esset:* non secus ac si tacitè Philosophorum Princeps innueret, summa ac excelsa ingenia, & ad magna nata, non nisi in summis ac excelsis locis lucem aspicere. Quod nativitatis præsagium si verum unquam fuit, sane in nostro Μακαρίτῃ verissimum fuit.

Ad Parentes quod attinet: honestissimis ac præstantissimis est natus Parentibus; patrem habuit, Virum Clarissimum omnigena literatura politiori & Philosophia, nec non arte Oratoria exercitatissimum, Liberalium artium Magistrum, HAJONEM PIERII WINSEMIUM, Præfectum ludi literarii Leovardiensis vigilantissimum: Matrem habuit THOMULAM MENEMIAM, Matronam honestissimis civibus Leovardiensibus oriundam. Præterea fratrem MENELAUM WINSEMIUM, SS. Medicinæ Do-

ctorem, πρᾶξιν, Anatomices & Botanices Professorem, donec patria Academia stetit, per viginti (& quod excurrit) annos longè celeberrimum. Scilicet (Poëta teste)

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis, patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Hujus patris prædicti (ut revertar ad id, unde digressus) ὁ μακαρίτης noster & χειραγωγία aut privata manuductione in studiis suis tantùm profecit, ut postmodum accedente institutione Conrectoris THEODORI LAVERMANNI, imprimis vero superveniente tandem institutione Clarissimi Viri, JOHANNIS FUNGERI, J. U. & Medicinæ Doctoris, Scholæ Leovardianæ Gymnasiarchæ quondam longè famosissimi, brevi temporis spatio reliquos suos condiscipulos longis parasangis felicitate, dexteritate ingenii ac profectu studiorum antecesserit, ita ut anno ætatis suæ decimo quarto, post varia singularis eruditionis specimina, in Latina ac Græca Poësi, nec non in Orationibus methodicè dispositis facundèque habitis, ex angustiis studiorum carceribus emissus, & quasi à patre manumissus aut emancipatus, ad augusta, ingenua, ac liberalia Academica studia & exercitia publica fuerit admissus, ac receptus in album aut matriculam Academiæ, Anno millesimo sexcentesimo primo, decimo tertio Aprilis, Rectore ac Dictatore Academico magno illo (piæ memoriæ) JOHANNE ARCERIO THEODORETO, Græcæ linguæ Professore celeberrimo. Academiam hanc vix ac ne vix ingressus, mox Orationem publicam pro rostris Academiæ habuit in solenni panegyri, ad admirationem ac stuporem Auditorum ac Clarissimorum Dominorum Professorum, cum adhuc ejus esset staturæ ac proceritatis, ut hypopodio statura sublevanda fuerit, ne fortè alias sanna postica aut antica ab auditoribus exciperetur, aut exploderetur. Ingressus hanc Academiam mox invenit amicos ac Mecænates magnos, imprimis in Græca lingua JOHANNEM ARCERIUM THEODORETUM; in Logica Clarissimum DN. LOLLIUM AB ADAMA: in Physica magnum illum HENRICUM DE VENO, J. U. & Medicinæ Doctorem, Liberaliumque Artium Magistrum, sub cujus præsidio plurimas quæstiones in publico congressu acutè defendit, tanta cum animi alacritate, tanta promptitudine, tanto judicio, ut ipsius Præses

in

in publica disputatione, Collegam ipsum nominare ac salutare, non dedignatus fuerit. Horum fideli ne dicam paterna institutione pro tempore usus, tandem ad studium Medicinæ animum applicuit: ut autem cum fructu fieret, nihil prius aut antiquius nostro μακαρίτῃ fuit, quàm ut se in singularem favorem Clarissimorum DD. Professorum, præsertim Clarissimi Domini AULÆTII: nec non Viri Celeberrimi RAPHAELIS CLING-BYL insinuaret, sub cujus quoque præsidio publicè de igne elementari disputavit cum summa circumstantium admiratione, usque adeo ut in publica disputatione Præses aut Moderator publicè in hæc verba eruperit: *Quis Spiritus hunc juvenem ac Respondentem agit? Videtur ad magna natus.* Paulò post Athenas Frisicas ὁ Μακαρ.της deserens, ut uberiorem studiorum suorum fructum & messem consequi posset, (tanquam ad uberiorem mercatum) sese ex consilio patris, rectà Lugdunum Batavorum contulit. In qua illustri ac celeberrima Academia itidem (uti Franequeræ fecerat) in omnium DD. Professorum gratiam ac singularem favorem se insinuavit, præsertim in gratiam ac amicitiam Clarissimorum Dominorum Professorum PAULI VORSTII, Medici, HUERNII, DANIELIS HEINSII, nec non MERULÆ, quorum omnium institutione ac familiaritate quotidie uti frui nostro μακαρίτῃ in summis delitiis fuit, qui omnes & singuli ipsum singulari affectu, amore & favore prosequebantur, summasque ingenii dotes admirabantur ac venerabantur. Ne tamen cochlearum instar, aut domi ad focum delitesceret, aut in una atque altera Academia consenesceret aut oberraret, relicta Leyda censuit exteras regiones & Academias quoque lustrandas esse,

— — Et ire per omnes
Terrasque tractusque maris. — —
Vt mores hominum multorum cernat & urbes.

Voluntariumque (amore literarum) exilium decennale in se ὁ Μακαρίτης suscepit, bisque se in Germaniam omnium nationum matrem, studiorumque alumnam & altricem se recepit: ibidemque mutato studii Medici cursu, se ad divinarum ac humanarum rerum scientiam, justi atque injusti notitiam, artem æqui & boni, id est, ad Jurisprudentiam se contulit, sive hoc aut proprio Naturæ ductu ac instinctu factum sit, sive amicorum Mecænatumque hortatu ac suasu, nec ne, non satis constat. In Germania ubi vixit Helmstadii,

dii, Erfordiæ, Jenæ, aliisque in locis, summam quoque mo cum summis viris ac JurisConsultis familiaritatem ac amicitiam inivit ac contraxit: Imprimis vero Jenæ cum magno illo JurisConsultorum Coryphæo ac Dictatore, conterraneo suo, DOMINICO ARUMÆO, *Frisio*, ex vicino pago *Arum* patriciis parentibus oriundo. Cum hoc JurisConsulto, nec non Consiliario Ducis Brunsuicensis, Doctissimo Domino FOPPIO AB ÆTSEMA, conterraneo, familiarissimè, quoque toto illo tempore, quo in Germania hæsit ac vixit, conversatus est. Postmodum, relicta Germania, contulit se ὁ Μακαρίτης, ut alias quoque lustraret Academias longe celeberrimas, in Succiam, nec non paulo post in Gallias, ut summis Galliæ luminibus, JurisConsultis, Politicis, & Historicis quoque innotescere posset, quibus omnibus in locis, propter singulare ingenii acumen & naturæ donum, apud summos JurisConsultos, Politicos, ac Historicos, in summo honore ac æstimio fuit; qui omnes ac singuli, singulari amore & favore, quà publicè, quà privatim Μακαρίτην prosequebantur. In Galliis dum agit, ut studiorum suorum fructum consequeretur, debitosque Virtuti ac eruditioni honores ac dignitates reportaret, visum ipsi fuit, ad Lauream Doctoralem adspirare, eamque Anno millesimo sexcentesimo undecimo, vigesima prima Mensis Aprilis, in Academia Cadomensi, post publicam Disputationem de Testamentis habitam, consecutus est, præsentibus multis Proceribus, Clarissimis Dominis Professoribus, Doctoribus, Licentiatis & Magistris, postquam cum summo omnium applausu publicè disputavit, qua Disputatione peracta, stupendum hoc ingenium omnes in admirationem sui rapuit. Relicta Gallia postquam per continuum decennium propriis sumptibus ætatem in diversis celeberrimis Academiis egisset, visum ipsi fuit, tandem rectà in patriam ad Amicos ac Mecœnates tendere, quos non paucos sibi addictissimos ac faventissimos habuit, invenit, & fecit, usque adeo ut quasi mutua æmulatio ac concertatio pia ac religiosa inter illos fuerit, dubiumque ac ambiguum sæpe foret, plusne noster Μακαρίτης diligeret ac æstimaret Mecœnates, an vero vice versa illi nostrum Μακαρίτην domum reversum. Ne segne otium Magnifico nomine velaret, Doctorisque Titulum ac gradum ad inanem pompam ac ostentationem haberet, coram suprema Frisiæ curia (post immatriculationem) Praxin Forensem exercere cœpit; Verum nec illa

illa res feliciter ipsi ex animi voto ac sententia cessit, mox enim in ipso ingressu ac praxeos limine defecit, ac descivit, Foroque valedixit, repudium misit, divortiumque à Foro fecit, jussitque (more solenni Romano) forenses res suas sibi habere. Moxque ad Theoreticum, tranquillum, modestum, ac placidum vitæ genus se contulit, Rus in Tusculanum suum nimirum privatus, ut altum dormiret, nec non in tanto liberius philosophari ac meditari posset remotis arbitris,

Scilicet, secessum scribentes & otia quærunt,
Sylva placet Musis, urbs est inimica Poëtis.

Vel quia cum Poëta Lyrico, beatum illum existimavit:

-- -- Qui procul negotiis
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercent suis
Solutus omni fænore
Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina. -- -

Dum totus in Theoretico ac solitario hoc rurestris vitæ genere est, seque privatis Musis oblectat, ecce derepente ex improviso ad gravissimum ac præclarissimum Historiographi munus ab Illustribus ac Præpotentibus Frisiæ ORDINIBUS vocatur, non secus ac si patriæ Proceres Clarissimo Μακαρίτῃ doctum hoc & solitarium otium inviderent, existimantes scilicet, tam nobile ac portentosum ingenium ruri non debere in privatis speculationibus consenescere aut torpescere, verum illa meditari, aggredi, æternæque memoriæ posterorum consecrare, quæ ab ipso Regifugio inter Potentissimum Regem Hispaniæ, nec non inter Proceres hujus Provinciæ domi & foris gesta sunt, post violatas Leges fundamentales Unitarum Provinciarum, post violatum jus Gentium, post violata fœdera, post violata pacta publica, post violata pedibusque conculcata (tyrannide Hispanica) Privilegia Majorum: Et quod caput rei est, post introductam tyrannicam Conscientiarum mortalium Inquisitionem, Orthodoxæque Religionis Reformatæ suppressionem & extirpationem. Hanc Historici Patriæ spartam ac Provinciam sibi ab Illustribus ac Præpotentibus Ordinibus hujus Provinciæ concreditam, fideique suæ commissam, quanta cum laude immortalique fama Μακαρίτης noster ad æternam memoriam decusque Patriæ exornarit, testabitur ipsa Historia, quæ jam sub prælo est, brevique lucem aspe-

ctura est, instantibus proximis Comitiis Patriæ. Ex eo eni
tempore, quo primam Historiæ suæ partem publici fecit j
ris mox quasi agminatim per literarum commercium, V
totius Europæ celeberrimi ac famosissimi (profundam er
ditionem Μακαρίτε admirantes) primas ipsi detulerunt, a
que ad cœlum usque laudibus encomiisque extulerunt, u
videre est ex literis incomparabilis ac immortalis Herois
JOSEPHI SCALIGERI, HUGONIS GROTII, PAU
LI LUBBERTI, Legati Illustrissimi Regis Sueciæ, DA
NIELIS HEINSII, PONTANI, CATZII, GRAS
VINKELII, ZEVECOTII: nec non quoque liquet e
commendatione AMMIANI STRADÆ, Jesuitæ Roma
ni, qui non semel atque iterum, verum multoties in Histo
ria sua nostri Μακαρίτε honorificam mentionem facit, sum
meque commendat. Verum Historici Patriæ munus cum
per viginti quatuor, aut quod excurrit, annos, Μακαρίτη
fideliter bona fide obivisset; visum deinde Illustribus a
Præpotentibus Frisiæ Ordinibus, nec non Nobilissimis a
Amplissimis almæ hujus Academiæ Curatoribus, Μακαρίτη
nostro propter summam spem, quam de illo conceperant
injungere ac demandare quoque ordinariam Historiam &
Eloquentiæ Romanæ Professionem, quam Anno millesimo
sexcentesimo trigesimo sexto, die VII. Decembris, post pu
blicam Inaugurationem, Rectore Clarissimo, Collega GE
ORGIO PASORE, (piæ memoriæ) aggressus est, in qua
professione quantus Μακαρίτης fuerit, Vos Frisii, Vos Bel
gæ, Germani, Sueci, Sarmatæ, Ungari, Dani, Norvegi
Galli & Angli, qui quotidie ad ipsius lectiones publicas agmi
natim, tanquam ad uberem mercatum, confluxistis: teste
omni exceptione majores esse potestis. In hac Academica
dignitate, ab Illustribus ac Præpotentibus Frisiæ Ordini
bus constitutus, Amplissimos quoque Academiæ honores
ac dignitates Anno cIↄ Iↄc XXXIX. sustinuit, Recturæque
honos ipsi, concordibus Senatus Academici suffragiis, de
mandatus est, in qua summa dignitate ac Præfectura Aca
demica positus; se muneri isti parem ostendit, juxta illud
tritum Græcorum proverbium ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι, id est,
Magistratus virum ostendit: cum alias, Tacito teste: *Pluri
mi boni sint ante imperium, pauci in imperio.* Leges Aca
demicas quas sartas tectasque se conservaturum juraverat,
pie, religiose & mascule defendit, & quidem ea tempestate,
qua boni mores in hac Academia proh dolor! non colebantur,

tur, sed exulabant. In Academia hac dignitate positus ὁ Μακαρίτης cum per octennium firma solidaque valetudine ut plurimum praeditus fuisset, post varia edita eruditionis suae monumenta, post Historiam ad umbilicum deductam, post Syrium editum, post Amores editos, post varias editas Orationes funebres; tandem pridie Calend. Nov. anni praesentis cIↃ IↃc XLIV. qui dies erat Mercurii, mane Lethargo exquisito ac legitimo corripitur ac infestatur, usque adeo ut mox neminem Amicorum aut Collegarum dignosceret aut alloqueretur, verum toto decubitus tempore omni loquela, & quantum extrinsecus dijudicare licuit, etiam omni rationis usu & sensu destitutus fuerit. Hoc gravi ac tristi spectaculo attoniti ac contristati Amici ac proximi Haeredes, è vestigio atque confestim curaverunt vocari Clarissimum Dn. PHOCYLIDEM HOLVERDA, nec non Doctissimum VIBRANDUM REVIUM, SS. Medicinae Doctores, qui post varias deliberationes ac consultationes, ultrò citroque habitas, judicabant ex re aegri esse, tertium Medicum vocari, ne quid temerè in tam periculoso symptomate aut morbo acuto statueretur. Evocatur igitur Harlinga, D. JOHANNES ANSTA, Medicus ejusdem Reipublicae Ordinarius, ac Practicus summus, Ἰατρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Hic ubi nocte concubia aut intempestiva appulisset, communicato consilio, cum praedictis Medicis, suasit φλεβοτομίαν aut Venae Sectionem instituendam ac tentandam esse, quae etiam mox subsecuta est. Verum enim vero cum ne sic quidem feliciter hoc negotium succederet ex voto & opinione Medicorum, proinde de aliis quoque mediis aut remediis inter Medicos deliberatum ac disceptatum fuit, quae tamen pro illo temporis momento dilata fuerunt, donec aut melior & commodior εὐχειρία occurreret, aut se offerret. Verum enim vero cum post tentata omnia remedia, quae in hoc casu, ex Medicorum opinione ac sententia, aut Schola & adhiberi soleant & applicari, incassum cederent, decessit interim Μακαρίτης, Vir Clarissimus, ex hac vita, quarto Nonarum Novembris, circa mediam septimam vespertinam, Anno aetatis quinquagesimo octavo. O tristis, funesta, infausta nox! nigro signanda lapillo, quae omnium Doctissimorum Virorum nostri aevi facile Principem nobis ademit ac sustulit! Sustulit Academiae nostrae Ocellum; Sustulit Patriae Lumen ac Decus aeternum;

Sustulit consummatissimæ eruditionis ac Πολυ-Histori Virum incomparabilem; de quo ipsa Fama mentiri veretu Verum enimvero frustra lesso ac immodicis lachrymis d natum Μακαρίτην prosequimur, qui optimo jure illud Po tæ usurpare, sibique vindicare potuit.

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit, nam volito docta per ora Virûm.

Ille præcessit, nos sequimur omnes ac singuli; illum non a misimus, sed præmisimus.

Serius aut citius sedem properamus ad unam.

Omnibus nobis semel calcanda est via lethi, quicunque te ræ munere vescimur: Subductus est tot calamitatibus, in fortuniis, ac concussæ Europæ motibus ac turbis præsen tibus, maximisque periculis, quæ nos manent. Ille cœ lestis Aulæ incola ac municeps, terrena omnia ex alto de spicit ac ridet. Ille jam omnium calamitatum ac doloru expers, in gremio Abrahæ conquiescit. Nos hic quotidi morimur, singulæque horæ aliquid de vita nostra demunt ludibrium sumus fortunæ, fragilitatis exemplar, lachryma rum domus, curarum omnium carcer. Igitur quod re stat, salve terque quaterque, mi beatissime WINSEMI qui supra orbes cœlestes evectus, curas mortalium despici qui jam in suprema cœlesti Curia maximus Professor; qu non purpura, verum niveo indutus es virtutis ac æternita Amiculo ac Stola; qui pro Republica, pro Ecclesia, pro Aca demia nostra ad genua Divinæ Majestatis ac Potentiæ hu militer te submittis ac incurvas. Iterum salve, atque vale beatissima WINSEMII anima. Nos ubi decretoria a fatalis illa hora affulserit, rursus tuo grato ac venerabili a spectu fruemur in æternum, cum omnibus fidelibus, fre πληροφορία ac meritis unici Salvatoris ac Mediatoris nostr JESU, cui cum PATRE & SPIRITU SANCTO, DEO TRINO & UNO, sit laus & gloria in secula, Amen. Dixi.

IN EFFIGIEM
Viri Summi,
PIERII WINSEMII.

Posteritas venerare Virum, qui hoc pingitur ære:
Ingenium & Virtus hoc meruere Viri.
Ille fuit doctus, Facilis, Gravis, atque Disertus,
Orator, Vates, Doctor & Historicus.

Qui-

Qualibet Ars toto vix uni addiscitur ævo:
VVINSEMIVS quatuor prævalet ingeniis.
Os, Oculi, Facies, Sensus, Miracula ponunt:
Fama per Historias non moritura viget.

HENR. NEUHUSIUS,
Fris. Advocatus.

EPITAPHIUM.

Heic situs Orator Magnus, Magnusque Poëta,
VINSEMIVS Patriæ Conditor Historiæ:
Cui quantum doctos minuit mors sævior annos,
Tantum nescitur FRISIA chara Tui.

P. A. DOMA, J. U. D.
Frisiæ Rationarius.

SCRIPTA.

Historiarum ab excessu Caroli V. sive rerum sub Philippo II. per Frisiam gestarum libri quatuor, *Leovardiæ* 1629. in 4. earumque libri septem. *ibid.* 1646. in fol.

Amores. *Franek*, 1631. in 12.

Panegyricus ad Sereniss. Invictissimumque Gustavum II. Suecorum, Gothorum & Vandalorum Regem. *Amstelod.* 1632. in fol. & *Lugd. Batav.* 1637. in 12.

Oratio cum ab Ordinibus Frisiæ ad Ordinariam Historiarum & Eloquentiæ Professionem vocatus in Academiam introduceretur. *Franek.* 1637. in fol.

Syrius, carmine expressus, cum notis. *ibid.* 1638. in 12.

Dissertatio de causis corruptæ Eloquentiæ. *ibid.* 1638. in fol.

Oratio in excessum Illustriss. Herois, Henrici Nassovii. *ibid.* 1641. in fol.

Oratio in obitum D. Guilielmi Straackmanni, Viri Consularis. *ibid.* 1641. in fol.

Oratio de reparata æde Academica. *ibid.* 1643. in fol.

Disputationes aliquot etiam conscripsit publiceque habuit, ex quibus sunt: De igne elementari; De Testamentis, &c.

VITA
CLARISSIMI VIRI,
DN. NICOLAI VERNULÆI,
S. Theol. Licent.

Historiographi Regii ac Cæsarei, & Eloquentiæ Professoris Publici in Academia Lovaniensi.

NICOLAUS VERNULÆUS ex Ducatu Luxemburgensi oriundus, natusque in Robelmontio, qui vicus est agri Vertonensis, anno cIↄ Iↄ LXXXIII, die Resurrectionis Dominicæ Sacro, patre *Petro de Vernulz*, in exercitu Regio apud Belgas Centurione, matre *Maria de Meriaq.* studia humaniorum litterarum ac Philosophiæ partim Treveris, partim Coloniæ absolvit, cursum vero S. Theologiæ Lovanii, gradu Licentiæ, ut vocant, donatus an. cIↄ Iↄc XVIII V. Idus Decembris. Docuit ibidem Rhetoricam in Gymnasio Porcensi ab anno cIↄ Iↄc VIII. Eloquentiam in publica Artium Schola Professor, eoque titulo in Ecclesia collegiata D. Petri Canonicus, ab anno cIↄ Iↄc XI. in utraque hac functione Successor datus *Iohanni Baptistæ Gramaye*, JCto & Belgii Principum Historiographo: Ab obitu verò Cl. Viri, *Erycii Puteani*, etiam Historiam, Politicamque scientiam in Auditorio Trilingui Buslidiano; Verum anno Professionis nec dum elapso, docendi assiduitate ac labore fractus, diem obiit extremum, VIII. Idus Febr. anno cIↄ Iↄc XLIX. ad D. Petri, in sacello S. Caroli Borromæi, juxta tumulum Amicissimi Viri, E. Puteani, depositus. Vir fuit in utravis oratione excellens, attamen stylo quam voce promptior, & scribendi quam dicendi gratia (ob raucitatem quandam, qua à natura primisque vitæ annis laborare solet) præstantior; doctrina varius, ingenio politus & elegans, judicio perspicax. Illud in eo mirabamur, quod cum quid componeret ac scriberet, seu vincta seu soluta numeris oratione, nihil unquam bis scriberet, imo ne quidem mutaret, emendaret, aut deleret aliquid: Adeò fœcundum illi pectus erat, ex quo, velut ex limpido quodam ac copiose scaturiente

urïente fonte, fine fece ac luto, unoque tenore fluebant o-
nnia, ritè præmeditata, ordinata, composita. Et non tam
ocendo ac scribendo, quam etiam regendo, ac sobrie, juste,
iè vivendo, publice privatimque exemplum dedit omnibus
mitandum. Vixit autem in Collegio Myliano, primus ejus
Præses anno cIↃ IↃcXIX. constitutus, rexitque triginta an-
nis, ac tertium Rector toti Academiæ præfuit: Nullas in-
erim sibi à scribendo ac commentando dans ferias, eratque
lomus illius non tam locus ad habitandum, quam Schola
uædam ad docendum, ad quam nobilissimi ac illustres è
emotioribus dissitisque Provinciis ac Regnis, Germania,
Bohemia, Poloniaque juvenes confluebant. Quo factum,
t & ad Cæsarem FERDINANDUM III. ac PHILIP-
PUM IV. Regem Catholicam nominis ejus fama perva-
erit, qui eundem Sereniss. Domus Austriacæ Historiogra-
hum cum Consiliarii titulo, singulari Diplomate deputa-
unt. Cæterùm eminebat ille in omnibus, quæ quidem
ornitari & illustrare politioris litteraturæ studia solent, sive
rtis suæ scientiæque, quam profitebatur, principia trade-
et; sive soluta ligataque numeris oratione quidquam scri-
beret: Cujus rei testimonium luculentum præbent ingenii
monumenta, quæ posteritati plura reliquit, pleraque ad
profectum utilitatemque litteratæ juventutis conscripta,
Oratoria, Poëtica, Historica. Nam & de rebus cum sacris,
um profanis ac politicis, differere vel ipse identidem sole-
bat, ejusve stylo atque oratione discipuli, quos formabat:
leque materiis variis Tragœdias plures composuit, & publi-
ce exhibuit, quo in genere eidem Academici omnes palmam
præ cæteris deferebant. Historiam verò veterem potissi-
mum ita tractare consuevit, ut simul & ad Politicam scien-
tiam artemque regendi atque administrandi Rempubl. viam
sterneret. Nam ad hunc scopum collimant Institutiones
inprimis Politicæ, Illustrium Scriptorum testimoniis, exem-
plis ac documentis instructæ: ut & Ethicæ atque Oecono-
micæ, pari apparatu adornatæ. Sed neque recentioris ævi
Historiam intactam reliquit. Et cum in una Augustissima
ac Serenissima Domo Austriaca Virtutes omnes vel maxime
eluceant, emineantque; cum una illa sit, quæ latissime im-
perando in omnibus suis Regnis ac ditionibus nunquam so-
lem videt occidentem; ut hanc ejus potentiam adeoque &
Zelum pro tuenda retinendaque Religione Catholico-Ro-
mana, ferre nequeant æmuli, quasi solo obtentu Religionis
ad

ad Orbis universi dominatum adspiraret, Imperium Romano Germanicum cogitet efficere hæreditarium & Austriacum: Ut hanc ab ea invidiam amoliretur D. Vernulæus Apologiam scripsit pro Augustiss. Gente Austriaca, qua illius Magnitudo, Imperium, Virtus, adversus ejus hoc tempore æmulos adseritur, deque Virtutibus ejusdem Gentis. Se & Historiam reliquit Austriacam, ut à morte extaret monumentum, quo affectum suum in eandem Potentiss. familiam ostenderet. Quæ insuper edidit, eorum mox dabimus syllabum:

LESSUS
In obitum CL. Viri,
DN. NICOLAI VERNULÆI.

Dicite, quæ tanta video nova fercula pompa?
Quis novus heu luctus? quis novus ille dolor?
Dicite, quid lacrymis Vobis sic pectus inundat?
Alveus undantes non capit intus aquas.
Dicite, quo tanto fertur nova Præfica luctu?
Dicite, vel cujus fata vicesque gemat.
Occidit: At quisnam? Flos Vernus Palladis urbis,
Quo non in tota pulchrior alter erat,
Lilia, narcissi, violæ, calthaque, rosaque,
Et quidquid Floris vel Zephyritis habet,
Ite procul, Vernus præ cunctis floribus ille
Flos placuit, vento marcidus ille jacet.
Ille etiam flores multis diffudit ab annis,
Ille dedit variis plena canistra rosis.
Quis VERNVLÆVM nescit? proh invida fata;
O nimium votis invida fata meis!
VERNVLÆE jaces! radiabas undique donis,
Historiâ quantus, carmine quantus eras?
Debita quæ magnis animis dedit æqua vetustas
Præmia; mirari sæcula nostra facit.
Vrbis tu Grudiæ Atlas, VERNVLÆE, fuisti,
Hoc qui portet onus vix reor ullus erit.
Quis ferat hoc humeris? humeros labor iste gravabit,
Quod tu gaudebas ferre libenter onus.
VERNVLÆE jaces! voluissem fata subire,
Debebat fusos rumpere Parca meos.
Hoc erat in votis, vixisses Nestoris annos:
Vt morerer pro te, (si licuisset) erat.

Nam-

Namque ego cum vidi meritorum quanta tuorum
Prælia, vive meo dixi, tempore vive tuo.
Vix fato jam functus eras, vix credere quisquam,
Credere vix potuit te potuisse mori.
At mors incerta, non ducit arundine telum,
Quosque cupit telo sæva ferire, ferit.
Et Reges mors sæva ferit: ni justa feriret,
Natura ditio jam superata foret.
Sic VERNULÆUS tranquilla in pace quiescit,
Natura clausit deficiente dies.
Claudite Vos mœsti; lacrymarum claudite fontes,
Non poscit madidas Vita beata genas.
Non moritur justus, sed tantum ergastula mutat,
Viveret ut semper, debuit ergo mori.
Ille suo placidam traduxit tempore vitam,
Sic etiam placide debuit ille mori.
In Divi Petri placide sic ossa quiescunt,
Et VERNULÆI Spiritus astra colit.

EPITAPHIUM.

Hic situs est, miseris solitus qui ferre levamen,
Sat VERNULÆUS nomine notus erit.

Aliud.

Cui fuit eloquii semper flos vernus in ore,
Flos VERNULÆUS decidit, ecce jacet.

Aliud.

Gesta Ducum cecinit, cecinit qui Cæsaris acta,
Funera qui Regum, claraque facta Virûm;
Hic jacet, ille jacet: vivit virtute superstes,
Et qua vel sola cognitus esse potest.
Credite mortales, mortalia cuncta peribunt,
Sic juvat hic fausto claudere fine dies.

GYMNAS. PORC. P.

SCRIPTA.

De arte dicendi libri III. una cum Praxi Rhetoricæ seu modo utendi arte Rhetorica. *Lovanii* 1619. in 8. Item cum duobus Topicorum libris. *ibid.* 1637. in 8. *Norimbergæ* 1658. in 12.

Dissertationum Politicarum Decas prima, qua continentur de Una & Diversa religione uno in Regno seu Republica:

blica; Quis inter orbis Monarchas potentissimus: De Peregrinatione: De gloria militari: De Libertate Politica: De litibus cito finiendis aut tollendis: De Bello Turcico: De Vectigalibus: De Imperio Maris: De Munitionibus. *Lovanii* 1613. in 4. 1646. in 8.

Institutionum Politicarum libri IV. *ibid.* 1624. in 8. *Colon.* 1628. in 12. Quas deinde scriptorum testimoniis, auctoritatibus, documentis, exemplisque, quæ instar Commentariorum sunt, illustravit. *ibid.* 1647. in fol.

Institutionum Moralium libri IV. *ibid.* 1625. in 8. 1637. in 8.

Historia Academiæ Lovaniensis libris III. *ibid.* 1627. in 4.

Annus Austriacus, sive Ephemeris Historica rerum Austriacarum per singulos anni dies. *ibid.* 1628. in 8.

Certamen Oratorium de militari gloria, inter VI. milites, Hispanum, Germanum, Francum, Italum, Polonum, Hungarum. *ibid.* 1624. in 4.

Dissertatio Politica de bello feliciter gerendo. *ibid.* 1630. in 4.

Tragœdiæ X. Conradus Dux Sueviæ. Crispus Cæsar: Theodoricus Rex Italiæ: Stanislaus Cracoviensis Episcopus: Ottocarus, Bohemiæ Rex: Thomas Cantuariensis, Episcopus: D. Eustachius: Martyres Corcomienses. *ibid.* 1631. in 8. Accessit his Maximus 1630. in 8. item Fritlandus 1635. & 1656. in 8.

Orationes Sacræ XXX. *ibid.* 1633. in 8. & *Colon.* in 12.

Elogia Oratoria Alberti Pii, Isabellæ Claræ Eugeniæ, Ambrosii Spinolæ, Caroli Comitis Bucquoti & Jo. Comitis Tillii, cum aliquot Orationibus miscellaneis. *ibid.* 1634. in 8. *Colon.* 1635. in 12.

Apologia pro Augustiss. gente Austriaca. *ibid.* 1635. in 4.

Laudatio funebris Ferdinandi Austriaci S.R.E. Card. & munusparentale Sacris Manibus ejusdem Ferdinandi, *ibid.* 1641.

Laudatio funebris Ferdinandi II. Imper. *ibid.* 1637.

Triumphus ob cæsos ad Calloam Batavos. *ibid.* 1638.

Triumphus Lovaniensium ob solutam Urbis obsidionem anno CIↃ IↃC XXXV. & Oratio ad Studiosam juventutem, cum Kal. Julii post solutam obsidionem studia resumerentur. *ibid.* 1635. in 4.

Dis-

Dissertatio Oratoria de causis occupatæ à Francis Lotharingiæ. *ibid*. 1636. in 4.

De Justitia armorum Batavicorum adversus Regem Catholicum, *ibid*. 1637. 4.

Orationes Rhetorum Gymnasii Porcensis. *ibid*. 1645. sæpius & *Colon*. 1656. in 12.

De Propagatione fidei Christianæ in Belgio per Sanctos Hiberniæ Viros, *ibid*. 1639. in 8.

Dissertationum Politicarum Decas secunda, qua continentur de bello feliciter gerendo: De meritis in Ecclesiam Romanam inter Francum & Hispanum: De causis belli Germanici: De causis occupatæ à Francis Lotharingiæ: De Justitia armorum Batavicorum adversus Regem Catholicum: De causis belli inter Franciæ & Hiberniæ Reges: De Luxu conviviorum: De Administratione & amplificatione Imperii: De peregrinatione juvenis Principis: De militum electione, *ibidem*. 1646. in 8.

De Virtutibus Gentis Austriacæ, libri tres. *ibid*. 1640. in 4.

Institutionum Oeconomicarum libri II. *ibid*. 1640. in 8. quos postea Additamentis, quæ Commentariorum vicem suppleant, adornavit. *ibid*. 1649. in fol.

Discursus Historico-Politici tres, quibus causæ belli Sueco-Germanici, Franco-Lotharingici, Armorumque Belgico-Batavicorum Oratoriè ventilantur. Accedit Cineas Pacificus. *Colon*. 1643. in 4.

Observationum Politicarum ex Corn. Taciti operibus Syntagma. *Lovanii* 1651. in 8.

Historia Austriaca Gentis Augustissimæ, Sereniss. ac Potentissimæ Archiduces, Reges, Imperatores breviter complexa, *ibid*. 1651. in 8.

Epitome Histor. ab orbe condito ad hæc usque tempora. *ibid*. 1654. in 4.

Imperatorum Symbola. *ibid*. 1652. in 4.

Oratio in Obitum Ericii Puteani. *Colonia* 1650. in 4.

(o)

VITA
Viri Incomparabilis,
GERARDI JOANNIS VOSSII,
Eloquentiæ & Chronologiæ
In incluta Academia Lugduno-Batava
Professoris Celeberrimi,
Cùm ex Athenis Batavis Jo. Meursii,
tùm scriptis aliis,

breviter collecta.

GErardi nomen à parentibus accepit in memoriam proavi sui, Gerardi Vossii, Ruremondani, Viri in urbe patria, ante hos annos centum & amplius, genere, virtute fortunisque spectatissimi: qui ex uxore, Gertrude Verhagens, Bartholomæi filia, reliquit filium Antonium Vossium. Huic uxor fuit Juditha Calenia, soror unica Viri Clarissimi Christophori Calenii, Ruremondani in Crucigerorum Monasterio antistitis (quo in munere jam septuagenarius obiit anno cIↃ IↃc VIII.) filia vero Johannis Calenii, in publicis muniis quinquaginta pene annos cum honore versati, & Catharinæ Budeliæ, Reineri Budelii, experientissimi Medici filiæ: amitæ autem Amplissimi Viri, Reinerii Budelii, Jurisconsulti, cujus de re monetaria uberes atque utiles commentarii Coloniæ prodierunt. Ex Calenia hac Antonio Vossio liberi fuére, Johannes, Gerhardi hujus pater, Arentius, & Isabella, quæ ex marito Dionysio Bylmacero, filiam unicam, Juditham, reliquit, nuptam Amplissimo Viro Petro Bosmanno, superioris Ducatus Geldrici ordini equestri, ac Ruremondanæ item Civitati à secretis. Natus est Joannes anno cIↃ IↃ XLIX. Vix quinquennis erat, cum famigeratum illud incendium anni cIↃ IↃ LIV, quod vix Ruremondæ parti decimæ pepercit, etiam parentem ejus & avi utriusque ædes, absumeret. Multum illud & rei spei parentum incommodavit. Sic tamen etiam fortuna ferentibus, urbe quotidie è favillis pulcrius exsurgente, filium Latinis Græcisque literis, ac Philosophiæ studio, Scho-

Schola patria excolendum curavere. Postea etsi tumultu belli Belgici, paullum amor studiorum refrixisset, mox tamen ardor prior rediit: etiam Italicam, Gallicam, & linguas alias superaddidit: occasioneque captæ ab Auriaco Principe Ruremundæ; Concionumque ibi habitarum nova luce accensus, in Academiam profectus est Heidelbergensem, summosque audivit Theologos, ante omnes Hieronymum Zanchium & Zachariam Ursinum, ibidem frequentabat disertas Caspari Oleviani conciones, feliciterque ipse exprimebat. Cumque magistris tantis præclaras animi dotes auxisset, nec leve jam sibi parasset nomen; anno cIɔ Iɔ LXXIII. adlectus est in eorum numerum, qui Ecclesiam DEI in diœcesi pascerent Heidelbergensi. Quo ipso anno, bona cum venia Electoris Palatini, Friderici Pii, Wasseburgum, Juliaci urbem, ubi libertas Religioni Reformatæ erat, profectus fuit; ac genere, pietate, prudentiaque præstantissimi Viri, Matthæi à Biele, Ruremondani, qui Albani Ducis, ac Lindani Episcopi metu, eò se receperat, filiam Corneliam, lectissimam Virginem, uxorem duxit: cujus ille ut mores castissimos multis annis perspexerat; ita propinquos omnes norat, quæstoria, Senatoria, ac Consulari dignitate Ruremondæ, inque vicinis oppidis, insignes; Reversus ad Ecclesiam suam, quadrienni proximo quaternis augetur liberis. Eorum natu omnium minimus noster fuit Gerardus, qui in lucem editus, ineunte vere anni cIɔ Iɔ LXXVII. semestri circiter post obitum Friderici Pii. Eopse anno, Ludovico Electore Palatino, in locum Pastorum priorum surrogante alios, qui Lutheri de S. Cœna sententiam amplecterentur, parens cum uxore & filiolo Gerardo vix senum mensium, è Palatinatu in Bataviam commigravit; novæque Academiæ, & magnorum ibi Virorum desiderio, doctissimus ipse, pellectus, Lugduni potissimum domicilium elegit, atque à Rectore Petro Tiara V. Maji anni cIɔ Iɔ LXXVIII. inter Academiæ membra adscriptus est hoc nomine: *Ioannes Alopecius Ruremondanus.* Nam ex more eorum temporum, & Græcanicæ linguæ amore, Græca magis appellatione gaudebat: quam & filius Gerardus ad annum usque ætatis XII. retinuit, auctoreque tum præceptore suo Rekenario mutavit; qui appellatione vulgo haud intellecta honestatem familiæ obscurari dictitabat. Lugduno dum parens degit, ad Lejemundensem Ecclesiam, quæ in Rhinlandico est Leidensium territorio, vocatur. Unde

 mox;

mox, attamen ægrè admodum, Gerardo adhuc tum vix bimulo, avellitur. Sed in istis Belgicæ motibus, ingens eorum in Flandria penuria erat, qui non prudentia atq; eruditione minus quam Zelo pollerent. Itaque optimi quique auctores fuere, ut à nobilitate Flandrica, quæ perhonorificam miserat legationem, persuaderi pateretur, ut Ecclesiæ curam susciperet Furnæ, oppido, ut fertilitate soli, & martyrum sanguine, ita natalibus Clarissimi Pauli Leopardi, inclyto. Anno cIↃ IↃ LXXXIII. cum illud & alia Flandriæ oppida, in potestatem rediissent Hispaniarum Regis, Gerardus, jam sexennis in Bataviam reducitur. Parens Dordrechti, primaria Batavorum urbe, Ecclesiæ præfectus fuit. Hic anno proximo Gerardus dulcissimam Matrem amittit. Pater anno cIↃ IↃ LXXXV. alteris nuptiis uxorem ducit Annam Wittiam, Francisci filiam, sororem Amplissimorum Virorum, Cornelii & Jacobi Wittiorum, quorum ille Consulari, hic quæstoria apud Dortrechtanos, uterque Senatoria dignitate inter delegatos Hollandiæ ac Westfrisiæ Ordinum conspicuus fuit. Tertio ab eo conjugio mense etiam patre vix octennis orbatur. Utroque parente destitutus, studia nihilominus literarum excolebat, condiscipulo inter alios usus Erycio Puteano, Historiarum, post Justum Lipsium, in Lovaniensi Academia Professore, viro scriptis non intermorituris toto orbe clarissimo. Inferiores classes permensus, à Cornelio quidem Rekenario potissimum instituebatur in elegantia Latini sermonis, Philologia universa, Oratoria item ac Poësi; at Oratores & Poëtas Græcos enarrabat Franciscus Nansius, Franconatium prius in Flandria Decurio perpetuus, tum Græcæ ea in Schola linguæ Professor. Ac nunc Græcum carmen pangendo, nunc Græcè declamando, item in omni pene philosophia exercebat Adrianus Marcellus. Anno cIↃ IↃ XCV. mense Septembri, Lugdunum Batavorum mittitur. inque literis Græcis porro audit Bonaventuram Vulcanium, in Mathesi Rudolphum Snellium, in Philosophia Peripatetica, cum Petrum Bertium, tum Petrum Molinæum; à quo &, cum universam Philosophiæ ἀκροτηριασμὸν publicè defendisset, ex auctoritate Rectoris Magnifici, ac Senatus Academici, liberalium artium Magister ac Philosophiæ Doctor creatus fuit, quod anno contigit cIↃ IↃ XCVIII. XIII. Martii. Exinde in Hebræis audivit incomparabilem Virum, Franciscum Junium, in Theologia, tum eundem Junium, tum Lucam Trelcatium

tium Seniorem, & Franciſcum Gomarum, Viros præcellentis doctrinæ. Nec minus lectionibus privatis, ac diſputando exercebatur à Johanne Kuchlino, Theologici illuſtrium Ordinum Collegii Præſide; ſub quo de ſummo bono, iterum de agnitione miſeriæ, hinc de Symbolo, rurſum de Trinitate, denique de prædeſtinatione eas theſes defendit, quæ cum Voſſii nomine in lucem prodierunt. Interim & occaſione Bibliothecæ à patre ſibi relictæ, ac ab antiquis etiam Theologis inſtructiſſima, Patrum lectioni, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſedulo vacabat: quod ſtudium deinceps, quantum muneris ratio permitteret, cum cæteris ſtudiis ſemper conjunxit. Anno cIɔ Iɔ XCIX. præcipiti autumno, ac deinceps aliquot menſibus, Clariſſimo Viro, Ælio Everardo Vorſtio, (qui Petro Molinæo in Phyſices profeſſione ante annum ſucceſſerat) inter Medicinæ Profeſſores cooptato, publicè cum laude ſumma in Academia explicuit Ariſtotelis lib. V. φυσικῆς ἀκροάσεως, item ejuſdem librum de memoria & reminiſcentia. Actumque à nobiliſſimis Academiæ Curatoribus fuit, de eo in Profeſſorum Philoſophiæ numerum legendo. Sed dum in eo ſunt toti, fato ſuo fungitur Dortrechti Vir doctiſſimus, Iſaacus Corputius, Eccleſiaſtes, ac cui in Præceptorum Collegio proximus ab Rectore locus eſſet. Paucis poſt menſibus etiam obiit Rector ipſe Hadrianus Marcellus. Eaque occaſione ſumma gubernatio Scholæ commiſſa eſt Gerardo Voſſio: deſinente tum & profeſſionem ſuam Joanne Polyandro, doctiſſimo Theologo, qui Logices & Ethices in illuſtri eo Gymnaſio fuerat Profeſſor. Anno cIɔ Iɔc II. XII. Februar. uxorem duxit Caſtiſſimam Virginem, Eliſabetham Corputiam, V. Cl. Henrici à Corput, primarii apud Dortrechtanos Eccleſiaſtæ, ex conjuge Adriana à Brecht filiam, neptem Jo. Corputii, Actuarii ac Conſulis Bredani, ex uxore Antonina Montenia; cujus parentes fuerant, Henricus Montenius Senator, & Quæſtor generalis Baronatus Bredani, & Joanna Roveria, Guilielmi Roverii, Senatoris Bredani, filia. Ex uxore hac ſuſcepit liberos ternos. Anno cIɔ Iɔc VII, VI. Februar. uxorem amiſit. Eo pſe anno in lucem dedit Oratoriarum Inſtitutionum libros VI. quos triennio poſt auctiores & emendatiores emiſit. Eo opere primam ſibi nominis claritatem peperit, dum magno applauſu exciperetur, etiam ab ipſis eruditionis principibus, Joſepho Scaligero, & Iſaaco Caſaubono: quorum ille cum avide ſane perlegiſſet,

legisset, profitebatur (verba ejus retinemus) se infinita ex e didicisse: nec è veteribus quidem esse, qui palmam præripiat summo Viro: Casauboni vero apud V. Cl. Hugonem Grotium, aliosque multos, judicium tale fuit, nihil Rhetoricis ejus esse elegantius, nitidiusque, nihil χειριστικώτερον, elucere ubique judicium & πολυαναγνωσίαν. Simillima etiam aliorum judicia erant, quæ Vossio ad ea, cæteraque studia, porro excolenda, non mediocriter animum addebant. Anno vero cIↃ IↃ C VII. XVIII. Augusti, alteris nuptiis uxorem duxit Virginem honestissimam, Elisabetham Juniam, prognatam nobili & viro & Theologo, Francisco Junio, & Elisabetha Corputia, Joannis Corputi, Consulis Bredani, filia. Anno cIↃ IↃc XIV. & proximo, ad professionem S. Theologiæ in illustri Schola Steinfurtensi vocatus est, à generosis Comitibus Benthemensibus. Sed cum eodem tempore à nobilibus Academiæ Lugdunensis Curatoribus perhonorifice vocaretur ad regimen Collegii Theologici, quod illustres Hollandiæ ac Westfrisiæ Ordines Lugduni statuerant, hanc vocationem, urgentibus amicis, prætulit; etsi magis quam dicere posset, terreretur oneris difficultate, præsertim in maximo illo Ecclesiæ Schismate, juventutem etiam contraria in studia scindente, non exiguo sane pietatis ac modestiæ dispendio. Quam diu tamen id munus gessit (id per quadriennium & amplius fuit) fortiter ea in tempestate clavum tenuit. Postea, ut lassus, sic levatus, regundæ adolescentiæ molestia (quæ annos duraverat viginti, optimamque ætatis partem sibi vindicarat) in Academia Lugdunensi Eloquentiæ, ac simul Chronologiæ Professor factus est ordinarius, stipendioque publico extra ordinem invitatus quæ ad veteris Ecclesiæ controversias atque historiam pertinerent, fideliter consignavit. Is itaque fuit Vossius, qui omnibus omni studio etiam prodesse voluit, atque ita quidem, ut non valetudini curandæ (ita de se ipso loquitur in præfatione præmissa lib. III. de Theologia Gentili) vel instruendæ, studiose daret operam, sed cum prioris haud levi periculo, & certo alterius dispendio, impensius semper publicis studeret commodis; plane ad exemplum prisci Catonis, qui multo surgebat mane, atque imo ipsa etiam nocte, quo vacaret studiis, ac meditaretur quid Reip. foret utile, posthabita etiam rei familiaris ratione: Quin imo cum sciret illud:

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,

ins

inſomnes traducebat noctes & vir, & ſenex, qua ætate ſibi jam parcere potuiſſet; omne id temporis perdi ratus, quod publico bono non impendiſſet. Quid quod ne inter ipſas quidem epulas ſibi temperaret, quo minus vel lectitaret libros, vel cogitationibus inhæreret. Omne pene, quod hic in terris egit tempus, ita egit Vir ſummus, ut uniuscujusque momenti fere rationem reddere vellet, nec poſſet minus. Loquuntur id, & loquentur tot ejus labores, quos nunquam ſuo pretio æſtimare queat juſta poſteritas. In iis dubius ſis, quid potiſſimum mirari conveniat; omnigenamne magis ac ſolidam eruditionem; an vero piam magis, ac modeſtam. Pulcra fuit illa Ægyptiorum conſuetudo, qua non licebat aliquod præclarum inventum ſacrarum ædium columnis inſcribere, niſi prius ab aliis ejus artis maxime gnaris id probaretur. Legat hos, ac ſanè judicet eruditus orbis, non vidit, aut videbit unquam, quod magis Æternitatis Ædi inſcribi mereatur. Ut autem erat ille βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον, atque omnium artium, & doctrinarum Promuſcondus: ita liberis non minus, quam libris ornavit ſeculum, ut dubium effecerit, ſcriberetne accuratius, an gigneret felicius, quemadmodum alicubi loquitur illuſtris Grotius. Atque ii quidem patri ſimillimi ea etiam edidere ſcripta, quæ non niſi cum pereunte mundo perire poſſint. Cum vero numero novem eſſent filii, filiæque, omnesque pariter linguarum peritia, ac quovis ſtudiorum genere inter ſe certarent, meritò ipſius ædes, quod de Pythagoricis dicebatur, Apollinis, novemque Muſarum, vocaſſes habitaculum. At enim horret animus (ſcribente Franciſco Junio, in præfatione operis Voſſiani de quatuor Artibus Popularibus) dum liberos cogito. Vix viderat illos ad juſtam vitæ, & gloriæ, maturitatem excreviſſe Parens, cum ecce turbato mortalitatis ordine, contra commune Parentum votum, videt alterum alterius quaſi premere veſtigia, dum ad vocantis Dei nutum ſe ſiſtunt penè omnes. Quis neget omnem humanitatis ſenſum exuiſſe Tiberium, qui felicem vocabat Priamum, quod ſuperſtes omnium ſuorum extitiſſet? Quis fortis ſuæ, ſuorumque memor Camillum laudet, qui amiſſo filio dolori ſuccubuit; adeo quidem, ut non niſi inter ipſos mulierum cœtus muliebrem in modum caſum filii dolens inveniretur? Summus Voſſius, quanquam eos amiſiſſet filios, qui paternis paſſibus contenderent, quousque gloria eniti poteſt, quales etiam pro ſuo in literas amore non filios

non lugere non posset, quovis tamen dolore se ostendit po tentiorem, cui succumbere tristissimis cladibus ducebat tr stius. Enimvero non Periclem, non Xenophontem, no Anaxagoram Clazomenium, constantis in adversis anim exempla, jactet antiquitas, quos nempe erigere poterat pu cra filiorum in bello pro patria Virtus; Vossius lectissima atque eruditæ filiæ Corneliæ propè inclytam Leidam aqui hyberno frigore concretis fidem frangentibus miserrimè sub mersæ iturus exsequias, cum corpus humandum ostendi si peteret, atque ægre ab amicis, quod crudum vulnus sic re fricari crederent, id obtineret, ubi vidisset, dictavit ipse a stantibus solatia, monuitque divinæ acquiescendum esse vo luntati, ac nihil fieri ἄλογον περὶ τῷ λόγῳ τῶν ἡμετέρων, κα ἡμῖν ὄντι φαίνεται. Ita vixit hic literati orbis Imperator, & septuagesimum tertium egit annum, cum fatis cederet vi immortalitate dignissimus. Recessit à nobis anno recupe ratæ per Christum Salutis cIↃ IↃc L, pia placidaque morte quanquam non recesserit totus. Reliquit enim libero suos, Eximium nempe Virum, Isaacum Vossium, insign sui ævi decus, ac ex Clarissimo Matthæo nepotem sibi cog nominem, Gerardum, in quibus eum aliquando agnosce mus, cernemus, tenebimus, ut immutem paullo Ambros illa in funere Theodosii. Addam ingeniosissimi Poëtæ Ba tavi, Justi Vondelii Epigramma:

IN EFFIGIEM
Celeberrimi Viri,
GERARDI JOHANNIS VOSSII.

Sex denos nihil est numeret si VOSSIVS annos,
Candidior niveis frons erit illa comis;
Hâc habitat cuncti sub fronte scientia secli,
Condita quaque libris condita habet cerebro.
Quid chartis hominem cingis, Sandrarde, *librisque*
Charta, liber, quicquam si capit, ille capit.

EPITAPHIUM.

Hoc tumulo plorat pietas & candida Virtus,
Et luctu Pallas Saxea diriguit.
Invida mors ridet, ridet quoque VOSSIVS illam,
Dum calamo mortem vincit & ingenio.

ANTONIUS THYSIUS

SCRI

SCRIPTA.

Oratio Panegyrica, de felici expeditione exercitus Fœderatæ Belgicæ, novem oppidis trimestri captis, ductu Illustriss. Principis Mauritii, Comitis Nassoviæ, &c. *Lugd. Bat.* 1597. in 4.

Commentariorum Rhetoricorum, sive Oratoriarum Institutionum libri sex. *ibid.* 1606. 1630. 1643. in 4. *Dordraci* 1606. 1609. in 8. *Francof.* ad Viadrum 1616.

Dissertationes de Mundi Creatione, de Peccato primo Adami, de Bonis Operibus eorumque Meritis, de Statu animæ separatæ, de Orationibus & Oblationibus pro defunctis, de Sanctorum invocatione, de Carnis Resurrectione, de Judicio extremo, de fine Mundi, de Sacramentis universis, de Baptismo, de Cæna, de Decalogi divisione, *ibid.* 1615. 1619. *Haga-Com.* 1658. in 4.

De Arte Grammatica libri VII. *Amster.* 1615. 1635. 1662. in 4.

Responsio ad judicium Herm. Ravenspergeri, de libro ab H. Grotio, de Satisfactione JEsu Christi scripto adversus Socinum, *Lugd. Bat.* & *Francof.* 1618. in 4.

Historiæ de controversiis, quas Pelagius ejusque reliquiæ moverunt, libri VII. *Lugd. Bat.* 1618. 1630. *Amsterod.* 1655. in 4.

In Fragmenta Veterum Tragicorum Castigationes ac notæ, *ibid.* 1620. in 8.

De Rhetoricæ Natura ac constitutione, & antiquis Rhetoribus, Sophistis ac Oratoribus liber. *ibid.* 1622. in 8. *Haga-Comit.* 1658. in 4.

Rhetorices contractæ, sive Partitionum Oratoriarum libri quinque. *ibid.* 1622. 1627. 1640. *Iena* 1634. *Amster.* 1651. 1655. 1666. in 8.

Ars Historica, sive de Historiæ & Historices natura, historiæque scribendæ præceptis commentatio. *Lugd. Bat.* 1623. 1653. in 4.

De Historicis Græcis libri IV. *ibid.* 1623. Emendatior & auctior. *ibid.* 1651. in 4.

Responsio ad Consilium Michaëlis Lonigi, it. ad Aphorismos de Statu Ecclesiæ instaurando. *ibid.* 1623. in 4.

Oratio in Obitum Thomæ Erpenii, Orientalium Ling. in Academia Leidensi Professoris. *ibid.* 1624. in 4.

De Historicis Latinis. *ib.* 1625. 1627. Emendatior & auctior. *ib.* 1650. in 4.

Grammatica Latina, *ibid.* 1628. *Amster.* 1631. 1651. 166
in 8.

Ludolphi Lithocomi Syntaxis Latina, ex ejus recensio
1628. in 8.

Latina Grammatica contracta. *ibid.* 1632. *Amster.* 165
in 8.

Vellejus Paterculus cum Notis. *ibid.* 1639. 1654. in 12.

Periclus Scylacis Caryandensis. *Amster.* 1639. in 4.

De Cognitione Sui. *Lugd. Bat.* 1640. *Amsterod.* 1654. 16
in 12. *Hamburgi* 1651. in 12.

Germanicè vertit M. V. Bonhou. *Hamburgi* 1658. in 12.

De Theologia Gentili & Physiologia Christiana; sive de O
gine ac Progressu Idololatriæ libri IV. *Amstero*
1642. 1656. in 4. Libri IX. 1668. in fol. & *Franco*
1675. in 4.

Dissertatio gemina, una de JEsu Christi Genealogia, alte
de Annis, quibus natus, baptizatus, mortuus. *ibi*
1643. 1662. in 4.

Annales Hollandiæ & Zelandiæ, *ibid.* 1645. in 4. & fol.

De Vitiis Sermonis & Glossematis Latino-Barbaris libri I
ibid. 1645. *Francof.* 1666. in 4.

Institutiones linguæ Græcæ Cleanardi. *Lugd. Bat.* 164
Amster. 1655. 1670. in 8.

De Arte Poëtica & imitatione veterum. *Amster.* 1647. *Hag*
Com. 1650. in 4.

De Baptismo Disputationes XX. *ibid.* 1648. in 4.

De Poëtis Græcis & Latinis, opus posthumum, *ibid.* 165
1654. in 4.

De Natura & Constitutione Logices & Rhetorices. *Hag*
Com. 1658. in 4.

Dissertatio de Studiis bene instituendis. *Vltrajecti.* 165
in 12.

Institutiones Poëticæ. *Amsterod.* 1653. in 4.

Harmoniæ Evangelicæ de Passione, Morte, Resurrectio
ac Adscensione JEsu Christi libri III. *ibid.* 165
in 4.


De Philosophia & Philosophorum Sectis, opus posthumu
Haga-Com. 1658. in 4.

Isagoge Chronologiæ sacræ. *ibid.* 1659. in 4.

De quatuor Artibus Popularibus, Grammatice, Gymnasti
ce, Musice & Geographice liber. *Amstelod.* 165
1660. in 4.

I

De Philologia liber. *ibid.* 1660. *Lipsiæ.* 1670. in 4.
De Universæ Matheseos natura & constitutione liber. Cui subjungitur Chronologia Mathematicorum. *ibid.* 1660. in 4.
Commentarius de rebus pace belloque gestis Fabiani Burggravii à Dhona. *Lugd. Bat.* 1628. in 4.
Vox naturæ acclamantis. *Francof.* 1634. in 12.
De primatu Papæ. *Lugd. Bat.* 1645. in 4.
Notæ in Epistolas genuinas S. Ignatii Martyris. *Amster.* 1646. in 4.
De tribus Symbolis, Apostolico, Athanasiano & Constantinopolitano. *ibid.* 1642. 1662. in 4.
Elementa Rhetorica. *ibid.* 1657. *Lubecæ* 1651. in 12. Aucta à Joh. Sebast. Mitternacht. *Ienæ* 1657. in 12.
In Epistolam Plinii, de Christianis & edictis Rom. Cæsarum adversus Christianos. Comment. *Amsterod.* 1654. in 12.
Rudimenta linguæ Græcæ. *ibid.* 1650. *Heidelb.* 1672. in 8.
Vocabularium Etymologicæ Latinæ Belg. *Dordraci* 1654. *Rotterod.* 1670. in 8.
Lexicon Etymologicum linguæ Latinæ. *Amsterod.* 1662. in fol.
Dissertat. Epistolica de jure Magistratus in rebus Ecclesiasticis. *ibid.* 1669. in 4.
Progymnasmata.
De Manichæis & Stoicis: De Miraculis Christi: De primatu Petri & Sedis Rom. conf. Cl. Arnoldum, Fautorem meum singularem, in selectioribus G. Richteri Epistolis p. 484.



ME-

MEMORIA

Præclarissimi, Amplissimi & Excellentissimi Viri,

DN. M. HENRIC

JULII SCHEURLII,

Moralium in Alma Universitatis Julia Profe soris Publici, ut & Philosophicæ Facultatis Senioris atque Decani longè meritissimi,

Renovata & translata,

Ex concione funerali Vernacula, in solenni Ecclesiæ cœtu, proposita à

BALTHASARE CELLARIO, SS. Theol. D. PP. & Superint.

ILlis, qui utilissimis ingenii monumentis publicum sibi de vinxerunt, famamque ex artis præstantia feliciter assecu sunt, HENRICUM JULIUM SCHEURLIUM, Ph losophum acutissimum, & πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, meritiss mo jure annumeramus. Natales debuit, sub ipsis ævi no stri auspiciis, XXI. Januarii, Illustri ad Elmum Juliæ, tot maximorum ingeniorum formatrici: Ortum verò summ Reverendo Viro, *Laurentio Scheurlio*, Theologo Doctor Professori, ac generali, ut vocant, illius loci Superinten denti; nec minus fœminæ, qua prosapiæ splendorem, qu dotium omnium, cujusmodi in hunc sexum cadere possunt, ἐξοχὴν, Clarissimæ, *Maria Magdalena*, Celebratissimi it dem Theologi atque Cancellarii in Tubingensi Academ perpetui, Doctoris *Iacobi Beurlini*, filiæ. Cum infans p primam gratiæ portam duceretur, ut Ecclesiæ civis ac Se vatori σύσσωμος fieret, Serenissimi tum Principis & Acade miæ Nutricii, *Henrici Iulii*, Magni sui è sacro lavacro susce ptoris, nomen adeptus est. Ex tantis proinde Majoribu ὁ Μακαρίτης Noster prognatus non potuit non optimam in dolem virtutumque insignium semina trahere. Quam pr mum in ludo patrio Musis consecraretur, pro tenera il tum ætate, pietatis ac literarum rudimenta satis avide cele riterq

iterque hausit. Nondum ex ephebis plene excesserat, & ecce! præmaturo optimi Genitoris obitu totus confundebatur. A consanguineis igitur *Halam* amandatus *Saxonum*, Scholam inibi per triennium tanto quidem successu frequentavit, ut *συνδρόμους* in hoc literarum studio atque stadio de palma contendentes facile anteverteret. In *Marienthalensi* postea *Cœnobio* industriam suam iterum Præceptoribus abunde probavit, donec dignus judicaretur, ut ad altiora in celebri, quod *Helmstadii* viget, Lyceo eveheretur. Sed quum ille, in ista adhuc juventute constitutus, probe intellexerat, sine solidiori in triviis jacto fundamine, nihil ei ut parum deinceps eruditionis posse in Academiis superstrui, obnixe petiit, ut ulterius sibi in palæstra hacce Scholastica subsistere liceret. Non omnigenam inde tulit repulsam, modo condiscipulis Horatium, Lyricorum Principem, interpretando cotidie vellet præire. Id quod & aliquandiu non sine ingenii & industriæ laude præstitit. Ætatis annum XIX. jam ingressus, suasu & voluntate Superiorum, ad reas Scholas transiit: Ibi non studio solum Philosophiæ, sed & linguarum Historiarumque sedulam navavit operam, locupletissimum variæ doctrinæ thesaurum, sibi comparavit. Quinquennio egregie peracto, Lauream Magistram, Brabeuta *τοῦ πάνυ*, *Conrado Hornejo*, cum singulari Musarum applausu ac congratulatione obtinuit. Quod exanditi laboris præmium quum reportasset, incentivi loco sibi habuit ad majora audenda. Quo circa cum juvenum re nobilissimo, *Adriano à Veltheim*, cujus studiorum morumque formator extitit, *Lipsiam* profectus est. In splendido illo loco, Academia æque ac Mercatura celebri, judiciorum quoque & ingeniorum theatro, mirum quantum profecit. Posteaquam enim, ex consuetudine hujus Athenæi, *solennem pro loco Disputationem* habuisset, Collegia scilicet aperuit *Rhetorica, Historica, Geographica, Ethica, Politica, Logica, Physica* ac *Metaphysica*, ingenti undique juvenum confluxu, majori etiam fructu & emolumento. Tum & exquisitissimas tum pariter publicavit *Disquisitiones Politicas*, aureumque plane libellum, cui *Statuam Mercurialem* nomen dedit. Tanto itaque doctrinæ splendore coruscans, *Concilii Nationalis* à Philureæ cultoribus *Adsessor* eligitur. Anno cIↃ IↃc XXVIII. Serenissimi *Friderici Ulrici*, Brunopolitano-Luneburgici Ducis, jussu & auspiciis *Professor in Academia Julia* clementissime constituitur.

Hunc

Hunc proinde, ut fas erat, Dominum ac Mecænatem sui humillima mente omnique obsequio semper coluit. tali nunc munere degens, veritatem Proverbii, quod εἷς ἀ... ἐδεὶς ἀνὴρ, sensit, adeoque vitæ sibi legit adjutorium, Lec... simam Virginem, *Annam Mariam*; antiqua fide ac pro... tate maxime conspicui, *Gothardi Grossen*, Lipsiæ quond... non imæ caveæ Mercatoris, filiam. Illa, Deo benedice... te, Beatissimum nostrum quaterna prole, trina nempe... xus fœminini, ac unica masculini, parentem fecit. Cæ... rum de pristina in studiis alacritate & industria nihil qu... quam remisit. Aliquando bis in die publice auditores s... informavit, & domi nihilo secius pubis Academicæ usib... strenue perquam litavit. Testantur id in primis solerti... mi Viri lucubrationes æterna luce oppido dignæ; ut... Disputationes, de selectissimis quibusdam materiis, nerv... brevitate rerumque pondere admodum commendabil... quas per XXII. annorum Decursum non parce habuit. I... serto insuper ore proloqui, & verba, fluminis instar, fund... re, *Scheurlio* peculium ferme erat. Hinc summi Orato... partes nonnunquam subiit, & aliquot, publico Academ... nomine, Legationes cum laude & fructu insigni sustinu... Vere igitur à non nemine sequenti celebratur Elogio:

-- -- *Vir Optimus, cultor*
Pietatis integræ secundus haud ulli;
Sophiæ stupendus Mysta, Magnus Orator.

Qua porro animi bonitate, qua in pauperes egenosque m... sericordia fuerit, dici vix potest. Equidem non modicu... temporis Divinarum rerum meditationi & ardentissim... destinavit precibus, quas ad proprios usus Latino æquea... Germano idiomate concinnavit. Sanctissimo ἐφοδίῳ, in... mortalitatis pharmaco, animam subinde suam refecit. I... quoque erga alios se gessit, ut officium facile probaret omn... bus, quietus commodusque & comis. Sub ultimo vitæ cu... su aliquoties in gravissimos morbos, mortis prodromos, in... cidit, divino tamen ope, & provida Medicorum cura, rest... tutus, cum sanitate non nihil in gratiam rediit. Verum n... hil adeo sub cœlo constans esse atque stabile, Noster νῦν ... ἁγίοις tristi suo exemplo docuit. Lecto enim tandem aff... xus, viribus paulatim exhaustis, ad piam placidamque ἀπ... λυσιν se præparavit. Nato suo, quem reliquit, unico, cu... morti jam proximus esset, salubria quædam suppeditav... monita, ut DEO timorem, Matri honorem, & Præcepto... tibu...

ibus debitum præstaret obsequium. In ore frequenter habuit illud Divi Pauli: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo, Hocce dicto,* ajebat, *meus quondam Parens intrepide obdormivit, eidem & ego immoriar.* Voti sui campos redditus est XII. Decembris, anno recuperatæ per Christum salutis CIↃ IↃC LI, inter horam VI. & VII. vespertinam, absque ullo mortis metu atque motu; cum Servatori in terrestri militia, plenus fidei & amoris, LII. annis inservisset; fidelis ideoque ministri præmium, æternam in cœlo gloriam, reportavit.

IN OBITUM
Excellentissimi Viri,
HENRICI JULII SCHEURLII.

SCHEURLEUM, qui dignus erat compluribus annis,
Propter & ingenii tot bona dona cati,
Et niveos animi mores, queis charus ubique,
Invida mors nostris obterit ex oculis.
Lugent hinc meritò clarissimus ordo Senatus
IULIADÆ, imprimis sed studiosa cohors,
Optima cui vitæ solers præcepta regendæ
Tradidit, & queis Res Publica stare queat.
Flebilior tantò magis occidit is mihi, quantò
Arctius inter nos gluten amoris erat,
Ejus cum haud licuit viventi ponere signum,
Mæsti defuncto has solvimus inferias,
SCHEURLEI IACET HIC PARS TERREA, COELICA COELUM
CONCESSIT, FAMA AST DOCTA PER ORA VOLAT.

GEORGIUS FRANTZKE, JCt. Sacri Palatii Cæsarei Comes & Cancellarius Saxonicus in Aula Gotana.

Ætate nondum fessus, annis nec gravis
Clausit supremum SCHEURLIUS vitæ diem:
Disertus ille SCHEURLIUS; prudentiæ
Fidus Magister, & peritus abdita
Stoæ & Lycéi interpretari dogmata.
Lugent ademtum prosequuti fletibus

Ada-

VITA
Illustris & Incomparabilis Viri,
CLAUDII SALMASII,
Equitis & Professoris Honorarii in inclyta Academia Lugduno-Batavica,
paucis descripta à
MARTINO HANKIO.

CLAUDIUM SALMASIUM, ex Elisabeta, Guilielmi Viroti, in supremo Burgundiæ Senatu Consiliarii, filia, Benignus, Eques, Taliaci Dominus, Consiliarius Regius, in eadem Burgundiæ Curia Senator, illustri & antiqua prosapia, quæ multos & scientia & potestate Civili eminentes Heroës olim Burgundiæ procreaverat, ortus (juvenis Reformatorum secutus Ecclesiam, post horribiles in Gallia persecutiones, ab anno M D LXXII. Romanorum sacra professus) in suburbano avi sui, quod in Alexio Ballivatu ad Semurium visitur, suscepit. Sunt, quos nativitatis tempus haud satis certum solicitos habet. Ipsum si audimus Salmasium nostrum, libro I. epistola CXI. quam ad Joannem Fridericum Gronovium, Leydæ XXX. Augusti M DC XXXVII. scripsit: Commentarium Floro additum, cum vix quindecim annorum esset (Heidelbergæ anno M DC IX.) publicavit. Hinc anno M DXCIV. natum, & rarissimo exemplo, in ætate puerili, quæ virili conveniunt, egisse colligas. Patre Præceptore Latinas & Græcas litteras didicit: In quibus eo puer progressus est, ut decimo ætatis anno, nec male Pindarum interpretaretur, & in utraque lingua non ineptum Poëma componeret. Vix undecennis, cum in eo jam esset, ut Philosophiam docendus, Magistris Societatis Jesu Divionensibus à patre committerentur, odio religionis Romanæ, jam tum Reformatæ studiosior, matris impulsu, repugnabat. Tandem, ut Parisios

mitteretur, impetrabat. Ibi cum Isaaco Casaubono alli-
que conversatus, solutis pro fide Pontificia præcipuis argu-
mentis oppositis, inconsulto, quin & ignorante patre, à qu
Senatoriæ dignitatis successor exoptabatur, Reformatorum
se palam addixit Ecclesiæ. In quâ tutiorem DEO cultum
præstiturus, Heidelbergam cogitabat; cùm Dionysii Go-
thofredi, tùm Palatinæ Bibliothecæ fama instigatus. E
migrare ut concederet, diu nequicquam orabat patrem; u
tum quidem conscium, jam relicta filio papalia dogmata
ideoque cumprimis, ne ab iisdem discederet, metuentem
Genitoris tamen non extorto consensu, Heidelbergam an-
no M DC VIII. veniebat, ibique per Isaaci Casauboni com-
mendatitias litteras, maxime per ingenium suum, Jan
Grutero, Joachimo Lingelshemi., & Dionysio Gothofre-
do, quo doctore juris artem cœpit colere, non mediocrite
se insinuabat: quantò plura discenda speculatus, tantò in
omne disciplinarum liberalium genus, præsertim antiqui-
tates, propensior. In interiorem Gruteri amicitiam admis-
sus, ad locupletissimam Bibliothecam Palatinam liberum
sibi faciebat aditum. Quam exoptatam studiorum occa-
sionem utraque manu arripiendam ratus, eo ardore libri
Græcis & Latinis incubuit, ut tertiam quamque noctem in-
somnem transfigeret. Sed nimis exornando animo inten-
tus, imbecillioris corporis negligentior, in morbum inci-
dit. A quo ut penitus se vindicaret, parcior laborum ex-
stitit. Triennium in Palatinatu substiterat, cum Italiæ ca-
put, Romam, perlustrare certus, mercatorum ad eandem
abituriuntium Societati nomen suum adscriberet. At no-
cte lucem illam, quæ suscipiendo itineri destinabatur, præ-
cedente inquietus, ad interdicentem sibi vocem audire vi-
sus, mutavit consilium; quantùm vel ob Nili & Barlaami
Pontificio Principatui adversantium libros, si agnosceretur
editor, periculum posset incurrere, animo præmeditatus.
Ad suos hinc in Burgundiam reversus, Lutetiam sæpius re-
visebat; ex Regia Bibliotheca subinde Codices (post men-
struum tempus reportandos) in Burgundiam deferendi po-
testatem consecutus. Inter has curas ad maturam progres-
sus ætatem, conjugem Annam, Josia Mercero, Joannis fi-
lio, genitam sibi conjungebat. Huic universa domesticæ
rei cura permissa, ipsemet, ne quod eruditioni solidæ, quam
affectabat, obstaculum se interponeret, præcipuis Orienta-
lium gentium linguis addiscendis se accingebat. Jam He-
bræam,

bræam, Chaldaicam, Syriacam, sed & Arabicam, Persicam, Ægyptiacam tenere, nec Indicæ, nec Sinensis plane imperitum esse, jam mansuetioribus litteris Jurisprudentiam copulasse, non satis habebat. Ipsam quoque scientiarum Reginam, Theologiam; Medicinam, Philosophicas disciplinas, capacis, & quod semel arripuerat, retinentis memoriæ fiducia, perscrutandas sibi proponebat. In præcipuis Europæ locis jam clarus, in privato adhuc subsidebat. Ut stationem obiret publicam, magnos habebat monitores. A Venetis, ut Patavino Gymnasio; à Britannis, ut Oxoniensi Academiæ Professorem daret, invitabatur. His, quod minus ad genium suum nescio quid exigerent; illis, quod Religionis veritati renunciare, conscientia prohiberetur, obsequium denegabat. Ex eo cum fama crescebat autoritas, & quò difficilior erat, eò intentius desiderabatur. Urbano VIII. Pontifici arridebat, quod libro de suburbicariis Ecclesiis adversùs Jacobum Sirmondum, Societatis Jesu, nonnulla, quæ ad existimationem Episcopi Romani per Christianas terras stabiliendam pertinere videbantur, inserere non dubitavisset: tanti certe habebatur, cui per Aurelianensem Episcopum amicam salutationem denunciaret. Cum à Batavis, ut Josephi Scaligeri locum in Academia Lugdunensi occuparet, circiter annum M DC XXX. solicitaretur; quid ageret, dubius, accuratiore mentis æstimatione, cum se, tum studia sua, diu pensitabat. In his præcipuum sibi scopum præfixerat, Ecclesiæ primitivæ universam antiquitatem, maxime quatenus in eadem Pontificii præsidium quærunt, observationibus illustratam dare. Huic proposito feliciter exequendo minus idoneam judicabat Galliam, in qua nuspiam sibi locum satis tutum videbat. Quare Isaacum Casaubonum, qui contra Cæsarem Baronium Cardinalem scripturus, se in Angliam receperat, imitaturus, rebus suis eò meliorem in Batavia sedem statuebat, quò major ibi, quàm in Regno, libertas pateret. Erant tamen, quæ proclivem retrahebant; frigidus cœli genius, cujus impatientior erat: multorum invidia, cum qua luctari, & molestum, & periculosum habebat, præsertim extra solum natale. Conditionibus tandem ad arbitrium oblatis victus, circa exitum anni M DC XXXII. Lugdunum Batavorum se cum familia contulit, non, ut Josephi Scaligeri exemplo, cum Justo Lipsio succederet, Professorem ageret, sed ut Academiam honore nominis sui nobilitaret,

fcriptis inclarefcere faceret, præfentia condecoraret. Quam omnibus fuperior Profefforibus, in publicis actibus, oppidanis quidem proximum Civitatis Magiftratui locum; Academicis verò fingularem & quadam intercapedine diftantem à reliquis fedem habebat. Ea prærogativa fummis ingeniis aliis (quantò plus dignitatis uni conferebatur, tanto minus fibi relictum effe judicantibus) perpetua indignationis materia, diuturnioris invidiæ nutrimentum fuit. Anno M DC XL. parentem, grandævum fenem, qui ex fcriptis filii & doctior & melior, à Pontificiis circa religionem fententiis alienus effe jam cœperat, amifit. Galliam ideo repetiturus, præpotentum Hollandiæ pariter & Weftfrifiæ Ordinum autoritate, fimul in fecuritatis certitudinem, & honoris documentum, nave bellica, cum comitatu claffis Diepam deferebatur: Lutetiam Parifiorum appulerat. Ibi non modo privatis, Hugoni Grotio, aliisque fummis viris, fed Regni Proceribus etiam, humaniorem in modum tractabatur. Præ cæteris in Cardinale Richelio, tum potentissima Gallorum manu, liberalem in fe notabat affectum. Nam fi larem in Gallia figeret, ftipendium duplo majus, quam in Belgio caperet, fpondebat; folutionem certam & promtam, addebat; nihil exigi laboris, folam ipfius in Gallia præfentiam defiderari. His & Regis & Cardinalis follicitationibus ut fe fubduceret, in Burgundiam iter maturavit, de paterna hæreditate cum germanis tranfacturus. Divione dum moratur, anno M DC XLII. ad finem decurrente, Richelius ex humanis abit. Rex Ludovicus XIII. fequentis anni vere, imperium vitamque ponit. Tantis nominibus exftinctis, jam de libertate fua retinenda fecurior, anno M DC XLIII. Lutetiam revertebatur. Ibi vero peculiarem in fe propenfionem, quam cum Richelio fepultam credebat, in ipfius fucceffore, Cardinale Mazarino revivifcere intelligebat. Quare ut tam fortiffe ambitioni fubtraheret, confeftim eodem anno in Bataviam rediit. Lugdunenses Confules ut reduci magis gratum ftabilemque conftituerent larem, ipfam Principalem arcem in civitate fua conceffere runt habitandam. Paulo poft, de Salmafio in Galliam reducendo (qui interim de Presbyteris & Epifcopis differtatione omnem Ecclefiæ Romanæ Hierarchiam ab ipfis fundamentis oppugnaverat, & jam de Pontificis primatu exercitationes fuas prælo fubjecerat:) cum alii, tum inprimis Mazarinus cogitabant. Id impedire Papalis Nuncius, qui

Pa-

Parisiis erat, summopere contendebat; ne tolerandum quidem in Christianissimo Regno, jam præsentem pestilentissimum hæreticum; nedum, ut illud ingrediatur, magnificè invitandum esse, ratus. Sed aliud de Salmasio judicium Cardinalis erat, efficientis autoritate sua, ut, posthabitis Nuncii crebris intercessionibus, Regiæ litteræ, cum ad Salmasium, quibus in Galliam vocabatur, tum ad fœderatos Belgii Patres, ut virum dimitterent faciles, perferrentur. Salmasius ne his quidem permotus, ut è Belgio discederet; tamen in aula Regis non perdidit gratiam, quin ab eodem, cum in Equestrem, tum in Sanctioris Consilii ordinem, sponte misso diplomate, susciperetur. Posthæc Regina Suecorum, Christina, singularis eruditionis patrona, dudum Regno suo exoptatam Salmasii præsentiam litteris amicis expetebat: Cum eo, dum se itineri præparat, epistolarum, quas sua manu bene longas, sex, septem, pluriumque paginarum solebat scribere, commercium frequentissimum init. Tandem ardentiori desiderio victa, se ad ipsum venturam, si ad Reginam iter diutius quidem differre sustineat, respondet. Salmasius hinc verecundia compulsus, anni M DC L. media æstate in Sueciam properat, cui tam gratus, tam venerabilis fuit, ut præsentis augeret, adeo nihil minueret fama. Certè cum ex aspero cœli Suecici habitu laboraret, decumbenti adesse, quin & officia quædam caritatis ne Regina quidem præstare dubitavit. Meliori valetudini redditus, in Belgium cogitabat. Abiturienti amplissimas Regina conditiones offerebat; sed datam Lugdunensibus fidem, se ad Batavos rediturum, aliaque causato, persuadere non poterat, ut in Septentrione domicilium figeret. Præcipiti mense Julio, matrimonii ægrotantis comes, ad bibendas acidulas, Lugduno Spadam profectus erat; defensionemque Caroli I. Anglorum Regis, componebat, cum solenne sibi malum, arthritidem, concurrente febricula, sentiret. Ibi crescentis efficacia morbi superatus, die III. Septembris, Anno M DC LII. decessit. Trajecti, quò cadaver postridie translatum fuit, sepultus.

Qui plura de vita & obitu CL. SALMASII scire desiderat, poterit evolvere Volumen Epistolarum suarum ab Antonio Clementino emissum, cui Vita ejus prolixe descripta præfixa est. Lugduni quoque Batavorum in excessum ejusdem summi viri orationem habuit Adolfius Vorstius, Med. D. & P.P. quæ ibidem prodiit anno M DC LIV. in 4.

IN OBITUM

Litteratorum Principis,

CLAUDII SALMASII.

Tot penetrasse locos, reserasse tot abdita rerum,
Et vidisse unum quicquid ubique latet:
Laus ea SALMASIDIS, potes huic quem opponere nostra
Ætas prisca tuum, Roma superba tuum?

BALZACIUS.

SCRIPTA.

Commentarius in Florum. *Heidelb.* 1609.

Duarum Inscriptionum Græcarum, Herodis Attici Rhetoris & Rhegillæ conjugis ejus honori positarum explicatio; Accedunt ad aras Dosiadæ & Simmiæ Rhodii Poëmata Notæ. *Lut. Paris.* 1619. in 4.

Eucharisticon Jacobo Sirmondo, pro adventorio de Regionibus & Ecclesiis suburbicariis. *ibid.* 1621. in 4.

Confutatio animadversionum Antonii Cercœtii, sive Dionysii Petavii, ad Tertulliani Pallium, sub Francisci Franci nomine. *Middelburgi* (*Lutetiæ*) 1623. in 8.

Exercitationes Plinianæ in Julii Solini Polyhistora. *Paris.* 1629. in fol.

Interpretatio Hippocratei Aphorismi LXXIX. Sectionis IV. de Calculo. Additæ sunt Epistolæ duæ Jo. Beverovici, quibus respondetur. *Leydæ* 1640. in 8.

De Usuris. *ibid.* 1638. in 8.

De modo Usurarum. *ibid.* 1639. in 8.

Dissertatio de fœnore Trapezitico. *ibid.* 1640. in 8.

Brevis confutatio notarum larvati cujusdam Theologi, in excerpta Dissertationis de Trapezitis Cl. Salmasii, *ibid.* 1640. in 8.

De Hellenistica Commentarius. *ibid.* 1643. in 8.

Funus linguæ Hellenisticæ. *ibid.* 1643. in 8.

Commentar. in Epictetum & Simplicium. *ibid.* 1640. in 4.

Alexii à Messalia Diatriba de mutui alienatione, contra Coprianum, i. e. Jo. Jacobum Wissembachium. *ibid.* 1640. in 4.

De Episcopis & Presbyteris, contra Dion. Petavium, sub nomine Walonis Messalini. *ibid.* 1641. in 8.

De Mutuo Disquisitio, qua probatur non esse alienationem. *ibid.* 1645. in 8.

Miscellæ Defensiones de variis observationibus ad jus Atticum & Romanum pertinentibus. *ibid.* 1645. in 8.

Librorum de primatu Papæ pars prima cum apparatu. Accessere de eodem primatu Nili & Barlami tractatus. *ibid.* 1645. in 8.

De Cruce & Hyssopo Epistolæ ad Thomam Bartholinum scriptæ. *ibid.* 1646. in 8.

Simplicii Verini ad Justum Pacium Epistola, sive judicium de libro posthumo Hugonis Grotii. *ibid.* 1646. in 8.

De Transsubstantiatione liber ad Justum Pacium contra Hugonem Grotium. *ibid.* 1646. & 1666. in 8.

Tractatus de subscribendis & signandis Testamentis, contra Heraldum. *ibid.* 1648. in 8.

De annis Climactericis & antiqua Astrologia. *ibid.* 1648. in 8.

Epistola ad Menagium super Herode infanticida, Heinsii Tragœdia, & Censura Balsacii. *Paris.* 1648. in 8.

De Coma. *Lugd. Bat.* in 8.

Defensio Regia pro Carolo I. Rege Angliæ. *Amstelod.* 1649. 1651. in 4. & 12. 1657. in 4.

Epistolarum Tomus, editore Antonio Clementino. *Lugd. Batav.* 1656. in 4.

Commentarius de militia Romanorum, opus posthumum, editore Georgio Hornio. *ibid.* 1657. in 4.

Apologia contra Jo. Miltoni defensionem, pro populo Anglicano, cura ipsius filii. *Divione* 1990. in 12.

Dissertatio de Sacch aro & Manna. *Lutet.* 1664. in 8.

Præfatio in librum de Homonymis Hyles Jatricæ, & de Plinio judicium. *Divion.* 1668. in 4.

Conf. hic insuper Paulum Colomesium in Gallia Orientali pag. 189.



HENRICI VALESII ORATIO IN OBITUM PETRI PUTEANI

VIRI CLARISSIMI,

REGI CHRISTIANISSIMO A CONSILIIS ET BIBLIOTHECIS.

PRæclarè à Veteribus institutum accepimus (Auditore ornatissimi) ut quæ quisque in vita maximè adamasset iisdem etiam post mortem ornamentis funeris donaretur. Quod etiam à principibus Poëtarum in Patrocli & Pallanti exequiis observatum videmus, quos exuviis militaribus ac misque instructos, à suis in rogum teferri finxerunt. Itaque cum PETRUS PUTEANUS quandiu in vivis fuit, singulari semper amore literas prosecutus sit, nec solum hereditario quodam, sed proprio ac peculiari affectu studiosos omnes fuerit amplexus, non dolore nec lacrymis, quæ cassa sunt & inania, sed literarum, quas coluit, immortalibus monumentis ac titulis post obitum decorandus videtur. Ac cæteris quidem, quibus major eloquentiæ copia, aut facultas carminum suppetit, curæ erit laudes ejus viri partim vincta, partim soluta numeris oratione prædicare. Neque enim fas est nomen tanti viri & de literis ac de patria optime meriti, absque ullo Musarum præconio, inhonoratum transmittere. Me vero non ambitio laudis, nec fiducia facundiæ, à qua me adhuc remotissimum esse & profiteor & sentio, sed sola beneficiorum illius recordatio ad dicendum impellit. Juvat optimo viro, & de me privatim bene merito has laudis inferias mittere, & hanc seram licet ac tristem, piam tamen nobisque honestam imprimis, nec ipsi, ut arbitror, ingratam mortuo gratiam referre. Itaque hoc à vobis postulo (Auditores ornatissimi) ut hoc grati animi nostri obsequium æqui bonique consulere, & quantum nobis deest aut ingenii, aut eloquentiæ, tantum favore vestro ac benevolentia supplere velitis.

Ac principio quidem cogitanti mihi, & universas simul Petri Puteani virtutes animo perlustranti, & quandam velut

velut imaginem vitæ ipsius ob oculos proponere instituenti, non mediocris occurrit difficultas ac perturbatio, undenam potissimum orationis nostræ ducamus exordium. Hinc se prudentia ingerit atque sapientia; quibus ille Vir tantum præstitit, ut omnium consensu summis quibusque muneribus, Regisque ipsius Consiliis dignissimus haberetur. Illinc morum integritas, ac vitæ innocentia non dicam sine noxa, sed sine ullius querela transactæ. Hinc singularis temperantia nos ad se vocat: illinc animi magnitudo atque constantia, qua veritatem atque intimos animi sui sensus de Rep. coram Magnatibus semper libere est prolocutus. Nec se præteriri patitur beneficentia, quæ in illo viro tam prolixa inerat, ut in hac tanta honestissimorum hominum multitudine vix ullus possit reperiri, qui non aliquo beneficio ei se devinctum esse fateatur. Tot igitur tantæque virtutes, seorsim singulæ & cum cura dicendæ, onerant potius dicentem quam juvant. Atque ut in opiparo convivio exquisitis dapibus referto singula propè fercula singulorum instar sunt conviviorum, sic in hoc argumento singulæ Petri Puteani virtutes justarum nobis Orationum materiam subministrant. Sed nescio quomodo me quidem minime invitum ad se allicit beata tranquillitas, quam cum ille tantopere adamaverit, ac perpetuo quodam nexu sibi mancipaverit, propriam ac familiarem ipsius virtutem meritò possumus appellare. Itaque cum ipse hanc totius vitæ suæ quasi fundamentum esse voluerit, non aliud nos sermonis nostri fundamentum ponere debemus, sed hanc tanquam tabulam substernentes, reliquarum deinde virtutum colores ad exprimandam vitæ illius imaginem illinere.

Magnum profectò & illustre exemplum tranquillioris vitæ his perturbatissimis temporibus extitisse mihi videtur Puteanus. Multi quidem antea Philosophi multa in suis libris de tranquillitate animi præclarè scripserunt, & ad eam omnibus votis, omnique animorum contentione adspirarunt. Verùm unus propemodum hac ætate eam & optimè intellexisse & feliciter assecutus esse Puteanus videtur. In quo tamen utrum prudentior fuerit, an felicior, equidem affirmare non possum. Nam quod à prima statim adolescentia ad tranquillitatis amorem vehementer incitatus, eademque per totum deinceps vitæ tempus potitus est, felicitati adscribendum puto. Neque enim sine divino quodam instinctu, & auxilio id aut cogitare aut consequi unquam potuisset,

ſet. Quod vero id vitæ genus omnibus rebus anteponendum eſſe judicavit, ſummæ profectò prudentiæ eſt. An eſſe ulla major prudentia unquam poteſt, quam vindicare ſe ſibi, nec alienis negotiis diſtentum ſe duntaxat ac ſua curare; ſe ſe in arctum cogere, & minimam ſui partem nudatam præbere fortunæ? Sed quibus gradibus ad hoc beatæ tranquillitatis culmen Puteanus pervenerit, videamus. Duas res potiſſimum in vita tranquillitati obſtare nemo eſt qui neſciat, ambitionem & avaritiam: geminas quaſdam peſtes ac furias generis humani. Quarum utra tetrior ſit ac violentior, difficile eſt dicere; ſed ubi ambæ ſimul junctæ animum cujuſpiam occuparunt, tum vero incredibiles excitant æſtus ac tempeſtates. Ceterum quicunque ad ipſum tranquillitatis portum cupit appellere, ſic clavum prudentiæ moderari illum oportet, ut inter hos duos ſcopulos rectum ſemper navigationis curſum teneat, nec ſe Sirenum cantu deliniri patiatur; ſed ut quondam Ulyſſes prætervehi debet, non quidem auribus cera oblitis, ſed animo adverſus cupiditatum illecebras obfirmato atque invicto. Id vero à Puteano egregie præſtitum eſſe, teſtes mihi eſtis. Qui cum ad ſummos honores merito adſpirare poſſet, utpote clariſſimi Senatoris Claudii Puteani Filius, cujus vivit adhuc immortalis memoria atque fama; nec materno genere minus nobilis; cumque eſſet ipſe eximia indole præditus, & liberalibus diſciplinis non vulgariter inſtitutus; quæ omnia ambitionem juventutis ſtimulis quibusdam incitare ſolent; tamen ſpretis honoribus, nobile quoddam ac liberale otium præoptavit. Ac principio quidem foro nomen dederat, morem ſecutus nobilium adoleſcentum, qui in hoc ſtadium laudis & gloriæ, atque honorum veſtibulum ingredi conſueverunt. Sed eo hactenus adſpecto & ſalutato, ut morem atque ordinem judiciorum cognoſceret, utque graviſſimum illum cœtum videret, in quo & pater ipſius, & ex materna ſtirpe quamplurimi ſumma cum laude conſederant, rectà ſe in domum, atque in ipſum tranquillitatis contulit ſinum, à quo tota deinceps vita divelli non potuit unquam, nec voluit. Eodem animi impetu quo honores contempſerat, conjugalibus etiam vinculis repudiatis, utraque ſimul cupiditate ſuperiorem ſe præſtitit.

Sed erit fortaſſe quiſpiam qui non magnopere mirandum

randum esse dicit honores à Puteano spretos fuisse, ad quos in numerosa præsertim & frugi familia adspirare vix posset. Quid tu mihi labem atque infamiam temporum nostrorum commemoras, quam ego de industria tacitus dissimulare volueram? An si jus & ratio in legendis Magistratibus valeret, non existimas P. Puteanum, & alios ejus similes ultrò ad tribunalia invitandos fuisse? Ego vero ob id ipsum maxime honores à Puteano spretos dico, quod venales esse eos videbat. Vile enim profecto sit necesse est, quicquid pecunia comparatur. Neque enim merx ulla, quæ venum exponitur, pecunia ipsa multo pretiosior potest esse. Quod si pecuniam, qua res omnes ipsique adeo honores parantur, non solum fastidio, sed etiam contemptu dignam sapientes viri semper judicaverunt, certe nec Magistratus ipsi, qui tanquam in auctione pretio addicuntur, eo quidem nomine magnifaciendi sunt. Verum concedamus, si placet, arctiorem censum fuisse Puteano, quàm ut ad Senatoriam dignitatem comparandam sufficere valeret. Quæ interim non minima laus est patris ipsius Claudii Puteani, qui in summo Magistratu summa cum integritate versatus, plus gloriæ liberis suis quam pecuniæ reliquit. At si minus sua pecunia, gratia certe, atque amicorum subsidio potuit facile Petrus Puteanus ad honores pervenire. Potuit suffragantibus Viris potentissimis, quibus aut notus erat, aut affinis, honores saltem Ecclesiasticos adipisci, quos tamen ille nunquam concupivit, sed aliis potius quam sibi mandari voluit, ut sui semper juris tranquilliore otio frueretur. Atque ut scias non ex æris inopia, sed certo ac fixo proposito, & constanti animi inductione honores à Puteano contemptos fuisse, unico eoque illustrissimo argumento rem evincam. Meministis, ut opinor, cùm ei ante hos decem circiter annos ob egregia ipsius in Remp. merita, Comitiva Sacri Consistorii à Rege delata fuisset, quanta cum animi magnitudine oblatum sibi in illo Regis Consistorio consessum, solo Comitivæ titulo contentus repudiarit: idque non fastu aut arrogantia, à qua Vir ille maxime semper alienus fuit, sed amore otii ac tranquillitatis, à cujus complexu & contubernio ut discederet, nulla unquam conditione poterat adduci.

Otium

Otium porrò cum dico, ne quis mihi molle quoddam ac delicatum otium suspicetur, cujusmodi est hominum luxu ac deliciis diffluentium; nec languidum pigrumque quale servulorum esse, ac nullius pretii hominum solet. Longe aliud est otium sapientum Virorum, quos nunquam minus otiosos videas, quam dum sunt otiosi, quippe qui probe intelligunt non solum negotii sui, sed etiam otii reddendam esse rationem. Itaque illorum otium aliorum negotiis longè antepono. Nec sine causa Socrates dicere solebat, non cujusvis esse hominis in otio agere, sed solius sapientis, qui cum omnia rectissimè faciat, tum belle inprimis otio uti novit. Hujusmodi igitur otium Petri Puteani fuit, sedico, quod ille totum in literis & pulcherrimarũ rerum cognitione consumpsit. Et cum in quacunque disciplina, ad quam animum applicare voluisset, primas posset sine controversia obtinere, tamen promiscuæ eruditionis gloriam aliis concessit: ipse ad historiæ, rerumque Gallicanarum notitiam conversus, otium suum patriæ utilitatibus & gloriæ consecravit. Nec contentus vulgarium librorum lectione, ingentem præterea numerum Epistolarum, Actorum, Legationum, Chartarum, atque hujusmodi monumentorum publicorum undique conquisivit. Quæ omnia, ut erat elegantiæ ac nitoris studiosissimis, pulcherrimo ordine digesta, non sine maximis sumptibus in libros redigi ac compingi curaverat. Diceres novam quandam Bibliothecam ab illo esse compositam, paternæ illi atque hereditariæ nihilo postponendam. Quam tamen ille non ad privatum duntaxat usum sibi retinendam putavit, sed ut erat bono publico natus, omnium usui & commodis publicavit. Itaque nemo ferè erat in civitate, qui non ejus domum libentissimè frequentaret. Conveniebatur quotidie à Senatoribus, à Legatis, à Principibus, ab omnibus omnium ordinum Viris, partim ut eum consulerent, quem unum rerum nostrarum peritissimum esse cognoverant: partim ut libros illos, quibus tot recondita monumenta continebantur, ab illo commodatos acciperent. Nec quicquam gratius accidere poterat Puteano, quàm cum cujuspiam hominis eruditi laborem suis illis monumentis adjuvari posse intellexerat; quippe qui hunc unum fructum esse censebat tot sumptuum ac laborum suorum, ut historiam patriæ aliqua ex parte illustrare posset.

At-

Atque hoc primum mihi videtur fundamentum fuisse Musæi illius toto orbe celeberrimi; de quo si quid impræsentiarum dicere aggressus fuero, vereor, ne infra ejus dignitatem mea esse videatur oratio. Sed tamen cum quemadmodum olim M. Cicero quicquid in eloquentiæ studio profecerat, id totum Academiæ spatiis acceptum referre solitus erat, sic ego Academiæ illi fratrum Puteanorum studia nostra plurimum debere profitear, nefas mihi esse arbitror de ejus institutione nunc silere. Malo enim ut de ejus gloria aliquid oratione nostra imminutum esse videatur, quam ut silentium nostrum ingrati animi reprehensione non careat. Igitur cum apud alias nationes, ac præsertim in Italia plerasque Academias ridiculis, quibusdam atque absurdis nuncupatas nominibus Puteanus videret, eisque certas leges descriptas esse intelligeret, certaque argumenta, de quibus illic esset colloquendum, definita, nec in eas præter homines ingenuis disciplinis excultos quemquam admitti, plane diversum iter in Academia sua instituenda sequi maluit. Neque enim ullum ei nomen imposuit, nec sermones, qui in ea essent habendi, ullis legum vinculis astrinxit, nec ab ejus aditu quemquam submovit, nisi qui sua ipse infamia aditum sibi ad eandem interclusisset. Quod cuidam notissimo ætatis nostræ parasito non semel evenisse meminimus; cui Musarum illud sacrarium ingredienti in ipso statim limine occurrens Puteanus, nunquam hominem ulterius passus est, nec in ornatissimo cœtu illo considere. Omnes igitur omnium ordinum viri non solum togati, sed etiam militares eo conveniebant, nec tantum Senatus, sed etiam Ecclesiæ Proceres hoc Musarum frequentabant. Vix in tota civitate domus erat ulla, cujus limen tot honestissimorum virorum vestigiis tereretur; ad cujus vestibulum tot Musarum caveam non inscite Timon Philosophus appellavit, quod in eo loco Doctissimi Viri tanquam altiles aves in cavea saginarentur. Sed hoc Puteanorum Museum Alexandrino illo longè præstantius mihi videtur, tum quod multo majore doctorum hominum frequentia celebretur, tum præcipue quod non modo omnis eruditionis copia, sed etiam rerum civilium non vulgaris notitia ex hoc nostro percipi possit.

Quod igitur otiũ (Auditores ornatissimi) hoc Petri Puteani otio amœnius unquam fuit, quæ tranquillitas beatior,

quis secessus felicior? Mihi certè ne ipsæ quidem, si usquam sunt, fortunatorum Insulæ fortunatiores videntur. Conferat nunc qui volet aliorum, atque inprimis Senatorum inquietissimas occupationes cum hoc otio Petri Puteani, & quantum intersit inter utrumque vivendi genus, intelliget. Illi totos pene dies in curia sedent audiendis litigantium clamoribus occupati: Hic Doctorum hominum sermonibus quotidie fruebatur. Illi contractuum, testamentorum, & hujusmodi instrumentorum exemplaria, & tædiosissima causidicorum scripta assidue in manibus habent: Hic vetera historiæ nostræ monumenta cum summa voluptate lectitabat. Illi litigantium jurgia disceptant: Hic de libris & operibus eruditorum virorum sincere atque integerrime judicabat. Illi ex aliorum controversiis privatum sibi quæstum comparant: Hic ex studiis suis nihil præter decus & gloriam patriæ captabat. Illorum domus procuratorum litigantium turba; hujus lectissimorum hominum frequentia redundabat. Quod si fortasse penes illos gratiam, auctoritatem, potentiam residere quis dixerit, ne hæc quidem omnia Petro Puteano defuerunt. Vixit enim tanta auctoritate privatus, quanta vix unquam ullis in summo Magistratu constitutis fuit. Itaque qui honores initio refugerat, ab honore ultrò ambiri videbatur. Cujus commendatio apud Judices, & tam Senatus quàm Ecclesiæ Proceres plus valuit, quàm suffragatio Petri Puteani? Quis ex ipsis Aulæ Proceribus ejus notitiam non appetivit? Amicitiam summo honori non duxit? Verum ille tanta gratia atque auctoritate nunquam ad ullius noxam atque injuriam, sed ad aliorum commodum atque utilitatem semper est usus. Possem plurima hic exempla prolixæ illius erga amicos beneficentiæ vobis commemorare, nisi hoc facto plurimorum, qui hìc adsunt, onerare verecundiam viderer. Præstat igitur ut privata unicuique beneficia narranda relinquamus, maxime cum in referenda gratia nihil sit grato animo eloquentius. Illud autem insigne beneficium, quo me privatim ei obstrictum esse in ipso orationis exordio sum professus, à me si lubet, accipite. Meministis adhuc temporis illius acerbissimi, cum Publicani genus hominum rapacissimum, & alienis opibus inhiare solitum, novum atque inauditum quoddam exactionis genus excogitarunt, quod collationem divitum appellabant. In

hunc

hunc divitum numerum relatus est inter cæteros Carolus Valesius pater meus, Vir qui suo semper patrimonio contentus vixerat, nec nummum ullum Regiæ pecuniæ contrectaverat. Imperata est ei non modica vis pecuniæ, quam intra paucissimos dies solvere jubebatur. Ea res non mediocriter animos nostros conturbabat. Itaque ego & Hadrianus Valesius frater meus quod unum poteramus, querelas nostras ad amicos detulimus, inter quos Puteani fratres principem locum obtinebant. Ægre inprimis hunc casum tulit Petrus Puteanus, & tum quidem nihil dixit. Sed crastino Illustrissimum Senatus Principem Matthæum Molæum adiit, quo cum ipsi summa familiaritas intercedebat; virum in tantum prudentiæ reliquarumque virtutum fastigium evectum, in quantum se se offerre humana mens potest. Causam ei sui adventus aperit, facinus indignum esse inquit, nos, quos literarum merito tutos esse atque immunes decuerat, hoc calumniæ genere vexari: depellendam esse à nobis hanc injuriam. Tum Molæus, ut est ad bene de literis merendum promptissimus, id se effecturum pollicetur. Nec mora Puteanus famulum cum Epistola ad nos mittit, monens ut statim à prandio ego, & frater ad Prætorium Illustrissimi Præsidis pergeremus. Excepti à Molæo cum summa humanitate, indictionis nostræ libellum, cujus exemplar ab apparitore nobis editum fuerat, ipsi obtulimus, patrocinium ejus implorantes. Ille accepto libello nos bono animo jubet esse, se id quod poscebamus, à Præfecto Regalis Ærarii facile impetraturum. Vix biduum intercesserat, cum Puteanus libellum illum ad nos remittit, Præfecti ærarii manu subnotatum, mandantis uni è judicibus, quibus ea jurisdictio à Rege commissa fuerat, ut nos hac indictione liberaret. Idque intra paucos dies incredibili celeritate completum est; tantum pondus habuit commendatio Petri Puteani. Et magnam quidem eo nomine gratiam Illustrissimo Molæo, non minorem tamen Puteano debemus, qui nobis præsentissimum illud ac potentissimum Molæi patrocinium conciliavit.

Quemnam igitur Puteano nostro parem unquam extitisse censetis, quem tot tantisque animi dotibus ornatum? Nisi forte Pomponium Atticum conferre lubet. Hic enim perinde nobili loco natus, cum nullos non Magistratus

Romæ

Romæ assequi posset, tamen ab honoribus constanter abstinuit, & otium suum in literis, & in historiæ Romanæ, nobiliumque familiarum cognitione traduxit. Par etiam in utroque beneficentia, nisi quod Atticus plures pecunia sublevavit, Puteanus vero tantum gratia. Est autem tanto majus gratia quemquam adjuvare, quanto plus plerumque gratia efficitur quam pecunia. Et pecunia quidem adjuvare inferior superiorem potest: gratia nisi superior non potest. Cæterum neuter beneficia sua venditare solitus: malebantque præstare operam amicis, quam polliceri. Verumtamen hoc mihi superior Attico Puteanus videtur, quod nec cōjugalibus vinculis, nec tanta rei familiaris cura districtus fuit, nec pristinam vitæ tranquillitatem violento, ut ille, exitu maculavit: sed cum in summa innocentia vixisset, tandem perceptis omnibus Religionis nostræ Sacramentis, spem æternæ tranquillitatis jam animo præcipiens, placidissima morte decessit. Vir profecto immortali memoria, & hoc, quem ei nunc habemus, honore dignissimus: optimus civis, patriæque amantissimus, qui semper utilissima Reipublicæ & sensit & dixit: Amicus fidelissimus: fautor & propugnator acerrimus literarum; summis juxta ac mediis carus: sui semper similis & constans, nec tenuitate rei familiaris infractus, nec affluentibus postmodum opibus elatus, eodem semper tenore æquabilem cursum à carceribus usque ad metam peregit. Habetis imaginem vitæ Petri Puteani (Auditores) eamque non fucatis adumbratam coloribus, sed veritatis ipsius penicillo delineatam. In quam quoties oculos conjeceritis, non mediocre levamentum doloris vestri percipietis: & quam deinde, si placet, ad posteros transmittentes, immortalem, quantum in vobis erit, memoriam nominis Puteani conservabitis. Superest vobis etiam altera ejus imago; atque utinam diu supersit: fratrem intelligo, veram effigiem oris illius, modestiæ, probitatis. Quo quidem superstite tantam hanc jacturam moderatius ferre debetis. Tibi vero Jacobe Puteane, jam enim ad te nostra se convertit oratio, cujusmodi consolationis fomentum ad molliendum solitudinis tuæ dolorem adhibebimus? Amisisti quidem fratrem optimum atque amantissimum tui, cum quo sexaginta fere annos sine ulla offensione vixisti. Sed habes amicos fratris tuique communes, ut omnia semper vobis fuere com-

munia,

munia, qui ſicut clariſſimi Viri fratris tui exitum acerbiſſime lugent, ita omnem cultum ac benevolentiam, quam nuper in duos partiebantur, nunc in te unum conferunt atque convertunt. Noli igitur horum mœrorem tuo mœrore exaggerare. Tot tibi fratres adeſſe exiſtima, quot hic amicos circumſtantes vides. Quamquam ſi fratrem adhuc deſideras, habes Chriſtophorum Puteanum, Virum ſumma doctrina, prudentia, ſanctitate. Qui tametſi locorum ſpatiis longiſſimè abeſt, adeſt animo, adeſt creberrimis literis & nuntiis. Quare abſterſo doloris nubilo animum erige, & ad majora te negotia accinge. An non ſentis majus nunc tibi eſſe onus impoſitum morte fratris tui? Suſcipias oportet patrocinium literarum. Non potes hanc hereditatem repudiare, quam Vir Clariſſimus pater, quam frater tuus tibi reliquerunt. Et quemadmodum quoties ad unum quempiam nomen atque hereditas ſplendidiſſimæ familiæ pervenit, totum gentis Decus in illo uno periclitatur, ſic tibi laborandum eſt, ne ab illa paterna, fraternaque gloria degeneraſſe videare. Omnes in te oculos nunc defixos habent, & abs te contendunt, ut quam perſonam vivo fratre in ſecundis partibus conſtitutus gerebas, eam nunc mortuo ſolus veliſ ſuſtinere. Quod ſi feceris, ut facturum te omnes confidimus, & pulcherrimum pietatis tuæ monumentum fratri ſtatues, & tibi ipſi immortalem gloriam comparabis.

PETRO PUTEANO,

LITERATORUM ERGA LITERATOS OFFICIOSISSIMO.

Complexus meritis terrarum ingentibus orbem,
Anguſta ſitus eſt hic PUTEANUS humo.
Multa viro debent Germanus, Belga, Britannus
Tu quoque vix ſolvas nomina, Galle, tua.
Nec nihil Auſonius benefacti civis ab illo,
Nec nihil Hiſpanus, ſit licet hoſtis, habet.
Denique quiſquis erat, ſeu doctus, ſive paratus
Diſcere, munificam ſenſit amicus opem.
Ipſi adeo de ſe manes ſenſere merentem,
Curavit libris quos ſupereſſe ſuis.

Namque per hunc tot scripta manu nituere, suumque
Regia servavit Bibliotheca decus.
Pro quibus officiis, toto jam plurimus auctor
Elysio, grates fundit ab ore pias.
Historicus, vates, orator, quisque suetum
Fecit opus, nullis gratia muta modis.
Laudibus innumeris resonant loca lata silentum:
Plausus & à doctis manibus usque datur.
I nunc, officium ne redde, ingrate, supremum,
Cui sua non umbra solvere justa negent?

FRANCISCUS VAVASSOR,
S. J.

EPIGRAMMA.

Qui modo Pieridum fuerat, sacrique Senatus,
Atque Parisini gloria prima soli,
Proh dolor! occubuit PVTEANVS crimine fati,
Et jacet in modico pulvis & umbra loco.
Quæ tamen ardenti viguit sub pectore virtus,
Vivit, funereos nec timet illa rogos.

IS. SARRAVIUS.

EPITAPHIUM.

PETRUS PUTEANUS CLAUDII PUTEANI SENATORIS AMPLISSIMI FILIUS, EX CLAUDIA SANGUINA FILIA BARBARÆ THUANÆ, QVÆ FUIT CHRISTOPHORI THUANI SENATUS PRINCIPIS SOROR, CLEMENTIS PUTEANI JURIS ÆVO SUO PERITISSIMI NEPOS. OPTIMIS PARENTIBUS OPTIME RESPONDIT: DOCTRINA PIETATE PRUDENTIA FIDE GRAVITATE CONSTANTIA PROBATISSIMUS: REGI A CONSILIIS ET BIBLIOTHECIS

THECIS: IMPERII GALLICANI JURA, EXEMPLIS SUMMO LABORE PROVISIS, REMPUBLICAM MINISTRANTIBUS CONSULTISSIME SUGGESSIT: PROCERUM ET CLARISSIMORUM UBIQVE VIRORUM OFFICIIS, OBSERVANTIA, FREQVENTI CONVENTU CELEBRATISSIMUS. VIXIT ANNOS SEXAGINTA NOVEM, MENSEM UNUM. HIC SITUS XIX. CAL. JAN. AN. CHR. M DCLII. IMMORTALIS PER CHRISTUM VITÆ GRATIAM EXSPECTAT. JACOBUS PUTEANUS FRATERNÆ GLORIÆ CONSORS, ORBITATIS SUÆ MOESTITIAM, NICOLAI RIGALTII VERBIS AMICITIÆ VETERIS HONOREM TESTANTIBUS, QVANTO PER CHRISTIANÆ MODESTIÆ PRÆCEPTA FAS EST SOLATIO CONSOLATUR.

SCRIPTA.

Traictés concernants l'Hiſtoire de France: *Pariſ.* 1654. in 4.

Les Droicts du Roy de France. *Pariſ.* 1655.

Preuves des Libertez de l'Egliſe Gallicane II. Vol. *Pariſ.* 1651. 1657. in fol.

Traicté de la Majorité de nos Rois, & des Preeminences du Parlement de Paris. *ibid.* 1655. in 4.

Perroniana, ſeu excerpta ex ore Cardinalis Perronii. *Genevæ* 1667. in 8.

Scaligeriana, ſeu excerpta ex ore Joſephi Scaligeri. *Lugd. Batav.* 1668. in 8. *Gröningæ* 1665. in 12.

Thuanea, ſeu Excerpta ex ore Jacobi Auguſti Thuani, *ibid.* 1669. in 8. In hiſce tribus ſcriptis additur: per F. F. P. P. & debetur *Iacobo* & *Petro Fratribus*

Puteanis, prout post alios erudite observat Vinc. Placcius in Synt. de Anonymis p. 75.

Historischer Tractat von dem Procefs wider den Ritter-Orden der Tempel-Herrn. *Vlm.* 1665. in 4. Gallicè. *Paris.* 1654. in 4.

Quàm plurima illustris hujus Viri scripta recensita invenio à Nicolao Rigaltio, sed ea publicam vidisse lucem singula, valde ambigo. Quamobrem Lectorem ad illum remitto.



MEMO-

MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, POETARUM, HISTORICORUM, ET PHILOLOGORUM

NOSTRI SECULI

CLARISSIMORUM

RENOVATÆ,

DECAS SEXTA.

CURANTE

M. HENNINGO WITTEN.



FRANCOFURTI,

Apud MARTINUM HALLERVORD,

Typis JOHANNIS ANDREÆ,

Anno clɔ Iɔc LXXIX.

J. LIPSIUS CENTUR. III. AD BELG. EPIST. XXVI.

LAUDE AC MEMORIA BONA DEFUNCTOS PROSEQVI, RATIO ET SAPIENTIA PROBANT.

NOBIL. AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. GEORGIO MATTHIÆ KÖNIGIO,

MAGNI QVONDAM PARENTIS,
THEOLOGI DE ECCLESIA PRÆCLARISSIME
MERITI, FILIO ÆQVE MAGNO,
IN INCLUTA NORICORUM ALTORPHINA GRÆCARUM LITERARUM ET
POESEOS PROFESSORI LAUDATISSIMO,
DOMINO ATQVE FAUTORI OMNI
STUDIO PERPETIM COLENDO,
UTPOTE CUJUS
VARIAM SOLIDAMQVE ERUDITIONEM,
COMITATEM AC MODESTIAM
INCREDIBILEM,
CANDOREM ANIMI MORUMQVE
ET VITÆ INNOCENTIAM
SINGULAREM,
ET QVOD RELIQVARUM VIRTUTUM
FUNDAMENTUM,
SINCERAM IN DEUM
PIETATEM.

JAM DUDUM PERSPEXI ET ADMIRATUS SUM,
LUGUBRES HASCE CHARTAS,
QVARUM PRIMITIAS
ALIQVOT AD ME EXARATIS LITERIS
ALBO CONSIGNAVIT CALCULO,
SERENA, CEU DECET, FRONTE
CONSECRO,
IISQVE GRATAM MENTEM
SUBARRHO,
PACEM INSUPER,
GRATIAM ET BENEDICTIONEM DIVINAM
CALIDISSIMO PECTORE
APPRECOR

M. H. WITTE,

ENIXE PETENS,
UT PRONUM ISTHUNC ANIMI
ADFECTUM,
QVEM LOETISSIME SENSI,
INCORRUPTUM ANNARE ET
PERENNARE SINAT,
DEQVE TANTO MIHI FAVORE DIU
MULTUMQVE GLORIARI
PERMITTAT.

SERIES

SERIES PHILOSOPHORUM, ORATORUM, &c.

SEXTÆ DECADIS.

Obiit anno

1652. Joh. Mochingerus, Eccles. & Rhetor. Dantiscanus.

1653. Marcus Zuerius Boxhornius, Eloqu. & Histor. Prof. Lugd. Bat.

1653. Elias Ehingerus, Gymnasii Ratisbon. Rector.

1654. Daniel Stahlius, Logic. ac Metaph. Prof. Jenensis.

1655. Daniel Heinsius, Polit. & Hist. Prof. Leidens.

1655. Petrus Gassendus, Phil. & Math. Gallus.

1655. Lambertus Barlæus, Græc. Ling. Prof. Lugd. Bat.

1655. Paulus Slevogtus, Logic. & Metaphys. Prof. Lipsiens.

1656. Andreas Rivinus, Poës. & Physiol. Prof. Lipsiens.

1657. Joachimus Jungius, Mathem. & Philos. Prof. Hamburg.

(o)

Nomine patriae? OLLVS.
GEDANENSES.
LETHO. DATUS. EST.

JOANNI. MOCHINGERO.

SACERDOTI. RHETORI. POLYHISTORI.
EXEQVIAS. IRE.
QVIB. COMMODUM. EST.
JAM. TEMPUS. EST.
OLLUS. EX. ÆDIBUS. ECFERTUR.
ECQVID. AUTEM. NON. COMMODUM. SIT. EXEQVIAS. IRE. MOCHINGERO.
QVEM.
SIVE. DOCTOREM. OLYMPICUM.
SEU. AD. CATHEDRAM. ORATORIAM. NON. CATHEDRARIUM.
VEL. AMICUM. AC. DECUS. URBIS.
OMNES. OMNES.
NUPER. ADMIRATI. AMPLEXATI.
JAMQ. MERITISSIMO. PLANGITIS.

NATUS. GEDANI. PARENTIBUS. HONESTISSIMIS. ANNO. SECUNDO. SECULI. SUPRA. MILLESIMUM. SEXCENTESIMUM. QVI. IN. GLORIAM. LITERARUM. ET. INCREMENTUM. QVIRITUM. PRÆTEXTATORUM. PLURIUM. FELICITER. ADOLEVIT. IN. STUDIIS. URBIS. PRIMA. SUBSELLIORUM. ET. TYROCINII. TEMPORA. OMINATA. SUNT. FESTINATAM. AUTUMNITATEM. ET. SUGGESTUM. QVEM. OCCUPAVIT. AD. MAJORUM. GENTIUM. SCHOLAS. PROFECTUS. ERUDITIONEM. SACRAM. PROFANAMQ. ET. QVÆ. ORIENTIS. ARDUA. ET. VARIA. EST. LOQVELA. SUB. MAGNIS. PRÆSTITIBUS. ALIQVOT. ANNIS. IMBUTUS. EST. EX. BREVI. PEREGRINATIONE. GALLIARUM. ALBIONIS. ET. BATAVIÆ. JUXTA. QVOSCUMQVE. ALIOS. PRODIGIOSA. FELICITATE. INGENII. LINGVAS. GENTIUM.

TIUM. CALLUIT. LATIALIS. ET. IBERÆ. SUPRA. MULTOS. ARNI. AUT. ESCURIALIS. ACCOLAS. INTELLIGENS. EX. SOLO. LECTU. IN. PATRIAM. REDUX. ÆTATEM. DOCTRINA. ANTEGRESSUS. PRIVATO. MAJOR. CONSENSU. OMNIUM. DIVINA. ET. HUMANA. DOCENDI. CAPAX. IN. SACRORUM. BASILICÆ. CATHARINEÆ. SYMMYSTAM. ET. LYCEI. RHETOREM. AC. POST. BIENNIUM. MOX. DICTI. TEMPLI. DOCTOR. PRINCEPS. ADSUMPTUS. EST. AD. COLLOQVIUM. REGIUM. DE. REBUS. SACRIS. TORUNIUM. CUM. MEGISTANIBUS. ALIIS. SACERDOTII. EX. SC. DEPUTATUS. FUIT. ENTHEUS. DOMI. FORIS. ADSERTOR. RELIGIONIS. SED. UBIQ. MODESTIÆ. RETINENS. RHETOR. NON. DE. SALAMINE. NEC. AD. POMPAM. NISI. RARO. SEMPER. AD. VITAM. ET. MORES. PROLOCUTUS. EST. IMITATOR. OMNIUM. ET. NULLIUS. INCHOAVIT. COMMENTARIA. FLORIDA. IN. ARPINATEM. ABSOLVIT. MELETEMATA. DE. ORATORE. SUPER. INSCRIPTIONIBUS. LIBERA. PER. VACUUM. VESTIGIA. AUSUS. EST. STATOR. SCIENTIARUM. RARO. ENCOMIO. NULLA. PROPE. INDECORUS. FACUNDIA. CIVILIS. ANIMI. APUD. URBEM. MAGNI. INGENII. APUD. OMNES. FECIT. FIDEM. DIXIT. MILLIES. MILLIES. OPTIMUM. MAXIMUM. NUMEN. CUJUS. VERE. CULTOR. SACER. VERE. SACERDOS. FUIT. DIXIT. AUGUSTOS. POLONIARUM. ET. GOTHORUM. REGES. SIGISMUNDUM. TERTIUM. VLADISLAUM. QVARTUM. ET. JOANNEM. CASIMIRUM. GRATUS. IN. TUTELARES. SUBDITUS. MAGNIFICUS. OMNIA. PANEGYRISTA. DIGNUS. IPSE. QVI. SUBLIMI. DICATUR. ORE. IN. EXEMPLUM. NEPOTIBUS. FECIT. ANNOS. VITÆ. NONDUM. QVINQVAGINTA. UTRIUSQ. PULPITI. VIGINTI. TRES. EXHAUSTUS. PROPE. TRIMESTRI. VALETUDINE. HECTICA. EXPIRAVIT. ELOGIO. URBIS. SACERDOS. PIUS. RHETOR. INDUSTRIUS. OMNIA. BONUS. PACIFICUS. NEC. INGLORIUS. SANE. TRADUX. SIVE.

MAJO-

MAJORUM. SUORUM. SIVE. COGNOMINUM.
MOCHINGERORUM. AD. POSTEROS.

TANTI. VIRI.

HOC. DIE. GEDANENSES. DUCENTUR.
EXEQVIÆ.
INTRA. URBEM. HUMABITUR. ORATOR. URBIS. INQ. ÆDE, UBI. TOTIES. ADSTRUXIT.
BEATITATEM. QVAM. INDEPTUS.
EST.
LECTICAM. NULLÆ. ANTEVERTENT. VENALES.
ANIMÆ. PRÆFICÆ. NON. SITICINES. CANET.
FLEBILE. PUBES. CUJUS. INSPECTOR.
FUIT.
PLORABIT. SUA. SPONTE. COETUS. PIETATE.
VICTUS. NEMO. QVÆSTU.
AUDIENTUR. EX. THRONO. TEMPLI. NON. MORTUALIA. AUT. THEATRICA. CALLOPISMATA.
SED. ACROAMATA. SACRA.
ET. POST. ILLA. SUCCINCTA. MAGNORUM.
MERITORUM. COMPENDIA.

ADESTE. COMITATE.

FREQVENTES. QVÆSUMUS.
VIDEANT. ADVENÆ. VESTRA. GLORIA.
DISCAT. ORBIS.
RENASCI. GEDANI. DIGNITATEM. PRISCAM.
LITERARUM. HEIC. FELICITER. NASCI.
VIROS. CLAROS. HEIC. DENASCI.
QVIPPE. QVOS. FUNGENTES. VITA. OMNI. HONORE. RECOLITIS. ET. DEFUNCTOS. GRATITUDINE. PUBLICA. EFFUSI. AD. MEMORIAM.
COMMENDATOS. HONORIFICA. CUM.
POMPA. ET. PARATU. COMPONITIS.

POSVIT. CONTRA. VOTVM.
JOAN. ERNEST. Schmieden
PRÆCEPTORI. BENE. DE. SE. MERITO.

EPITAPHIUM.

Relligio, Candor, Doctrina, Modestia, lingua
Pervaria, nec non *summa*, quas dicere longum,

Vir-

Virtutes reliqua perrara, Neſtoris annis
Quem dignum fecére (dolor !) tumulo hoc requiſcit.
Noſſe cupis nomen ? Tacito me, *fama* loquetur
Ipſa Viri, Gedanum; quin *Orbis*. Is eſt JOANNES
In Patria *Paſtor*, *Rhetorque* REGINCHOMUS urbe
Præclarus meritis bis denos amplius annos.
Hæc quoties recolis, calidis conſperge Viator
Laudatos cineres lacrymis, & *facta imitare*.

GEORGIUS FHELAVIUS,
Dantiſc. in Æde Mariana
Eccleſiaſtes.

SCRIPTA.

Diſcurſus Philologicus de Nominibus Dei Hebraicis Biblicis & Rabbinicis. *VVitteb*. 1623. in 4.

Oratoris boni, ſicut & Rhetoriſtæ induſtrii idea atque deſcriptio. *Gedani*. 1641. in 12.

Sylva floridorum è Diſſertationibus Rhetoricis ſuper Cicerone in Lyceo Gedanenſi habitis. *ibid*. 1640. in 4.

Orationes XV. de variis argumentis in Athenæo urbis Gedanenſis dictæ, quarum I. De Bellorum Viciſſitudinibus & eorum vario exitu. II. De plangore Urbis Gedananſis ſuper exceſſu Sigismundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis. III. De plauſu ejuſdem Urbis ſuper Electione Vladislai, Sigismundi Sueciæ Regis Hæreditarii, ad faſces Poloniæ. IV. De Conſervata Boruſſia & Pace reſtituta. V. In Uſuram ſortiariam. VI. In Paſquillos & Paſquillifices. VII. Contra Munitiones Urbium. VIII. Pro Munitionibus Urbium. IX. Judex Phyſices ſit peritus. X. De Lotionibus frigidis in profluentibus fugiendis. XI. De eminentia Scachorum inter alios ludos. XII. De præmiis in bene meritos conferendis. XIII. De Polytropia. XIV. De Vulpe, quæ, ut in fabula eſt, blanditiis uſa, Gallo caput morſicando abſtulit. XV. De Symbolo Hieronymi Falleti, quod fuit, Roſa inter Allium & cepas ſurgens, cum inſcriptione; Fragrantior. *Gedani* 1637. in fol.

Hermathenæ Gymnaſii Gedanenſis à Johanne Mochingero editæ; in quibus ſunt diſſertationes variæ: De Viciſſitudinibus Bellorum: De Fortunæ Olla: De Eloquentia; De vario veſtitus cultu: De modo noſtra

gerendi

gerendi bella: De mira pecuniæ indigentia ejusque causis: De libellis famosis: De Excessu Sigism. III. Polonorum electi, Sueonum Hæreditarii Regis: De Electione Vladislai Regis: De laudibus Linguæ Germanicæ, Typographicæ, Bombardicæ, artis utriusque à Teutonibus inventæ, Alemannicæ Poëseos: De Ovo: De Consultatione, circa vitæ genus sapienter eligendum, rectè instituenda: De peregrinatione: De conservata Borussia & pace restituta: De præmiis in Rep. conferendis & moderandis: De Polytropia: De Funeribus quibusdam præclarissimis Gedani confectis: In Nuptiis Henrici Frederi & Reginæ Wideria: De Gedano: De themate; Parva magnis esse præstantiora: De Luxu literario: De Andrea, Gloria & Avi Pelecano: Invitatio ad audiendam orationem funebrem: De Amnestia; Commendationes duæ studiosorum: Invitatio ad Orat. Ecclesiasticam: Acclamatio in nuptiis Valentini Thilonis: De Viris Magnificis Magnificentiæque virtute: De Natali Gymnasii Gedanensis: De Mercatore sapiente, honesto atque Christiano: Μακαρισμὸς Theologi Gedanensis, Danielis Dilgeri: De memoria, pronunciatione, & compositione: Invitatio ad quinque orationes audiendas: De Mæcenatis prisci descriptione: De librorum Tullianorum utiliter evolvendorum ratione commodissima: De Fortuna: In Nuptias Friderici Henrichsenii: De valetudine tuenda: De Fortitudine: In obitum Vladislai Pol. & Sueciæ Regis: Gratulatio ad Jacobum Zetzkium, Scholæ Marianæ Rectorem: De Modestia: In Electionem Regis Joh. Casimiri: In Nuptias Salomonis Blanckii: De Martini Lutheri incomparabili Eloquentia: De Bibliothecis: Testimonium Augustino Wisæo debitum: De Modestia, sedulitate & obsequio juvenum: De armorum Apparatu: Memoria Eggertiâ Kempen & Dorotheæ Schumanniæ: Elogium Joh. Freudenburgii: Monumentum Theologo Gedanensi, Michaëli Blanckio, debitum: Monumentum Elisabethæ Dalmerio-Rassovianæ: Lapis literatus Henrici Closii: De gloria Gedani: De Mosis ex monte Nebo inspectione in terram Palæstinam: In introductionem Mich. Falckii ad Professionem

fessionem Philosophicam: *Gedani* recusa sunt singula 1651. in fol.

I. A. Comenii Janua Linguarum reserata, cum collaterali Germanica & Polonica versione, vocumque indice Etymologico, studio Jo. Mochingeri & Andr. Wegierscii. *ibid.* 1637. in 8.

LAMBERTI BARLÆI ORATIO FUNEBRIS

IN EXCESSUM *Clarissimi Viri*,

MARCI ZUERII BOXHORNII,

Eloquentiæ & Historiarum in inclyta Academia Luguno-Batavâ, dum viveret, Professoris celeberrimi.

HABITA

In Auditorio Theologico IX. Octobris, Anno MDCLIII.

Magnifice Academiæ hujus Rector, Amplissimi, Spectatissimiq; Præclara hujus Vrbis Prætor, Consules, Scabini, quique Magistratui estis à consiliis & secretis, Professores celeberrimi, Collega honorandi, Pastores Reverendi, Doctores Clarissimi, Cognati, Affines, propinqui hujus nostri defuncti, Tuque florentissima Studiosorum juvenum Corona,

QVum nihil sit in rebus creatis proletarium magis, nihil naturæ convenientius, mortalibusque adeo omnibus à summo Numine penitius infixum, quam quæ nata sunt, denasci: & in hac mundi constitutione cœlo immortalitatem, terræ fragilitatem & corruptionem videamus esse congenitam: ita tamen cum humano genere comparatum est, ut si quos Reip. vel Ecclesiæ necessarios utilesve sibi subductos conspicit, eorum jacturam impatienter admodum, nec nisi cum summo animi dolore perfert. Quod, ut homines mittam,

mittam, in brutis quidem ipsis verum esse comperimus, quæ naturæ quodam instinctu surreptos sibi fœtus aut necatos cum compare quærunt, nec inventis ipsis orbitatem suam quasi deplorant, querulasque voces emittere non desinunt. In homine tamen, quem non pecudis ritu pronum ventriq; obedientem finxit Naturæ conditor, sed divino quodam rationis lumine collustravit, cuiq; imaginem suam insculpsit, longe major hic doloris sensus apparet, qui cum vetera & præsentia inter se bona comparat, damnique illati magnitudinem apud se metitur, sæpe ingeniosus sui ipsius tortor est mirusque carnifex. Quod ut privatæ utilitatis caussa non raro facimus: ita justiori ratione dolemus, quando publici boni fit jactura, & Rempublicam, Ecclesiam, aut Lyceum aliquod non modo corruere, sed & splendorem hujus vel illius multum deteri videmus, hoc est, cum subtrahuntur nobis viri rara doctrina, & virtute præstantes, qui civitatis, Ecclesiæ, vel Academiæ, dum vivebant, quasi fulcra quædam fuere & tibicines. Hinc luctuosum hoc seculum nostrum reputo, quo non privatorum modo hominum funera deploramus, sed & illustrium heroum principumque exequias sæviore luctu & lessu prosequimur. Non jam referre animus est duo Fœderati Belgii nostri sidera, & quasi Atlantes, Celsissimum Arausionensium Principem Henricum Fredericum patrem, quique brevi secutus est, per illustria Majorum suorum vestigia incedentem filium Gulielmum, fato non ita pridem extinctos: privata sunt, quæ loquar, tamen damnosissima Reipubl. Perdidit, heu dolor! jam nuper Batavia nostra Heroëm fortissimum, Martinum Harperti Trompium, Belgii nostri summum maris Præfectum, Oceani scopulum & assertorem invictum, cujus viri jactura, quam noxia sit patriæ, ne dicam, internecina, propius sentiunt, qui mare navigant. Nec jam inflicta recens Ecclesiæ vulnera refricabo, fideliumque Dei servorum, quos intra paucos abhinc annos, ex hac miseriarum valle ad se vocavit iratum Numen, obitus recensebo: sed quæ palæstram hanc Academicam propriè spectant, detrimenta non parva referam. Nuperum est, recensque adhuc dolor imis pectoribus inhæret, cum exequias celebravit illustris hæc Musarum sedes geminorum virorum in arte medica summorum, Adriani Falckenburgii Anatomices, & Ottonis Heurnii practicæ Medicinæ, dum viveret, Professoris, quorum utriusque excessus non exiguam Asclepiæ Scholæ caliginem induxit. Nec adhuc sandapilarum

larum & funerum Academicorum hîc meta aut finis. En nova rursus & lugendi, & parentandi se nobis offert occasio, nova materies. Amisit iterum, Auditores, amisit, inquam, celebris hic Phœbi recessus, duo non vulgaria, sed splendidissima sui lumina, Claudium Salmasium, ingens illud omnigenæ eruditionis sacrarium, vereque ambulans Musæum: & Marcum Zuerium Boxhornium Eloquentiæ & Historiarum nuper in hoc Athenæo Professorem clarissimum, de studiosa juventute jam per annos viginti duos optime meritum, cujus ego viri pientissimos in præsentia manes præfica oratione, sed brevi, pro more recepto, si Deo visum, ex hoc loco prosequar. Potuissem hanc provinciam detrectasse A. S. cum alii sint in hoc Professorio ordine viri Defuncto nostro conjunctiores, & à dotibus eloquentiæ, quas in me agnosco, instructiores; tamen Magnifici Rectoris Senatusque Academici motus auctoritate, cui non parere relligio mihi fuit, laborem hunc in me recepi: partim ob amicitiam, quæ mihi cum Defuncto intercessit, haud vulgarem; partim quoque vestra, Auditores, benevolentia fretus, qua mihi celeberrimi hujus viri vitam, & mortem simpliciter & sine phaleris enarranti adspirare non sitis dedignaturi.

Originem Defuncto nostro dedit Berga ad Zomam, (fluviolo id nomen non ignobile in extremis Brabantiæ ad occasum finibus oppidum, situ amœnum, præterlabente Scaldi flumînum celeberrimo; qui grandioribus navigiis portandis ob profunditatem aptus Emporio Antvverpiensi vicinisque locis commoda affert luculentissima. Quæ præclara urbs, non tam munitionibus, quam civium virtute valida, dum Fœderatis paruit Ordinibus, invicta hactenus stetit, tentata sæpius ab hostibus, etiam ex parte capta; tamen defensa fortiter, exactis iterum Hispanis, qui mediam occupabant. Quo memorabili facinore, & verè Romano gloriam sibi peperit immortalem. Eodem quippe momento, ô miraculum! & victa ab hostibus civitas, & ab incolis recuperata. Tunc qui eam ceperant facti duces, capti præda cessere civibus nostris: ex militibus Hispanis qui poterant, de celsis mœnibus se præcipitantes natando vitæ suæ consuluere: qui natare non didicerant, aquis mersi justas Plutoni inferias solvêre. In hac, inquam, pulcherrima Brabantiæ sede, vera Martis area & ludo, quæ & patria fuit Johannis Latomi Præsulis eruditissimi, & Poëtæ suavissimi, natus est Boxhornius noster anno cIↃ IↃ CXII, ibi primam cœli au-

ram hausit, vagituque suo tam clara vivendi auspicia feci Faustus ille dies, & niveo, ut cum Poëta loquar, signand lapillo, quo lucem adspexit hic infans, qui patriæ suæ pr sidio, familiæ decori, & Academiæ nostræ præluftre for suo tempore ornamentum. Nec perinde refert A. H. qu quis solo cœlove natus sit. Habent præclara imprimis i genia commune aliquid cum patria gleba, natalisque lo indolem referre ut plurimum solent. Sita est Bergopz mum in lectissima Brabantiæ parte, non longè à Mattiaco rum regione, cujus aërem ob vicinum mare rudiorem m nusque salubrem cœli sui benignitate castigat. Qua in ur cum nascendi initium sumpsisset Defunctus noster, utriu que & cœli & soli temperiem vita & moribus mirificè e pressit. Erat enim vir ingenio miti & blando, singulariqu adhæc morum suavitate præditus, quæ Brabantorum vel propria quædam dos est. Hac ille gratus infimi, medioc mi, summique ordinis placebat hominibus. Unde veriss mum esse deprehendimus, quod Peripateticorum asse Schola, pro regionum cœlique natura similes quoque mo rum characteres imprimi mortalium animis. Ut alia mi tam, patet id in plantis. Etenim nobiliores multo grati resque sunt, quæ molli solo & aëre natæ. Notum est illu summi vatis: Hic segetes, illic crescunt felicius uvæ. No quævis olim vina probabant Romuli nepotes, sed quæ vel agro Falernitano, vel collibus Massicis proveniebant. No crocus omnis ex æquo præstans habebatur, sed optimu censebatur Corycius, quique circa Tmolum colligitur. Si generosissimas equas alit Epirus: suavissima ostrea fert sinu Abydenus, vel mare Britannicum. Lupus piscis in Tibe natus esset, an mari, distinguere olim poterant ingeniosæ A piciorum gulæ. Quod & in aliis natatilium generibus opt me norunt Batavorum erudita palata, quorum pater Nep nus est, patria mare. Nec minus ad laudem facit præcla ex gente progenitum esse. Bœotorum stupiditas in prover bium abiit, ut suem Bœoticam appellarent veteres homine væcordem & obesæ naris. Hinc divinus ille Plato Jovi su gratias egisse dicitur ob quatuor; quod natus esset, non om careret; quod natus esset homo, non bestia; quod Græcu non Barbarus; quod denique Atheniensis, non Car aliqui aut vili de gente Cappadox. Nam extra Græciæ pomæri Barbari erant omnes: inter Græcos autem & linguæ, & mo rum elegantia præstabant Athenienses. Quare uti Sophus

ille

lle passim Atticissat vita, moribus, stylo: sic & in Defuncto nostro, dum vixit, perspicere licuit genium suæ gentis, qui cum Brabantus esset, & Bergopzomius, præter congenitam illi populo humanitatem, Martiale quiddam spirabat, & heroicæ indolis.

Sed Boxhornianæ stirpis claritudinem, & decora jam videamus. Ea certe vetustissima est, nec infimæ nobilitatis. Celebratur in antiquis Brabantiæ fastis, ut alios taceam, Johannes quidam Boxhornius, vir genere & bellica virtute præcipuus, ex cujus prosapia nomen omenque futuræ dignitatis accepit hic Noster. Nec ignota hodie Bruxellis, Lovanii, aliisque Brabantiæ in partibus Boxhorniorum prælustris familia, ut audiendus hic non sit cavillator Cuyckius, perfrictæ frontis sive Jesuita, sive Sacerdos, qui scripto publicè edito negare id ipsum impudenter ac refellere conatus est. Contrariam ejus rei veritatem testantur Insignia eorum, quæ, dum viveret Boxhornius, amicis id requirentibus modestè ostendebat: quanquam & idem ex aliis instrumentis, & chartis si opus foret, haud difficulter edoceri posset. Huic verò tam præclaræ domui non minimum splendorem intulit avus Defuncti nostri, Henricus Boxhornius vir eximiæ doctrinæ, & ardentis in Deum zeli. Hic cum Pontificiæ religioni initiatus esset, eamque diu, qua voce, qua calamo asseruisset, summæ inter Suos fuit existimationis, & dignitatis. Etenim Lovanii cum studiis operam navasset, & Latinis, Græcis, Hebraicisque litteris haut leviter esset tinctus, ad sacram Theologiam se contulit, in qua tantos brevi tempore fecit profectus, ut dignus fuerit judicatus, qui Licentiæ gradum in eadem consequeretur: cumque idem Romanæ Sedis tunc vindex esset acerrimus, jam ab Episcopo suo dignitatem obtinuit, ut Tinensi Ecclesiæ præficeretur Decanus, & hæreticæ, ut vocant, pravitatis Inquisitor. Verum ineffabilis, & misericors ille Deus cum singulari gratia Senem illum è verbo suo rectius instituisset, Spiritusque sui radiis caliginosam ejus mentem collustrasset, vidit tandem vir optimus, in quantis versaretur erroribus, quam fœdis superstitionibus polluisset animam, quamque damnandæ in conscientias hominum carnificinæ fuisset assertor & propagator. Itaque cœlesti illa veritatis luce circumfusus mutavit cum Saulo propositum, quique lupus lacerat gregem Christi persequens & vastans, mitissima Domini ovicula factus est. Maluit venerandus Senex cum fido

Dei servo Mose commoda omnia, & dignitates, oblatamque adeo sibi mitram despicere, & cum fratribus suis Christi opprobrium ferre, quam temporaneis deliciis, opibusque cum Ægypto, hoc est, Papatu frui. Mente igitur in melius mutata pro Reformatorum partibus stetit, tamque praeclarum se praestitit veritatis Evangelicae defensorem, ut communibus fratrum suffragiis ad divini verbi praeconium vocatus sit, Pastoremque egerit primum in Montium regione Duci Brandenburgensi subjecta, prope Cliviam. Mox Wordam accersitus, qui illic colligitur gregi Dominico per aliquot annos inservivit. Tandem ad BredanamEcclesiam regendam vocatus, una cum reverendo viro D. Musenbolio divini ibidem verbi praecone celebri, vigilantiam suam, fidem & integritatem ita probavit omnibus, ut non civibus modò esset gratissimus, sed & fortissimo Heroi Justino Nassovio urbis illius & tractus tunc Gubernatori summopere placeret, ejusque aula & mensa, ut sua uteretur. Nec, quod & hic obiter in laudem tanti Senis dictum volo, solius ille gregis sui curam habebat, sed & hoc sibi insuper negotii datum esse sciebat, ut praeter annunciationem verbi, Sponsam Christi in tuto collocaret, quaeque eam impeterent contradicentium ora, divinis rationibus obturaret. Hinc cum prodirent nonnulli ex cucullatis fratribus, & aliis, qui protervis conviciis, foedisque calumniis proscinderent Reformatam religionem, hic fortem se iis antagonistam praebuit & athletam. Talis inter alios fuit doctrinae purioris oblatrator supra dictus Cuyckius, qui nostrum hunc invictae veritatis, bonaeque caussae vindicem non semel adortus est. Contra quem scripsit libellum, cui titulum fecit Anti Cuyckii, in quo multiplicium errorum, & manifestae idololatriae reos agit Papistas. Edidit quoque Harmoniam Evangelicam, ubi Transsubstantiationem solidis è Dei verbo argumentis evertit. Nec calamo solum, sed & viva voce cum hostibus congredi ausus est. Hic est qui cum Patre Gauda Theologo apud Antverpienses famoso disputavit, idque faustis auspiciis & laude cum summa, triumphante semper supra mendacium divina veritate. Quin & alios ejusdem farinae & sectae homines in certamen provocare non extimuit. Cujus fortissimi athletae nostri laudes hic omnes recensere velle, supervacaneum fore duco, vobisque etiam, Auditores, taediosum. Reliquum est, ut de Zueriorum familia non minus clara nonnihil dicamus. Ea quoque gens cum vetusta sit, & illustribus sub-

nixa

nixa meritis, longa annorum serie firma apud nos perstat. Insigna veram, & omnibus partibus numerisque consummatam nobilitatem præferunt. Quatuor enim ex paterno, totidem ex materno genere latera, hoc est, familias ostendunt percelebres, ex quibus conflata Zueriorum in hunc usque diem clarescit gentilitas. Deinde in summo vertice galea conspicitur aperta, & leo ascendens, quæ non nisi Martiam & priscis majorum virtutibus fundatam claritudinem arguunt. Ex hac tam nobili stirpe Brabantica prodiit Jacobus Zuerius Defuncti nostri pater, Ecclesiæ Bergopzomianæ, dum vixit, Pastor insignis, qui cum uxorem duxisset Annam Henrici Boxhornii jam memorati filiam lectissimam, geminos ex ea suscepit filios, Marcum Zuerium Boxhornium, cujus in præsentia exequias celebramus, & Henricum Zuerium Ecclesiæ Lilloënsis in ripa Scaldis, Præfectum, Juvenem egregium, non Latine modo Græceque doctum, sed & Orientalium linguarum, ut multorum fama est, peritissimum. Quibus jam dudum fato subductis se socium ex eadem familia infert Jacobus Zuerius Defuncti nostri cognatus, vir gravissimus, & quæstoriæ apud Sylvoducenses dignitatis, cujus uxor nobilissima item mulier tanta apud Ameliam Principem viduam pollet gratia, ut eam Hagæ commorantem mensa suâ & cubili dignata sit non semel. Ex hoc tam felici connubio fœcunda adhuc superest filiorum propago, qui doctrina omnes insigni litterarumque studiis probe exculti, non indecores sunt generi suo, sed uti nominis, sic & avitarum virtutum se declarant ex asse hæredes.

Verum uti majorum natalibus meritisque resplendet Defunctus noster, ita nec affinitate eum minus fortunatum judico, qui cum ad nuptias animum appulisset, uxorem sibi delegit non togata de plebe aliquam, sed patritia è gente virginem, nempe Susannam Duvelariam, Petri Duvelarii Middelburgensium Consulis spectatissimi filiam, insignibus cum corporis, tum animæ dotibus ornatam fœminam, quæ fœcunda mater geminam marito suo peperit sobolem, at sequioris sexus, Johannam Boxhorniam natu majorem, & Annam Justinam, minorem annis erectæ utramque indolis filiolam. Tertia in utero prole posthuma jam gravida ex Defuncto nostro relicta, partuique proxima peracerbo conjugis sui divortio immane quantum affligitur. Tam splendida è familia cum oriundus sit Boxhornius noster, tamque

præclara affinitate junctus, nunquam tamen se majorum, aut affinium suorum decore & honoribus extulit. Norat enim vir modestissimus, non sanguine nitendum esse, sed virtute propria: Progenitorum nostrorum & conjugiorum prærogativas non nisi fumum esse & auram, nî iisdem, quibus partæ sunt, meritis suffulciantur. Quare ad ingenii cultum capessendum se totum contulit. Sciebat enim optimus parens, quantum in prima juventutis educatione momenti situm foret, nec satis esse, ut quis indole gaudeat bona, Musisque apta, sed adhibendam esse etiam à teneris probam institutionem, sive doctrinam, quæ teste Flacco, vim promovet insitam, discendisque pectus & judicium format firmatque: eandem nempe animi nostri rationem esse, quæ fundi alicujus vel agri. Hic enim licet solum nactus sit glebosum, & pingue, nisi tamen excolatur bonaque conseratur fruge, sylvescit, nihilque præter tribulos procreat & infelix lolium. Ita pariter mens humana, nisi ab ineunte ætate honestis artibus, sanctisque imbuatur moribus, luxuriatur, sylvamque profert omnis generis vitiorum & errorum. Hoc igitur ut præcaveret sedulus & providus genitor, eum jam disciplinæ capacem in Scholam ablegavit, ubi commilitonum laudabili æmulatione accensus, tanta ingenii dexteritate & discendi promptitudine cum æqualibus suis contendit, ut palmam omnibus præriperet. Itaq; primis Grammaticæ rudimentis, Latinisque litteris haut leviter instructus, ad Græcorum auctorum lectionem se gnaviter accinxit, in quibus, ut in aliis, licet non pari felicitate versatus esset, tamen & hic profectus fecerat non pœnitendos. Mox patre orbatus adhuc junior, matreque vidua, in avi tutelam domumque receptus est, qui non minorem nepotuli sui curam gerens, eum porro ingenuis artibus imbuendum tradidit, nullis ipse laboribus, sumptibusque parcens, quo minus ad plenæ eruditionis tandem culmen pertingeret. Breda igitur ab hostibus capta, vel potius fame dedita, postquam religionis caussa cum avo suo Leidam concessisset, quæ deerant sibi studia, pari diligentia & ardore pertexuit. Philosophicis diatribis haut segniter incubuit, opera usus Burgersdyckii, Professoris tunc temporis in hac Academia clari. Cum Bodechero quoque & aliis Peripateticæ Scholæ magistris familiariter conversatus haut exiguos profectus fecit. Nec à Juris legumque scientia plane alienus esse voluit, quæ cum maximam sui partem ex historiis petenda sit, etiam hoc in campo strenuum se præstiti[t]

The-

Themidis sectatorem, adeo ut nihil intentatum reliquerit generosus adolescens, quo veram & solidam eruditionis famā sibi compararet. Nec vota fefellit labor. Brevi enim tempore ad tantæ sapientiæ fastigium conscendit, ut de variis quęstionibus, præsertim ethicis & politicis inter eruditos dissereret, idq; tanta judicii sagacitate & verborum ornatu, ut audientium omnium oculos animosq; in se converteret. Historiarū præ cæteris lectione delectatus est, & naturali quadam inclinatione totus propendit in litteras. Unde factum, ut crebris declamationibus privatisque exercitiis vacaret, nec se modo solum, sed & studiosam juventutem una secum expoliret, salutaribusq; civilis doctrinæ præceptis imbueret. Quare cum jam supra prætextam saperet hic Papyrius noster, consummatamq; in politiori litteratura peritiam undequaq; testatā faceret, nobilissimis Academiæ Curatoribus eum commendandum esse censuerunt viri docti, qui tantum quoq; gratia sua & opera apud Consules Leidenses, & Lycei hujus Ephoros effecere, ut communibus omnium calculis Eloquentiæ Professor fuerit creatus, idq; juvenis admodum, quod mirandum, vix annum egressus decimum & nonum: In quo munere ita se gessit, tamq; præclarum se præstitit oratorem, ut non Marcus Zuerius Boxhornius, sed Marcus Tullius Cicero à nonnullis appellaretur. De quo jure equidē dici possit, quod de Pericle scriptum reliquit disertissimus Arpinas: Eloquentia illius non Græciam totam, sed Leidam universam, imo Bataviam intonuisse. Tanta enim cum majestate declamantem audivimꝰ, ut ad ejus dicendi vim obstupescerent omnes, ipsa subsellia, parietes ipsi velut contremiscere viderentur. Ita olim in Philippum arma strinxit Demosthenes: tanto in Verrem, Clodium, & alios robore detonuit Cicero: nec aliter Neroni suo bene vivendi imperandiq; præcepta dictabat eloquentissimus Seneca. Certe quod præfiscini dictū volo, vix alter inventus est aptior, qui decora magis oratione principum magnatumq; laudes extolleret, vel piis defunctorū manibus ore parentaret flebiliori. Hinc cum fæcundæ alicujus linguæ præconium desideraretur, omniū ad hunc dicendi magistrum concursus erat Quis Reginam Angliæ, Magni illius Henrici filiam huc accedentem gratulatoria oratione excepit? Boxhornius. Quis Celsissimū Arausiæ Principem Guilielmū prærnatura morte nobis ereptū voce & fletu prosecutus est? Boxhornius. Quis Justino Nassovio Bredæ Gubernatori perorando justa persolvit? Boxhornius, Quis nobilissimi Academiæ no-

nostræ Curatoris Adriani Mylii exequias suada sua & lacrymis decoravit? Idem Boxhornius. Hic est, qui & aliorum complurium herorum res præclare gestas, & illustres manes æternitati consecravit, quos, ut brevitati studeam, nunc tacitus prætereo. Trompii quoque Ducis fortissimi feralia celebrasset, si valetudo permisisset, quod officium diserta item oratione ejus loco supplevit vir clarissimus Antonius Thysius, collega noster dilectissimus. Nec Oratorem seduntaxat Boxhornius, sed & philosophum subinde testatus est. Cum enim publicis disputationibus, ut Polirices Professor, aliquando præsideret, tam graviter arguteque è cathedra disseruit, ut auditorium Theologicum, quo secedendum erat ob angustias Philosophici, vix caperet confluentem eò juventutem. Ad Academicas item lectiones quotiens accederet, Tacitumque prælegeret optimum vitæ civilis ducem, & aulicarum artium indagatorem vaferrimum, in tanta juvenum frequentia, tanto cum eloquio Scriptorem illum interpretatus est, ut in stuporem ageret pendentem ab ore ejus studiosam multitudinem. Nec vulgares modo discipulos habebat & sectatores, sed plerosque optimatum filios, florem Belgicæ & Germanicæ nobilitatis. Qui omnes tanti viri gratia & eruditione pellecti, sæpe ipsum adibant, de quæstionibus variis, ut Apollinem alterum consulebant, collegia privata sub eo habebant. Ita ut de domo ejus dici possit, quod de Isocratis Rhetoris domo scriptum legitur, ex ea, tanquam ex equo Trojano complures prodiisse disertissimos juvenes, & in historiis omnique literarum genere versatissimos. In quibus præter innumeros Germaniæ Comites & Barones, etiam fuit illustrissimus Princeps Megapolitanus, sive Dux Mekkelenburgensis, qui, ut propius Defuncti nostri institutione & politissimis colloquiis frueretur, mensa ejus aliquamdiu usus est. Imo in tanto habebatur apud exteros pretio, ut evocatus fuerit à Suecorum apud Ordines Federatos Legato, Reginæ & Procerum nomine ad amplissimas dignitates in Sueciam, sed amorem patriæ suæ Septentrionum illis filiis prætulit, & Attalicis conditionibus animum tunc sua sorte contentum. Nec sine caussa tantum sui amorem concitarat: Erat enim Viro illi à natura ingenium acre, judicium sagax, lingua prompta, methodus in docendo facilis & expedita, perspicuitas admiranda, dictio tersa & elegans, cæteræque animi dotes supra vulgarem hominis sortem; ita ut quæ vix singula singulis contingunt do-

na,

na, in hunc unum quasi virgula divina confluxisse viderentur.

Jam scripta Defuncti nostri quid memorem A.S. tot præclaros ingenii sui fœtus? Multa & varia edidit, quibus literatum orbem locupletavit. In his non infimum locum obtinent Historiæ Augustæ scriptores, quos ut tutò legi possint, emaculavit, notisque & animadversionibus doctissimis illustravit. Emblemata politica quoque & quæstiones Romanas Plutarchico more proposuit, quibus pro eo quo pollebat ingenii acumine, graviter subtiliterque respondet, caussis insuper additis variorum in togata gente rituum consuetudinumque. Vulgavit item opus non inficiandum, quod inscripsit Theatrum urbium Hollandicarum, in quo præclara multa de suo addidit, quæ apud Guicciardinum, & alios tabularum geographicarum scriptores frustra quæras. Bredanæ urbis, cui juventutis suæ educationem magna ex parte debet hic præstans alumnus, obsidionem, & à Principe Auriaco expugnationem graphicè delineatam descriptamque nobis exhibuit: uti & Sylvæ Ducis, quam à se pæne puero adornatam publici juris fecit. Notas in Justinum, & Paterculum quoque edidit rara eruditione refertas. Nec in Floro scriptore florentissimo, quod stylo confoderet, insigni Critico defuit. Animadversiones ejusdem in Cornelium Tacitum, & Poëtas Satyricos minores commentarium sedula terit juventus. His adde Chronicon Zelandiæ, quod vernaculo sermone à Joanne Reygersbergio conscriptum in lucem emisit. Quin & Metamorphosin rerum Anglicarum post cædem Caroli Britanniarum Regis nuper exortam è diversis auctoribus collectam concinnatamque in vulgus dedit. Cum de longioribus virorum capillis, & volantibus fœminarum cincinnis motum esset in Batavia nostra certamē, hic quoque libellum publicavit de prisco Belgarum in alendis crinibus more, in quo non pauca reconditæ eruditionis ex Adriano Junio & aliis affert exempla. Plinii item Secundi Panegyricon & epistolas à plurimis lacunis, & mendis repurgavit. Apologiam insuper scripsit pro navigationibus Hollandorum adversus Pontum Heuterum additam libero mari Hugonis Grotii: nec non dissertationem de Typographicæ artis inventione & inventoribus: cui junge & alteram de Trapezitis, vulgo Longobardis, qui in fœderato Belgio mensas fœnebras exercent. Commentarios idem scripsit in vitam Agricolæ Cornelii Taciti, & Apologiam pro com-

mentario suo adversus Dialogistam. Historiam denique universalem condidit à nato Christo ad annum usque millesimum, sexcentesimum & quinquagesimum, opus profecto laboriosum, & pereruditum. Scythicæ quoque linguæ tyrocinia quædam & arcana prodocere satagebat, sed cum ea vix nota sit Europæis, nec in aliis scientiis usum ullum aut exiguum habeat, paucos sibi invenit sequaces. Nec prætereunda hic Poëtica Defuncti opuscula, quæ vel quinta Dionæi nectaris parte imbuta doctæ posteritati reliquit. Fuit & illi benigna in Musas vena, nec invito Apolline carmina faciebat. Ingenii sui acumen ostendunt gnomæ, & curta epigrammata, quæ lusit. Distichis idem impense gaudebat prisci Catonis æmulus. Tum panegyricos, dissertationes & Orationes suas in lucem dedit, quas habuit diversi argumenti. Plura scripsit diligentissimus auctor ad genium prisci ævi, quæ variarum rerum & elegantiarum velut sesamo & papavere sparsa salivam movere queant erudito lectori, sed ne prolixior sim, Auditores, hic ea recensere supersedebo. Lucumo est, palatumque illi obbrutuit, cui Boxhornianæ Veneris & scriptionis hypotrimmata non sapiunt.

De conversatione Defuncti nostri pauca loquar. Etsi enim se facilem cuivis affabilemque præbuerit Boxhornius, nulliusque viri docti probive societatem despexerit, tamen intimæ admissionis non nisi paucos habuit amicos, ad quorum exemplar & quasi nutum se totus componebat. Inter eos præcipue coluit summi & ingenii & doctrinæ virum Danielem Heinsium, maturæ jam ætatis senem & emeritum, Academiæ nostræ & Græciæ, dum floruit, singulare fulcimentum, à quo cum plurimis beneficiis esset affectus Noster, non ingratus esse voluit, sed de tanto heroë, & Euergeta suo nusquam non bene mereri. E cujus etiam ipse lectionibus & dissertationibus eruditissimis plurimum profecerat. Petrum quoque Scriverium maximi fecit ob raram scilicet illius viri in historiis & omni antiquitate peritiam, tum quod promotionis suæ auctor & patronus apud Curatores & Magistratum Leidensem fuisset haud postremus: ne jam tanti Mæcenatis prolixum in omnes doctos affectum & candorem eloquar, quibus & hunc & alios sibi devinxit Musarum cultores. Franconi item Burgersdyckio intimus fuit, philosophorum, ut dictum, in hoc Athenæo nostro tunc celeberrimo. Denique cum omni hominum genere, præsertim Collegis suis

tanta

tanta semper vixit animi concordia & pace, ut nulli unquam gravis aut molestus; cunctis ex æquo gratus esset & amabilis.

Verum A. H. cum nihil in hoc orbe perpetuum esse voluerit divina Providentia, omnibusq; tandem mortalibus instet decretorius ille dies, placuit etiam Deo Opt. Max. hunc Collegam nostrum ad se vocare, morbumque ei immisit artus & membra velut lenta tabe depascentem. Quo nomine fuerit appellandus hic affectus, medicorum inter se disceptent filii. Phthisin alii vocant: alii Atrophiam, vel Anorexiam: nonnulli omnes has pestes quasi facto agmine in ipsum incurrisse verius affirmant. Quicquid sit, hæc occulta lues, ut incrudescere primum cœpit, pedes labefactavit ægri nostri, corporis sui columnas, quos ita attenuârat, ut rarius, nec nisi testudineo ac vacillante gradu ad Academiam proreperet potius quam iret. Subsecuta est deinde nutritionis. & virium omnium dejectio, ut cibum nullum admitteret fastidiosus stomachus. Si quid enim vel carnium ovillarum, vel pisciumi fluviatilium, aut firmioris edulii ingereretur, continuo id reddere coactus fuit. Solo potu Cereali, vino, & embammatis liquidioribus vitam utcunque sustentabat. Ingravescente igitur morbo, nec pedibus ultra officium facientibus lectulo affixus suo, ut vado obhæsit, divinæ se voluntati totum committens. Tum Christi mortem & pretiosa merita sæpius deprædicare, conscientiam excutere, peccata ingenue fateri, cœlestem misericordiam implorare: mundi contra hujus bracteata bona, & vitreos splendores contemnere, destari, conculcare, cœlestium thesaurorum; & deliciarum duntaxat appetens. Quoties ab uxore mœsta subinde compellaretur, piis & benignis verbis lacrymantē consolatus est: Deum non defore viduæ & orphanis dicebat: se jam à longo tempore mori didicisse, ut cum suprema illa affulgeret hora, secure & beate mori posset: nihil aliud jam restare, nihil se desiderare ardentius, quam ut de statione hac sua eum vocet cœlestis ille Imperator. Tunc sæpius animo occurrebat postrema illa & vere cygnea cantio Simeonis: Nunc dimitte servum tuum in pace, ô Domine, secundum verbum tuum. Nam oculi mei viderunt salutem tuam. Amicis ipsum invisentibus nulla unquam tristitiæ signa declarabat, sed bono se animo esse constanter asseverabat. Postremum ubi vox deficere cœpit, accersitus ad eum vir reverendus Martinus Ubenius, Ecclesiæ Leidensis Pastor

exi-

eximius, quæsivit ex eo: num abdicatis propriis meritis solum Christum ejusque merita amplecteretur brachiis fidei? Respondit: Etiam. Deinde precibus ad Deum fusis salutem illi cœlitus à summo Numine exceſſum optavit. Qui ex consanguineis & amicis ad extremum usque vitæ halitum ei adhæserunt, in quibus etiam fuit egregius juvenis Abrahamus Bubbenius Theologiæ Studiosus, non nisi pia illum divinæque fiduciæ plena verba locutum esse testantur, quæque lingua amplius exprimere nequibat, nutu significasse. Ita placidus tandem quietusque Zuerius noster in Domino obdormivit V. Nonar. Octobr. hora octava matutina, ætatis suæ annum agens quadragesimum. Quodque notandum est, eodem illo die, quo liberata fuit Leidensium civitas ab arctissima obsidione Hispanica, cujus grata posteris memoria quotannis heic celebratur, dimissus etiam est & quasi manumissus ex hoc corporis ergastulo in libertatem Boxhornius noster, cujus beatissima jam anima in sinum Abrahæ recepta gaudio fruitur ineffabili: quique terrenorum regum magnatumque hactenus intonuit encomia præco, jam Creatoris sui & Agni præconia celebrat in cœlo triumphans. O gratissimum Superis hospitem! ô desiderandum piis omnibus Defuncti nostri exitum! qui jam in cœlestem illam traductus Academiam, in plenæ veritatis Scholam, non Belgas modo, Germanos, aut Polonos sibi habet auscultatores, sed ipsos Dei Angelos, sed beatissimas ex omni gente mentes, sed cives novæ illius Jerusalem, quibuscum ille pro more differens, canens, declamans, voluptatem sibi parit incredibilem: at nobis, mœstæ conjugi, liberis, triste sui desiderium in terris reliquit. In quo Viro A. H. Academia nostra Professorem amisit celeberrimum; Nos singuli Collegam conjunctissimum & suavissimum; Vos Studiosi adolescentes singulare diligentiæ & comitatis exemplar. Intuemini quæso vitam ejus, & virtutes, perseverantiam in vera fide, charitatem erga Deum & proximum, spem animi inconcussam, in malis ferendis patientiam, aliasque animi vere Christiani dotes. Has, inquam, suspicite, & quantum in vobis est, vita & moribus exprimite. Privata magis loquar, viri hujus in discendo docendoque sedulitatem imitamini singularem, in sedulitate labores, in laboribus constantiam, in constantia alacritatem. Sicut ille crebris vigiliis, & laboribus indefessis ad editum illud sapientiæ culmen contendit; ita & vos tam clari Præceptoris vestigia prementes

tes ad ejus normam studia vestra componite. Non in lecto plumeo, aut floridulo prato recubat Sapientia. In prærupto stat monte. Laborandum est, anhelandum, ut eam arripiatis, Defuncti nostri exemplo, qui diurnis nocturnisque impallescens chartis, crebroque sudans & algens, tantam sibi eruditionis famam acquisivit. Fallunt miseri & falluntur, qui viam sibi planam, & facilem imaginantur. Scrupea est, acclivis est, dumis & vepribus obsessa, quæ ad Scientiæ collem ducit semita. Ad hunc cum Zuerio nostro pertingetis, si vitatis voluptatum illecebris, & turpi desidia solum ea sectemini, quibus Patriæ, & Ecclesiæ, præsidio ac ornamento esse possitis. Ad mortem vero Defuncti quod attinet, ea etiam placidissima fuit & piissima, doloris omnis expers, nulla cum sensus alienatione aut delirio conjuncta. Extinctus est, ut lucerna oleo destituta: quodque nobilissimum animæ depositum à Deo acceperat, porrecta quasi manu Creatori suo reddidit, non ægre aut murmurans, sed ultrò, cum gaudio, ingeminans subinde: Veni ô Christe, veni Redemptor exspectatissime. Talem igitur vitæ feliciter transactæ exitum, qualis cum Defuncto nostro paucis obtingit, non mihi solum A. S. sed vobis etiam, sed omnibus piis suo tempore largiatur summus ille animarum nostrarum Pastor & Sospitator Deus per Dominum Christum.

D I X I.

Extat quoque Historia vitæ & obitus Celeberrimi hujus Viri descripta à *Iacobo Daselio*, quæ una cum Boxhornianis Epistolis Amstelodami anno 1662. prodiit.

M. Z. BOXHORNIO,
Viro maximo,
Historiarum Professori clarissimo,
Sacer honor novissimus.

ZVERIVS jacet hic, cui Fata secunda dedêre
Ingenio terris vivere, mente polis.
Exuvias alii claudant, cineresque sepulchris;
Tullius hîc, Virtus, hic Tacitusque rigent.
ZVERIVS jacet hic, ætas cui nulla priorum
Vidit, posterior non habitura parem est.

L. DE LINDA.

Cujus

Cujus adoranda concessit laurea lingua,
Quem coluit patrius, quem peregrinus honos:
Qui toties lauro praclaros dixit utraque,
Magnaque sive toga nomina sive sago:
Nunc tacet aeternum, numero nunc ille silentum
Additus, emeritis latus inerrat avis.
Leida quid illius praconia dicere tentas?
Nulla capit Zueri linguave, mensve decus.
Dedidicit se nunc avi facundia, Zueri
Desiit (hoc uno noverat) ore loqui.

HENRICUS BRUNO.

EPITAPHIUM.

CONDITUR HOC TUMULO BOXHORNIUS, ECCE VIATOR;
NEC TAMEN HIC TUMULUS DICITUR ESSE CAPAX:
CORPUS HABET TANTUM, VERUM MONUMENTA MANEBUNT,
NAMQUE HORUM POTUIT JURIS HABERE NIHIL.

F. TURCÆUS.

SCRIPTA.

Granatarum Encomium. *Amsterod.* 1631. in 4.

Historiæ Augustæ Scriptores, cum Animadversionibus ac Notis Tom. IV. *Lugd. Batav.* 1631. in 12.

Theatrum, sive Descripr o Comitatus & Urbium Hollandiæ, cum tabulis Geographicis, *Amster.* 1632. in 4. Petrus Montanus in linguam Belgicam vertit, *ibid.* in 4.

C. Plinii Panegyricus, recensitus: *Lugd. Bat.* 1632. 1648. *Amstar.* 1659. in 12.

Animadversiones in Suetonium Tranquillum, *ibid.* 1632. 1645. in 12.

Poëtæ Satyrici minores cum commentariis *ibid.* 1632. in 8.

Respublica Leodensium. *Amsterod.* 1633. in 24.

Apologia pro Navigationibus Hollandorum, adversus Pontum Heuterum, addito Hugonis Grotii Mari Libero, *Lugd. Batav.* 1633. in 24. 1638. *Londini* 1636. in 8.

Emblemata Politica & Dissertationes Politicæ. *Amsterod.* 1634. 1651. in 12.

Julii

Julii Cæsaris opera cum commentariis Variorum, ex recens. *ibid.* 1634. in fol.

Grammatica regia, sive nova & facillima ratio discendi linguæ Latinæ præcepta, pro Christina Suecorum Regina. *Holm.* 1635. *Lugd. Bat.* 1650. in 12.

Dionysii Catonis disticha de Moribus Græco-Latina cum notis. *Lugd. Bat.* 1635. in 8.

Oratio Inauguralis, de Majestate Eloquentiæ Romanæ, cum Collegii publici Præses creatus esset. *ibid.* 1636. in 4.

Orationes tres, de Theologia Paganorum, Fabulis Poëtarum & Animarum Immortalitate. *ibid.* 1636. in 4.

Character Caussarum Patroni, *ibid.* 1627. in 4.

Character Amoris, *ibid.* 1637. in 4.

Oratio funebris in obitum Illustriss. Herois, Dominici Molini, Patricii & Senat. Venet. *ibid.* 1636. in fol.

Panegyricus Celsissimo Arausionensium Principi, Friderico, Henrico, post Bredam oppugnatam dictus. *ibid.* 1637. in fol.

Quæstiones Romanæ, in quibus sacri & profani ritus, plurima etiam Antiquitatis monumenta eruuntur & explicantur. *ibid.* 1637. in 4.

Monumenta illustrium Virorum æri incisa & elogia. *ibid.* 1638. in fol.

Justinus, cum Notis. *Amstelod.* 1638. 1653. 1660. &c. in 12.

Historia Obsidionis Bredanæ, & rerum An. 1637. in Belgio aut alibi gestarum. *Lugd. Batav.* 16[.]0. in fol.

Panegyricus in classem Hispanorum profligatam. *ibid.* 1639. in fol.

Orationes duæ de vera Nobilitate & ineptiis seculi. *ibid.* 1635. in fol.

Oratio, qua Serenissimæ Henricæ Mariæ, Magnæ Britanniæ Franciæ & Hiberniæ Reginæ, urbem Leidensem subeuntis adventum venerabatur. *ibid.* 1642. in fol.

De Typographicæ artis Inventione & Inventoribus Dissertatio. *ibid.* 1640. in 4.

Dissertatio de Trapezitis, vulgo Longobardis, qui in fœderato Belgio mensas fœnebres exercent. *ibid.* 1640. *Groninga* 1658. in 8. & 4.

Commentar. in Vitam Agricolæ Corn. Taciti. *ibid.* 1642. in 12.

Apo-

Apologia pro Commentario ad Agricolam Taciti, adversus Dialogistam. *Amsterod.* 1643. in 12.
Plinii Epistolæ una cum ejusdem Panegyrico recensitæ, *ibidem* 1659. *Lugd. Bat.* 1648. in 12.
Oratio in excessum Illustriss. Principis Constantini Alexandri Principis Ostrogiæ, &c. *Lugd. Bat.* 1642. in fol.
Animadversiones in Corn. Tacitum, *Amsterod.* 1643. 1638. in 12. 1673. in 8. *Lugd. Batav.* 1642. *Venetiis* 1645. in 12.
Oratio de Somniis, habita cum ordiretur interpretationem Somnii Scipionis, *Lugd. Bat.* 1639. in 4.
Dissertatio de Amnestia, *ibid.* 1648. in 12.
Dissertatio de Successione & Jure Primogenitorum in adeundo Principatu, ad Carolum II. Magnæ Britanniæ Regem. *ibid.* 1649. in 4.
De Majestate Regum Principumque liber singularis, adversus I. B. cogitationes subitaneas in præcedentem Dissertationem, *ibid.* 1649. in 4.
Commentariolus de Statu Confœderatorum Provinciarum Belgii, *Hagæ-Com.* 1650. 1659. in 12.
Panegyrcus in Nuptias Principis Arausf. Guilielmi, & Mariæ Britanniæ Regis Filiæ, *Lugd. Bat.* 1641. in fol.
Historia Universalis sacra & profana, à nato Christo. ad annum M DC L. *Lugd. Batav.* 1651. 1654. in 4. continuata ad nostra usque tempora. *Lips.* 1575. in 4.
Oratio funebris in excessum Adriani Falckoburgii Med. D. & Prof. *ibid.* 1650. in 4.
Haymonis Historiæ Ecclesiasticæ Breviarium. Cui adjunxit prima Religionis Christianæ rudimenta, vetustissima Alemannorum & Saxonum lingua conscripta. *ibid.* 1650. in 12.
Elberti Leonini Dissertatio de Trapezitis Belgii, *ibid.* in 8.
Disquisitiones Politicæ; id est, LX. Casus Politici, ex omni historia selecti, *Hagæ-Com.* 1650. 1655. in 12. sunt quoque recusæ Gallicè.
Metamorphosis Anglorum, 1653. in 12.
Disseratio de Græcæ, Romanæ & Germanicæ linguarum harmonia. Subjuncta est Grammaticæ Regiæ, *Lugd. Bat.* 1650. in 12.
Orationes varii argumenti, *Amstel.* 1651. in 12.
Originum Gallicarum liber, in quo veteris & nobilissimæ Gallorum gentis Origines, antiquitates, mores & lin-
guæ,

guæ, aliaque eruuntur aut illustrantur. Cui accedit antiquæ linguæ Britannicæ, Lexicon Britannico-Latinum, infertis explicatisque passim Adagiis Britannicis, *ibid.* 1654. in 4.
Oratio in excessum Guilielmi, Principis Arausiæ, Comitis Nassovii. *Lugd. Batav.* 1651. in fol.
Oratio in excessum illustris Viri, Cornelii van der Myle, *ibid.* 1642. in fol.
Ideæ Orationum è selectiori materia moderni status politici desumtæ. *ibid.* 1657. *Lipsiæ* 1661. in 12.
Institutionum Politicarum libri duo, *ibid.* 1657. 1668. *Lips.* 1659. 1672. in 12.
Chronologia sacra & profana. *Francof.* 1660. in fol.
Epistolæ & Poëmata. *Amstel.* 1662. in 12.
Differratio de Imperio Romanorum. *Iena.* 1664 in 12.
Nederlandtsche Historie eerste boeck, behelsende de eerste Veranderingen in den Godsdienst en leere tot de tyden van Keyser Karel de V. *Tot Leyden* 1644. 1649. in 4.
Spiegeltjen van 't lanckhayr ende hayrlocken by de Hollanders ende Zeelanders getragen. *Tot Middelb.* 1644. in 12.
Spiegeltjen vertoonende 't kort hayr by de Hollanders ende Zeelanders jonghst getragen en van de Vremde ontleent. *ibid.*
Chronyck van Zeeland eertyds beschreven door Joh. Reygersbergen, nu verbetert ende vermeerdert. *ibid.* 1644. in 4.
Bedkedinge van tot noch toe onbekende Afgodinne Nehalennia; over ettelicke hondert Jaren onder t' sant begraven ende onlanghs ontdeckt op het strandt van Walcheren. *Tot Leyden* 1647. in 4.
Antwvort op de Vragen, voorgestelt over de bediedinge van de Afgodinne Nehalennia, in vvelcke de gemeyne herkomste van de Griecken, Romeynen ende Duytsche tale uyt den Schythen duydelick bevvesen, ende verscheyden out heden van dese volckeren ontdeckt ende verklaert vvorden. *ibid.* 1648.
Chronyck van Holland, Zeeland ende West-Vrisland door Jo. Veldenaer geschreven, uyt gegeven door M. Z. Boxhorn. *ibid.* 1650. in 4.

MEMORIA
Reverendi Clarissimi & Excellentissimi Viri,

DN. M. ELIÆ EHINGERI,

Gymnasii Poëtici apud Ratisbonenses Rectoris emeriti,

Renovata & translata

Ex Concione funebri Germanicè habitâ

à

M. ANDREA STEINERO,

S. Ministerii Evangelici ibidem Seniore.

INgens illud totius Germaniæ ac rei literariæ decus, ELIAS EHINGERUS, superioris ævi anno septuagesimo tertio, septimo Septembris die, in lucem hancce vitalem felici ortu prodiit. *Patrem ejusdem* habuit *Nominis*, doctrinæ insignis æque ac spectatæ fidei Virum, in Comitatu primum Oettingensi, Augustæ deinde Vindelicorum ad Spiritum S. Symmastam pium atque fidelem; *Matrem, Mariam Aspergerinam*, stemmate & probitate egregiam, *Avum* verò *Iohannem Ehingerum*, jam pridem summo rerum culmine Virtus ac meritorum in Ecclesiam gloria extulit, atque fama, ceu Poëta loquitur, in astris locavit: Quippe qui in prædicta urbe Augusta, circa A. C. 1531. Evangelium animosè & juxta divini verbi tenorem ritè docuit, verum ob id, ab Imperatore Carolo V. Sleidano teste, in exilium pulsus fuit. Hujus quoque opera, prospero admodum successu, usus est Otto Heinricus, Elector postea Heidelbergensis, qui eum Neoburgum benignè evocavit, ut Ecclesiarum Palatinarum Ephoriam sustineret, sibique subjectas ditiones ab omni Paparum heterodoxia purgaret. Rediit demum Augustam, ibidemque Spiritum Christo Salvatori placida morte reddidit. Parentes autem provida, ut decet,

cura

cura ignitum in Elia filiolo suo genium animadvertentes, eum à teneris statim unguiculis literarum liquore imbuendum destinarunt. Sub *Hieronymo* itaque *Bavaro*, *Georgio Salzhubero* & *Davide Schramo*, Ludi Augustani Moderatoribus dexterrimis, cum omnium bonorum gaudio & admiratione adolevit, & pietatis, linguarum, artiumque rudimenta posuit. *VVittebergam Academiam* longè celeberrimam A. 1593. petiit, ibidemque splendidissima cœli Sionei sidera, *Lyserum*, *Hunnium*, & *Gesnerum*; docentes eximia coluit sedulitate. Vix biennium in studiis absolverat, cum dignus judicaretur, ut Philosophica Laurea, quam *Magisterialem* vocant, exornaretur. Ne autem una solum alligatus loco videretur, *Tubingam* salutavit, ubi à Præstantissimo Theologo, *Matthia Hafenreffero*, Ministerii sacris fuit initiatus. Mox in *Inferiorem* abiit *Austriam*, ut Perillustri Baroni, *Davidi Enenckelio*, à concionibus esset Aulicis. Quod munus magna utique dexteritate ac prudenti vigilantia *Albertiomonti* sustinuit. Cum illic sexennium docendo complevisset, in *Superiorem* quoque *Austriam* A. 1603. ab alio illustri quodam Viro, *Ioh. VVilhelmo L. B. de Zelcking* vocatus, Verbi divini egit Præconem *Kefermarckii* satis probum atque orthodoxum. Sed insperatò in tristia illa incidit tempora EHINGERUS, quibus gravissima suborta persecutio solum vertere, & supremum Ecclesiæ sibi rum desponsatæ vale dicere debuit. Patriam igitur repetere necessum erat, summo ita eum Numine ducente, ut Anno 1605. honorificum *Rectoratus* in Lib. Imperiali *Rotenburgo Francorum ad Tuberam* officium amplecteretur. Dum hoc toto animi impetu persequitur, nihilque de parta jam eruditionis ac industriæ suæ laude remittit, duas æque legitimas aliunde obtinuit vocationes; Unam ad *Ephoriam Ecclesiarum VVolfsteinensium & Sulzburgensium*; alteram ad *Moderamen incluti Gymnasii Vlmensis*; Sed utrasque istas, gravissimis inductus rationibus, suscipere modestè recusavit. Annô demum post Redemptoris Nostri Natalem sesquimillesimo decimo octavo, ὁ Μακαρίτης ab Amplissimis Patriæ suæ Proceribus, ad *Lycei Augustano-Evangelici*, & instructissimæ ibidem *Bibliothecæ Directionem* humanissimè invitatur, quibus se subducere laboribus nec potuit satis nec etiam voluit. Hac proinde nobili provincia suscepta, nihil tunc omnino altissima Viri indoles intactum reliquit, nihil in Encyclopædia Philosophica, nihil in immensis Historiarum ac

Philologiæ aurifodinis insalutatum transmisit: Poëticam ille venam mollibus numeris profluentem ad stuporem usque multorum hominum exercuit: Problemata quælibet, licet spinosa maximique momenti promptè ac perspicuè novit illustrare: Sacratissima non minus fidei dogmata nervose exponere, eaque venerando Antiquitatis consensu apposite comprobare, studium EHINGERO maximè fuit proprium. Hinc *thesaurum Patrum & Antiquitatis* ipsum haud immeritò indigitarunt, qui exactius virum, hunc impense doctum noverunt. Testantur cumprimis de eo tot consummatæ eruditionis monumenta, orbi gratissime relicta, in quibus habent,, quod sudent Theosophi, quod ungues arrodant Poëtæ, quod æstuent Oratores, quod fatigentur Historici. Virtuti tamen tantæ non semper secundis arrisit auribus benignior fortuna, adeoque & altera vice A. 1629. *ὁ πάνυ* Noster frequentissimum maximorum quondam Virorum fatum, Ostracismum nimirum, subiens, in triste denuò exilium detrusus fuit. Sed is, quo sine nec capitis nostri pilus defluit, DEUS Ter Opt. Max. minimè permisit, ut CL. Vir, qui ingenii perspicacis lumine universum irradiare orbem debuit, in obscuro quodam terræ angulo diu multumque lateret. Hinc Serenissimum Saxoniæ Electorem commovit, ut Eundem probum exulem ad se accerseret, & *Seminario* suo *Portensi* haud incelebri *Rectorem* præficeret. Triennio iterum elapso, sedatis pariter in Patria motibus, quod circa 1632. contigit, ad pristinos reverti penates jussus est. In pulvere autem isto Scholastico, quamvis, ut ubivis ferme locorum, molestissimo, ad ultimum vitæ halitum, dubio procul Augustæ mansisset, suisque lucubrationibus omne tempus residuum addixisset, nisi Lycei illius jactura, & Bellonæ insolentia, Musarum pulli quicunque inde fuissent ejecti. Vere itaque in Ipsum quadrat, quod dici alias solet: *Quum duplicantur lateres, venit Moses.* Venit tum opportune & ex voto inclutæ Reip. Ratisbonensis Nobilissimus Senatus, & EHINGERUM An. 1635. *Gymnasii* sui *Poëtici Ducem atque caput* esse constituit. Præstitit sanè hic quoque se Virum & Didacticum longè optimum, quamdiu viridi ætate valeret, viresque, quas continuis lucubrationibus, variisque hinc inde perpessis molestiis multum jam debilitaverat, in corpore sano superessent. Verum enim vero cum senectutis gravidæ mala indies magis magisque persentiret, factum est, ut à Scholarchis pruden-

dentiſſimis rude donaretur. Iſta tum nactus à publicis negotiis requiem, modò in miſera hominum vita hacce mundana atque ſenio debili vera inveniri unquam poſſet requies, majorum ſuorum longævitatem imitari velle videbatur: Nam Patrem 72. Avum 84. annorum curſum inter mortales compleviſſe referunt, quibus noſter pie denatus Octuagenario paululum major acceſſit. Cæterum ei conjugium obtigit felix atque tranquillum. Uxorem duxit lectiſſimam Virginem, *Sabinam Sturmiam*, quacum per integros 42. annos ſine lite ac felle ſuaviter vixit. Prolem ex ea, Deo benedicente, utriusque ſexus, Maſculini 5. fœminii 2. & quos ab illis rurſus progenitos Nepotes 7. duosque Pronepotes vidit, iisdemque eximie gavisus eſt. Reſtabat tempus, quo univerſi Rector Rectorem huncce ſuum, ex impuris terræ quisquiliis, ad continua ſupernæ vitæ gaudia evocaret. Paruit lubenti perquam animo EHINGERUS, & ſacro prius viatico inſtructus, mundum cum cœlo placidiſſima morte permutavit. Factum id die 28. Novembris, inter duodecimam atque primam nocturnam, anni ſalutis 1653. Hujus memoria in perpetua vigeat benedictione!

IN CL. VIRI,
ELIÆ EHINGERI,
Effigiem.

Talis EHINGERUS facie ſub imaginis umbra
Germana ſpirans integritate Virum,
Hance comam, hos oculos, hanc frontem, hoc pectus, & hoc os,
Suada, Minerva, Venus, Gratia, Phœbus habent.
Hancce Comam, hos oculos, hanc frontem, hoc pectus & hoc os
Quando vides, Docti ſcito videre Viri.

JOH. HARTMANNUS,
P. L. C.

SCRIPTA.

Pſellus in Organon Ariſtotelis Græcè & Latinè. *VVitteb.* 1597.
Hymni Eccleſiaſtici. *Francof.* 1598. in 8.
Diſſertatio de Jeſuitico Lyſandro, *VVitteb.* 1612. in 8.
Apoſtolorum Canones & Sanctorum conciliatorum Decreta, Græcè & Latinè edita, *ibid.* 1614. in 4.

Oratio de Rotenburgo-Tuberana Civitate. *Rotenb. ad Tub.* 1615. in 4.
Oratio funebris de Serenissimo Principe Philippo II. Duce Stetini Pomeranorum. *Augustæ* 1618. in 4.
Exercitationes Augustanæ in Gymnasio ad D. Annæ publicè propositæ. *ibid.* 1620. in 4.
De Criteriis scientiarum centuria. *ibid.* 1623.
Oratio de Athenæo Augustano. *ibid.* 1623. in 12.
Oratiunculæ tres de sanctissimo puero Jesu. *ibid.* 1626.
S. Chrysostomi Oratio in Pentecostem Græcè & Latinè. *ibid.* 1624.
Quæstiones Theologicæ & Philosophicæ Cæsarii Gr. & Lat. editæ. *ibid.* 1626. in 4.
Psalmus Davidis CLI. Græcè, Latinè & Germanicè editus. *ibid.* 1627. in 4.
Orat. tres de innocentissima & sanctissima Christi Passione. *ibid.* 1627. in 4.
De Patritia dignitate Dissertationes. *ibid.* 1627. in 4.
Passionale Scholasticum, de Calcatore torcularis Christi. *ibid.* 1628. in 4.
Themistocles Græce & Latine. *Francof.* 1629.
Poggius Florentinus de infelicitate Principum. *ibid.* 1629. in 8.
Oratio de Anno Jubilæo Augustanæ Confessionis. *Lipsiæ* 1630. in 4.
Oratio de Invocatione Sanctorum. *ibid.* 1630. in 4.
Velitatio Epistolaris cum Jesuitis Monacensibus, de præcipuis fidei articulis. *VVitteb.* 1631. in 8.
Revelationes S. Brigittæ. *Augustæ*. 1632.
Catalogus librorum Amplissimæ Reip. Augustanæ. *ibidem* 1633. in fol.
Parentationes II. Memoriæ Gustavi Adolphi, Regis Suecorum, &c. dicatæ. *ibid.* 1634. in 4.
Oratio de S. Augustino, an nescierit, à Christóne, an à B. Maria Virgine sit redemptus & salvatus? *Ratisbon.* 1635.
De Quæstione Politica: An Fides Hæreticis sit servanda? dissertatio è Theologorum & Politicorum scriptis concinnata. *Noribergæ*. 1637.
Orationes quinque de stimulo Virtutum. *Ratisb.* 1638.
Loci Theologici Areopagiticè dispositi. *Norib.* 1639. in 4.
Phœnomena & Miracula Solis. *Ratisb.* 1639.

Disp.

Disp. Theologica, de Sanguine Christi, triduo Passionis, habita Romæ, anno Domini M CCCC LXIII. inter Monachos Dominicanos & Franciscanos. *Francof.* 1640. in 4.
Præconium Pacis. *Norib.* 1640. in 4.
Martinalia Lutherana Ratisbonæ celebrata. *Ratisb.* 1641. in 4.
Oratio de Amnestia. *Norib.* 1641.
Oratio de anno seculari Ecclesiæ Ratisbonensis. *ibid.* 1642.
De Statu Ecclesiæ Christianæ in terra militantis. *Ratisbon.* 1642.
Dispositio Bibliorum & Versionum tempore Origenis. *ibid.* 1642.
De Germana & sincera Pace. *ibid.* 1643. in 4.
Prognosticon Theologicum perpetuum super futura Pace Germaniæ. *Norimb.* 1644. in 4.
Judicia Jesuitarum aliorumque Pontif. scriptorum, de Augustana Confessione, collecta. *ibid.* 1644.
Dialogismus Christi & Christiani. *Ratisb.* 1646. in 4.
Post Nubila Phœbus, hoc est, Consolatio piorum in ærumnis. *ibidem* 1646.
Prolusiones Panormitani de summa summi Pontificis Romani potestate. *Norib.* 1647.
De honore & præmiis Professorum in Academiis, & Præceptorum in Scholis. *Ratisb.* 1649.
De Pareliis. *ibid.* 1649.
De emendandis Germanorum moribus. *ibid.* 1647. in 4.
Quatuor hominis Novissima. *ibid.* 1651.
Paradoxon φαινόμενον, adversis lætari. *ibid.* 1650. in 4.
Seculum XV. Historiæ Ecclesiasticæ, in gratiam Antiquitatis Studiosorum concinnatum, opus posthumum. *Francof.* 1659. in 4.
Leichpredigt auf Herrn David Enenckeln L. B. gehalten/ von der Seelen Unsterblichkeit. Laugingen 1603. in 4.
Von der Kindertauff. Darmstatt. 1608.
Das alte und neue Bapstumb/ von der Uneinigkeit der Papisten. *ibid.* 1609. in 4.
Geistliche Betrachtung/ in welchem sich vor Jahren 22. heilige Einsiedler täglich geübt. Augspurg 1628.
Weissagung Joachimi Abbatis von dem zukünfftigen Zustand der gantzen Welt. *ibid.* 1633. in 4.

Der Teutsche Locus, de Sola fide justificante. Nürnb. 1638. in 4.

Judicium Astrologicum, vom neuen Stern. Regenfp. 1638. in 4.

Rettung des Lebens/ Lehr und Ehr/ auch seeligen Ableiben D. Martini Lutheri. *ibid.* 1639. in 4.

Wider die Außhunger des heiligen Evangelii. 1649.

Historische und Theologische Außführung der Frage / wo die Christliche Kirche gewesen / ehe D. Luther gebohren? Ulm 1649. in 4.

Disputationes à B. EHINGERO, *VVitteberga, Tubinga, Augusta Vindelicorum* atque *Ratisbona* habitæ sunt variæ, ex quibus de Temperantia: De Forma Metaphysicè considerata: De Substantia & Accidente: De Demonstratione: De editione scripturarum authentica, & versionibus illarum vernaculis: Analysis primi capitis epistolæ ad Romanos: De Methodis: De Causis Virtutum: Problemata Physica & Logica: De sacra scriptura contra Bellarminum: De indulgentiis Papalibus, &c.

PROGRAMMA,

In funere

Viri quondam Amplissimi, Excellentissimi, Præclarissimi,

DN. DANIELIS STAHLII,

Hammelburgo-Franci,

Philos. Magistri & Logices Metaphysicesque in hac Acad. Salana Professoris Publici famigeratissimi,

Propositum,

à

PRORECTORE ACADEMIÆ JENENSIS, CHRISTOPHORO RICHTERO, J. U. D. Com. Pal. Cæsar. Decret. Prof. P. & Facult. Jurid. Ordinario.

Ita

ITa vitæ hujus Comœdiam peragere, ut ejus post clausulam applausus sequatur ad posteros perennis, majoris Agesilaus, Spartanorum Rex gloriosissimus, faciebat, quam sumptuosorum monumentorum ac statuarum, sive vivo sive defuncto ponendarum honores. Itaque non solum, cum nationes Græciæ Asianæ celeberrimis in urbibus statuas collocare ipsi decrevissent, summa vi abnuebat, verum etiam, cum ex Ægypto discedens, patriam repeteret, morbo implicitus in portu, qui Menelai dicitur, ac brevi post moriens in mandatis dabat iis, qui aderant, ne quidem fictam aut sculptam imaginem sui corporis facerent: *Si quod*, inquiebat, *præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei; sin minus, ne omnes quidem statuæ mei illustrabunt memoriam.* Quippe arbitrabatur, has statuariorum, illud vero suum ipsius esse opus: Rursumque has divitum esse, istud vero bonorum. Ideoque ut Xenophon in suo de ipso sermone loquitur, *animi elaborare monumenta nunquam desistebat.* Faciunt hanc in rem & Crispi Salustii verba: *Multi*, scribentis, *mortales dediti ventri atque somno, indocti, incultique vitam sicut peregrinantes transiêre: Quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque juxta æstimo: quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris aut artis bonam famam quærit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.* De hujusmodi vita post fata quoque vivida & ingenii doctrinæque monumento Romanæ fidicen lyræ gloriatur, sibique gratulatur, quod *exegerit* id ipsum

-- -- ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam, usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita Virgine Pontifex.
Dicar, quà violens obstrepit Aufidus,
Et quà pauper aquæ Daunus, agrestium
Regnator populorum, ex humili potens,

Princeps Æolium carmen ad Itales
Deduxisse modos. -- -- --

Simili modo omnino Vir quondam Amplissimus, Excellentissimus, Praeclarissimus DN. DANIEL STAHLIUS, Hammelburgo-Francus, Philosophiæ Magister, & Logices Metaphysicesque hac in Salana annos integros XXXI. Professor Publicus famigeratissimus, Collega noster, dum viveret, honorandus, qui hanc jam paginam nobis facit edecumata sua in Philosophicis humanioribusque disciplinis scientia, quam non sub modio aut terra in cavernis abscondit, sed cum aliis invidiæ nescius large communicavit, ingenii monumentum sibi, quamdiu hujus mundi stabit machina, perennaturum, fama sui omnem per Germaniam sparsa, erexit. Ejus cum exequiæ hodie ducendæ, quæ nostrarum nic sunt partium, prosequemur, de pie Defuncti cumprimis vitæ curriculo, quantum quidem cognoscere licuit, adscripturi. In lucem hanc mortalem, anno superioris seculi octogesimo nono, circa festum Michaëlis, Hamelburgi, urbe Franconiæ ad Salam fluvium sita, prognatum accepimus, à parentibus piis. Pater fuit *Michaël Stahlius*, civis ibidem honoratus. Cum in ipsius tenera adhuc ætate Abbas Fuldensis, sub cujus ditione *Hamelburgum*, olim Hamalunburgum dictum, situm, contra Lutheranos persecutionem institueret, parentesque solum mallent vertere, quàm Pontificiæ Idolomaniæ se addicere, itaque *Suinfurtum* cum familia abirent, pietatis ibidem & humanioris literaturæ prima fundamenta collocavit: Post, cessante aliquantisper Pontificiæ persecutionis furore, parentibusque Hamelburgum remigrantibus, per biennium ibi substitit, sed non sine studiorum suorum detrimento insigni; Exin *Coburgum* anno ætatis XIV. abiit, ubi Præceptores nactus & eruditissimos & in juventute informanda sagacissimos ac felicissimos, brevi, ob ingenii felicitatem & diligentiam gnavam, tantos fecit profectus, ut sui in admirationem omnes raperet, quin ea tempestate Scholæ istius Rector, Vir apprimè doctus, ejus industriam præsertim in conficiendis quà Græcis, quà Latinis Carminibus, identidem commendaret, & publicè lectis non solum auditorium totum ad attentionem cohortaretur, sed etiam vix se parem ipsi in hoc eruditionis genere esse, non obscurè præ se ferret. Porro anno ætatis XVIII. suasu propinquorum & eorum, quibus se poliendum ac limandum tradiderat, Academiam *Argentoratensem*

tenſem adiit, ubi poſtquam annum quidem ſubſtiterat, ad *Gieſſenam* ſe movit, ubi anno reparatæ ſalutis 1608. die 22. Decemb. annum agens ætatis XX. ſupremis in Philoſophia honoribus, non ſine laude ſui, fuit mactatus. Ex eo tempore quadriennium Gieſſæ commoratus, & privata Collegia aperuit, & diſputationes publicas inſtituit; ſtudium tamen Poëticum neutiquam inſuper habens, quippe ex quo plurimum ipſi gloriæ accreſcebat, adeo, ut & Laurea, hujus ſtudii præmium, offerretur, quam tamen ſuæ, ut quidem autumabat, tenuitatis conſcius, gratiis actis remiſit. Medico etiam ſtudio una incubuit. Gieſſa diſcedens hanc *Salanam* acceſſit, ubi in publice diſputando, privatimque docendo ac diſputando occupatus fuit. Anno Chriſti 1620. *Francofurtum ad Viadrum* ſe contulit, exacto tamen anno huc & ad exercitia ſua priſtina reverſus. Tandem anno 1623. in numerum Profeſſorum Publicorum, demandata ipſi *Logicâ & Philoſophiæ Primæ ſeu Metaphyſicæ Profeſſione*, adſcitus fuit: Cui functioni abunde ſatisfecit, uſque dum ante annos ferè XII. oculorum invaletudine fuit correptus, quæ publicum quidem docendi & diſputandi munus inhibuit, non tamen privatum, quo iſtius interceptionem pro virili reſarſit. Philoſophica in Facultate plurima vice *Decanatus*, *Rectoratus* vero Academici unica (quod altera vel tertia quoque offerri potuerit, niſi oculorum invaletudo obſtitiſſet) nec ſine laude functus fuit. Gemino in Matrimonio vixit; Primam uxorem duxit Anno 1622. menſe Julio, tum Virginem honeſtiſſimam, *Magdalenam*, *Iohannis Fiedleri*, Civis & Piſtoris hoc in Oppido relictam filiam, qua anno 1625. menſe Martio defuncta, in quadriennium uſque Viduus. anno 1629. menſe Julio alteram duxit, viduam jam mœſtiſſimam, Virginem tum temporis pudiciſſimam, *Mariam Magdalenam*, Viri integerrimi, *VVenceslai Arti*, Notarii Publici Cæſarei, relictam filiam. Utrumque conjugium tranquillitatis plenum fuit, nec plane ſine prole. Ex priori quidem conjuge filium ſuſcepit unicum; qui tamen & matris obitum antevertit: poſterior vero XI. ipſum liberorum parentem fecit; potioris quidem ſexus ſenorum, ſequioris quinorum, quos inter iſtius ſexus duo, hujus vero quatuor, reliquis, anticipato Parentis obitu, in faſciculum viventium collectis: ſuperſtitant quamdiu viſum Deo fuerit. Atque ex filiabus paucos ante menſes natu maximam, Viro eleganter docto; *Dn. Caſparo Breunungio*, J. U. Studioſo,

dioso, elocatam, in recenti omnium nostrorum est memoria. Morbum quod attinet, fere ante trimestre ardor & siccitas præternaturalis in faucibus fuit animadversa, destillationes postmodum subsecutæ, ad quas tandem superiori mensis hujus currentis die XI. febris, eaque continua, cum tremore & convulsionibus, quæ sermonem quoque ad horas aliquot interclusit, accessit, & lecto ipsum afflixit. Quamvis vero medicamenta idonea non neglecta, & spes non mala affulserit, diebus tamen XV. & XVI. ita morbus accrevit, ut accedente catharrho suffocativo, die XVII. hora I. Pomerid. postquam Ecclesiæ Diaconus, qui officium junior, promeridianis horis ad ipsum inviserat, vitæ pausam, inter devotas adstantium preces ὁ Μακαρίτης faceret, ex hac in cœlestem Academiam translatus. Vidua mœstissima hodie ad horam I. Mariti Defuncti corpus exanime ad suum dormitorium efferendum Christiano ritu curabit. Quam Pompam exequialem Professoris bene meriti, Philosophi, cui hoc seculum vix parem novit, quin, nostri, qui estis, vestra sponte frequenti comitatu sitis decoraturi, ut nulli ambigimus, ita multo monitu & hortatu supersedemus. P. P. Domin. Trinit. quæ erat XXI. Maji, anno cIↃ IↃc LIV.

EPIGRAMMA.

In Nomen Acutissimi Philosophi,

DANIELIS STAHLII,

Stahlius à chalybis nomen bene nomine ducit:
Hic acuit ferrum, Stahlius ingenium.

Aliud ad Eundem.

Omnibus in rebus solummodo quærere verum,
Hæc est doctrinæ summa caputque tuæ.

GEORGIUS NICOLAI ERASMI.

SCRIPTA.

Canones Metaphysici, *Marpurgi*. 1635. in 8.

Regulæ Philosophicæ, *Rintelii* 1635. 1641. *Marpurgi* 1635. *Lond.* 1658. in 8.

Emendatiores *Ienæ* 1653. 1657. 1662. in 8.

In compendium redactæ, per Christ. Henricum Lœberum. *Ienæ* 1669. in 8.

Jacobi Thomasii Dilucidationes in partem priorem Regularum Philosophicarum. *Lipsiæ* 1676. in 8.

In-

Institutiones Metaphysicæ. *Bredæ* 1650. *Sagani* 1652. in 8. *Ienæ* 1664. in 8.
Quæstiones Logicæ. *Ienæ* & *Francof.* 1652. 1662. in 9.
Compendium Metaphysicæ in XXIV. tabulas redactum. *Francof.* 1652. in fol. *Bredæ* 1650. Auctius *Ienæ* 1655. in fol.
Institutiones Logicæ. *Hildesiæ* 1655. *Ienæ* 1663. in 8.
Philosophia Moralis. *Francof.* 1652. in 12.
Notæ & Animadversiones in D. Conradi Horneji Compendium Dialecticæ. *Ienæ* 1656. 1660. in 8.
Inter Disputationes, quas creberrime habuit publice, sunt sequentes: De Fortitudine: De Enunciatione conditionali: De ratione Definiendi Relata: De Verbo Infinito: De Enunciatione infinita infiniti prædicati affirmante: De tertio modo καθ' αὑτὸ: De generum & specierum Divisione, contra Laurent. Vallam & Joh. Hospinianum.

ANTONII THYSII, JC.
Et Eloquentiæ Professoris Ordinarii,

ORATIO FUNEBRIS

IN OBITUM

Nobilissimi, Celeberrimique Viri,

DN. DANIELIS HEINSII,

S. MARCI Equitis, Politices & Historiarum Professoris, &c.

NObilissimi & celeberrimi Viri DANIELIS HEINSII, diutino languore confecti, exuvias terræ matri immenso luctu commisimus hodie, Auditores: magnus vero ille & excelsus animus, qui nuper admodum hic in terris Principatum omnis humanioris eruditionis obtinuerat, terrestrium nunc securus cœlesti & divina luce fruitur. Cujus viri laudes & ingentia merita me tacente totus admodum lo-

loquitur, atque obstupescit Christianus orbis, nunc verò tanto extincto lumine horret, & fatalem eruditonis noctem metuit. Magna itaque me formido concussit, ne me dicente laudes ejus minuantur, qui omnibus superior pro dignitate neminem praeconem admittit. Sufficiebat illi sua gloria, amplissimum illud virtutis & eruditionis praemium, quâ per totum se terrarum orbem effudit, quâ post funestam mortem immortalis in omnium animis vivit; vivetque, quamdiu verum pretium virtuti & eruditioni futurum est. Nemini loquendum erat, nedum mihi, quem ingenii imbecillitas, verborum inopia in tanta rerum ubertate excusabat. Placuit tamen Amplissimo Academico Senatui mihi hanc provinciam injungere, cui morem non gerere summa me incessit religio. Et quanquam insolita haec rerum facies; indictum hoc funesto die omnibus Sapientiae Magistris altum & luctuosum silentium; atque adeo ipsa haec cathedra atro velamine induta horrorem incutiat; mihi tamen publica autoritate hodie loquendum fuit, ne impietatis in defunctum & quidem in Praeceptorem meum argui possim. Namque & illud gloriae duco, me sub tanti Herois auspiciis in hoc Musarum augustissimo sacrario literis humanioribus imbutum fuisse: tum etiam vetus & arcta jam ante sexaginta annos inter illum & parentem meum intercessit familiaritas & necessitudo. Rupto itaque silentio non opus erit anxie hic laudes conquirere, vel putida ambitione vana rerum sectari, cum tota ejus vita verae virtutis atque exactae eruditionis nitidissimum fuerit speculum. Longam denique moram desiderium vestrum & prolixus in defunctum amor non admittit; atque adeo vester intuitus me admonere videtur, ut sine ambagibus initium dicendi faciam. Faciam itaque, quod pictores solent, qui totum terrarum orbem exiguis circumscribunt tabulis; ita vitam tanti Herois, immensas ejus laudes, quas & Reges Principesque terrarum venerati sunt, angustiis hujus orationis concludam. Danielem itaque Heinsium A. CIↃ IↃ LXXX. mense Majo Gandavum produxit, quae Flandriae urbium Princeps, Caroli V. mater, ingeniorum semper foecunda nutrix fuit. Si genio loci quid tribuendum, patria illustris fuit: verum tamen an plus gloriae à patria acceperit, an eidem reddiderit, jure dubium est. Parentes fuere Nicolaus Heinsius, Consulis Gerardimontani filius, & Elizabetha Navegeria, splendida utrinque stirpe & spectatissimae inter suos dignationis. Etsi autem non tam

fa-

familia, quam animus nobilem faciat, ut plurimum tamen Majorum clara vita necessitatem generosam imitandi nepotibus imponere creditur. Noster autem utramque gloriam & Majorum & suam ita junxit, ut sine imaginibus posteris initium Nobilitatis & virtutis luculentum esse exemplum potuerit. Miserum est Majorum incumbere famæ, si tuam negligas. Melius est sua industria peperisse, quam socordia à Majoribus acceptam contaminasse: verum ubi utraque gloria surgit, eò splendidior in oculos mortalium incurrit. Quod defuncto nostro ita contigit, ut & Majores illi præluxerint, & ipse Majoribus. Familia certe paterna & materna utrinque amplissima. Illustris Navegeriæ stirpis etiam Flandrorum Annales meminerunt. Præter plures alios sanguine vel affinitate propinquos, avunculus summus rerum criminalium in Flandria Præfectus Auriaci partes secutus, etiam postmodum inter Fœderatos Proceres summam dignitatem tenuit: cujus uxor, quæ Gandavi manserat, post occupatam ab hoste urbem, immani pecunia multata, cum uxore Præsidis Meetkerckji, rustica veste per militum præsidia, perque horrida castra ad maritum incolumis pervenit. Inter propinquos Martinus Hauvvelius, Haveschoti & Lembecæ dominus, Nobilitatis Flandricæ eruditissimus, Principi Guilielmo vindici libertatis Belgicæ gratissimus, optimum Reip. officium præstitit. Pater ejus vir cordatissimus, rebus domi turbulentis, prudenter admodum à Rep. abstinuit, quanquam ante deditionem Gandavensem à Magistratu Brugensi honoratissimum illi Syndici munus offerretur. Contemnere potuit dignitates, qui & Fortunam poterat, homo tranquillus, taciturnus, & sui semper similis. Rebus itaque dubiis nunquam se immiscuit, crebrò illud usurpans, Audi, tace, vide & abstine. Sapientis nimirum est discordias civiles tanquam ingruentem procellam declinare, præsertim cum incertæ sint utplurimum Principum voluntates, & varium & mutabile vulgus tanquam tempestatibus agitatum levi momento huc atque illuc fluctuet. Quippe illa tum erant tempora, ut quod extremum in servitute esse solet, ne verba quidem libera essent, atque sola indignatio pro crimine essent. Dum enim Libertati Belgarum conculcandæ per vim vel fraudes cuncta destinabantur consilia, nihil pensi habitum: Religionis velo dominationis arcana obducebantur: sanguinolenta inquisitione passim gladio, laqueo, aqua, & igne innocentissimi mortales necabantur.

tur, quibus nullum aliud crimen erat, quam quod Christum profiterentur. Tota admodum terra innocenti sanguine turgebat, lassa carnificum manus, vastæ urbes fuga & cædibus, exulum proscriptorumque capita numerari nequibant. Denique cum religio veluti captiva deduceretur, & in exilium mitteretur, Nicolaus Heinsius religionis & pietatis amore, quam ex maximi viri Desiderii Erasmi lucubrationibus hauserat, cujus lectione præter sacram scripturam unice oblectabatur, ruenti patriæ se subduxit, atque in Bataviam, ubi communis libertatis & religionis asylum, sanguine civium, & consiliis Procerum fundatum erat, secessit. Defunctus itaque Noster inter maximos Reipubl. nostræ fluctus per multa dura & aspera jactatus, vix triennis patria extorris, atque ob eam causam Fortunæ privignum se appellare solitus erat. Primo Hagæ Comitis initia literarum didicit, postmodum in Zelandiam cum parentibus delatus sub doctissimis Præceptoribus, Joanne Kauvvenburgio Belosio, Nicolao Olivario, Petro Montano, quantum ætas ferebat, literarum & Philosophiæ primordiis imbutus est. A Grammaticis Canonibus, qua cruce optima sæpe puerorum obtundi solent ingenia, mirum in modum abhorruit; ad versus componendos adeo proclivis, ut sponte illi nascerentur, & si quid puerilis error admisisset, versibus plerunque jussus expiaret. In prima nimirum ætate florentissimi ingenii ignes micabant, certo admodum indicio, quantus in hoc genere futurus esset. Illud excellentibus ingeniis à Natura tributum est, ut ætatem suam antevortant, & cum ipsa semente jam fructus ferant. Anno utique decimo in obitum nobilissimæ puellæ, cum qua familiariter pueritiam transegerat, Elisabethæ Boreckiæ, ex sorore neptis Illustr. Anglorum Legati Caroni, & cognatæ suæ venusta admodum elegia parentavit. Extant & ingeniosa illius ætatis Epigrammata, quæ maxima facilitate effudit. Anno admodum decimo ætatis & quarto à Parente severioribus destinatus studiis Franequeram Frisiorum missus, ubi in Jurisprudentia Henricum Scotanum docentem audivit, verum eo tempore ingenti græcarum literarum æstu flagrare cœpit, quas tanto studio arripuit, ut intra paucos menses etiam alios doceret. Noverat enim literatæ gloriæ cupidissimus adolescens literas græcas fontem esse omnis eruditionis, quarum peritia ad omnia severiora se extendit studia. Cum impatiens moræ generosus ejus spiritus esset, primo

elegan-

elegantissimum Musæi de amoribus Leandri & Heronis Poëmatium studiose lectitavit, propriaque manu descripsit, atque avide menti infixit, hinc, ubi Lugdunum artem omnis eruditionis migravit, auctore Illustri viro Josepho Scaligero, scientiarum omnium linguarumque veluti Dictatore quodam; noctes atque dies in volvendis antiquis Græcis autoribus extinguere desiderium suum immensus ejus ardor nequibat. Atque adeo, uti maximus ingeniorum æstimator Scaliger adolescentis animum quotidie gloriæ facibus incitabat, ita noster vigiliis quoque continuis laborum immodicus seipsum fatigabat, quo studia sua tanto viro probaret. Ipse admodum memoriæ reliquit, sæpe incredibili se gaudio perfusum, sæpe lachrymantem domum concessisse; prout placuerat displicueratque magno Scaligero. Tanta honestæ gloriæ cupido pectus ejus agitabat, quæ nunquam illum quietum esse permittebat, donec æternitatis candidatus immortale quoque sibi nomen compararet. In pangendis græcis latinisque versibus quotidie secum certabat; quotidie seipsum superabat, donec ipse postmodum superiorem non habuit. Negligentiæ aliquando à divino sene notatus, quod, uti convenerat, Latina in sermonem Doricum non vertisset, per longum tempus concoquere tale dedecus nequibat; atque inedia aliquot dierum seipsum vindicabat. Interea per omnes antiquos scriptores liberale se circumegit ingenium. Servile putabat in uno carcere claudi, generosum per cunctas disciplinas se diffundere. Præter Poëtas Græcos Latinosque quibus maxime delectabatur, Historicos omnes, Philosophos Platonem, Aristotelemque, cæterosque interpretes Græcos simul cum facundia hausit. Queis studiis ita placuit magno illi Scaligero, ut morti propinquus in hæc verba eruperit, se neminem æque amasse, ac Danielem Heinsium. Quin etiam idem Heinsium filium suum appellare solitus fuit, ille autem tanquam patrem suum semper veneratus est. Et revera fuit Defunctus noster vera & unica soboles Scaligeri, non quidem natura, sed eruditione, ingenio, quod digna tanto patre proles igneum heroicumque habebat. Cum successorem principatus literarum quæreret Scaliger, non potuit alium eligere, alium sibi adoptare, quam Heinsium nostrum, quia nemo Heinsio similis, nemo Scaligerum virtute & eruditione magis exprimeret. Integram illi Bibliothecam suprema voluntate addicere, illustris ille Heros in animum induxerat suum;

sed ipse reluctatus hoc tandem admisit, ut paucos libros seli geret; Bibliothecam vero ingenii & eruditionis alteri relin quere non potuit, quia nemo alius accipere poterat. Ne que major hæreditas Heinsio contingere potuit, quia nemo actionem de inofficioso testamento instituere quibat, quia nemo propior hæres fuit, cum suus & solus, & proximu esset hæres, in quo magnus ille spiritus Scaligeri iterum elu xit, & liceat mihi cum Pythagora loqui, vitam recepit. Ne que vero erectum illud ac admirabile ingenium cæteros di latere potuit. Literarum ille magnus vindex Casaubonu illum adhuc adolescentem quam effusissimis laudibus i libris Epistolarum extollit. Amor erat & deliciæ nobilissi mi Dousæ, qui cum Lugdunum veniret, ut plurimum adolescentem visitabat, sæpe etiam Nordovicum abduce bat, ut illic literis humanioribus simul diem frangerent otiumque honestum ponerent. Fama quotidie crescen te, adolescens admodum, anno nimirum decimo & octavo publice primum Latinos, deinde Græcos autores interpre tatus est, ultimo Politices & Historiarum Professionem sus cepit. Queis & Secretarii Acad. & Bibliothecarii nobile munus accessit. In docendo summum ingenium, facun diam incredibilem, igneumque in dicendo ardorem & in Politicis prudentiam omnes admirati sunt. Quinimo & magnam partem celebritatis Academia nostra illi debuit cujus causa frequentes huc venere Galli, Germani, Angli aliæque nationes, qui illum tanquam commune consule bant oraculum: obsidebantur quotidie limina & fores, im plebantur atria literatorum hominum turba, atque adeo vi disse talem virum, gloriæ ducebatur. Neque ad eum ple bejæ tantum animæ ventitabant, quæ ex inscitia cuncta ad mirantur, sed viri Illustrissimi Regum Principumque Lega ti, aliisque maximis dignitatibus prædití: cum quibus d Republica, de gravissimis negotiis familiares sermones sere bat. Et tamen fama, quæ cuncta in majus augere solet, mi nor illius meritis esse comperiebatur: namque immensa pe omnegenus literarum eruditio, inusitatum ingenium, co data & generosa facundia, omnes in stuporem rapiebat. Ita que & peregrini homines, dignitate & eruditione nobiles quotidie illum officiosis literis obruebant, vel dubia illi sua proponebant. Namque divinis scriptis, quæ postmodun seorsim enumerabimus, tantam celebritatem nominis ac quisivit, ut nulli hoc sæculo superiorem habuerint. Al

deli

delicias Musarum, alii omnis literaturæ Principem, alii columinam Græcæ Latinæque linguæ, unicumque Statorem appellabant. Et nihil tam magnum dixere, quod laudibus ejus non multo inferius esset. Virtutum omnium scopulus est arrogantia, qua plerique mortalium secunda Fortuna abripiuntur, Noster autem prosperam famam eâ prosecutus est animi moderatione, ut infra ipsam modestiam se submitteret, ipsaque dissimulatione famæ famam augeret. Quam ingens illud modestiæ exemplum, cum nihil fere ignoraret, passim suo symbolo positeri; QVANTUM EST QUOD NESCIMUS! In eo propemodum sapientissimum Socratem imitatus est, qui dicebat, se nihil scire, præter hoc quod nihil sciret, reliquos vero ne hoc quidem scire. Sol quo altior, eo minores umbras facit: Phœbus noster, verus ille Musarum hoc sæculo antistes, in excelso positus nullam quoque superbiæ umbram jaciebat, omnibusque tamen conspicuus latitare nequibat. Ipsi Reges, Principesque terrarum, quibus rara & exquisita tantum placent, tantum illi honorem tribuerunt, quantum Fortunæ suæ celsitudo permittebat, plurimisq; illum muneribus illustribusq; dignitatibus auxerunt. Invictissimus Gustavus Adolphus Rex Sueciæ, fulmen illud Septentrionis, quo nemo in scrutandis ingeniis nostro tempore sagacior fuit; ultro illum nihil tale affectantem in illustrem consiliariorum numerum adscivit, Regioque stipendio ornavit, atque à nemine suam Historiam quam à tanto viro describi voluit. Illum solum tantæ Provinciæ parem esse judicabat, & verba factis æquaturum: quod uti difficillimum erat, ita vel omnibus tacendum, vel illi soli loquendum. Quod & divino in laudes Gustavi Panegyrico abunde defunctus ostendit. Quid ego hic ingeniorum Principem Italiam commemorem, quæ virtutes & merita ex vero æstimare solet? Præ cæteris hic elucet Illustrissimi Dominici Molini, Senatoris Veneti, tenerrimus affectus; qui tanti illius virtutes ingeniique dotes fecit, ut, quod proprium est Italorum, eum quem admirabatur, colebatque, omnibus officiis humanitatis obrueret. Neque vero hic Patrem Paulum Servitam præterire licet, qui religioni nostræ propior illum similiter effuse coluit, literisque officiose admodum salutavit, queis, incredibile dictu, etiam de hoc Synodo Dordracena, in qua Noster Proceribus à literis fuerat; judicium continetur, illam Apostolorum doctrinæ congruam esse; Batavos fœlices, quibus divinæ gratiæ detecta

 essent

essent cœlitus mysteria; Sapientibus mundi, rationique humanæ ea adversa esse, quæ sui intellectus lumine percipere nequeant. Sicuti ad lucem noctuas, ita illos ad divinam lucem cæcutire. Et profectò profanum est, velle Dei voluntatem nostræ subjicere, quia eam non capimus. Pleraque mysteria à nobis non intelligi voluit supremus Dictator. Nescire autem velle, quæ nesciri voluit, ut ait ille, erudita inscitia est. Sine murmure Deum sequi oportet, à quo suspensa sunt omnia, à quo omnes causæ causarum. Hic est ille Paulus Servita, qui sub nomine Petri Suavis Concili Tridentini historiam edidit, qui pro libertate Veneta contra Pontificem scripsit, qui omnis eruditionis vasta quædam fuit Bibliotheca: qui ut parcus fuit in laudando, ita ab illo laudari, idem est, atque omnes laudes excedere. Sed hæc exigua præ illis honoribus, quos Serenissimus Reipublicæ Venetorum Dux Antonius Priulus, Augustissimusque Senatus præter omnem expectationem in illum congessit. Illustris enim Divi Marci Equestris dignitas, quæ virtutis summum apud Venetos præmium atque fastigium esse solet, sine ullo ambitu ultrò, & nihil tale cogitanti oblata est, cum arctissimo fœdere inter invictam Rempubl. & Fœderatum Belgii populum contracto, disertissima oratione utrique genti gratulatus esset. A Marco Antonio Moresino oratore Veneto, simul cum Nobiliss. Amplissimoque Viro Marco à Lyclema, qui eo tempore, quo subsignatum fuit fœdus, in Collegio Illustr. ac Præpotentium Fœderatorum Procerum ex more præsidebat, torque aurea, diplomate, cæterisque illius ordinis insignibus donatus est. Quæ suprema dignitas uti ipsis aliquando concessa fuit Principibus, ita neque infra animi magnitudinem esse censuit, accipere, præsertim cum non ambitu sed sola virtute, cujus solius ratio haberi debet, supremum honorem consecutus esset. Neque vero maximâ hæc dignitas tanti æstimanda est, quam quod splendida ejus virtus, quæ suprema omnium dignitatum est, hoc mereretur. Quam multos ambitionis æstus, & cupido gloriæ omnibus affectibus potentior transversos egit, qui per inhonestam licitationem præmium virtutis quærunt, quibus ignavissimis mortalibus, vitiisque omnibus coopertis, ipsa admodum dignitas ignominiæ & dedecori fuit? Plures quærunt honores, ut existimationem sui perdant, noster non quæsivit, oblatosque meritis superavit, quos non humiliter ambivit, ut superbe gereret. Tanta porro

porro Defuncti nostri virtus fuit & doctrina, ut ingenii incredibilis ille ardor velut flamma cunctorum Principum animos abriperet. Tam singulare ornamentum literarum invidebat Bataviæ nostræ orbis terrarum: suum esse voluit Germania, Gallia suum adnitente Bullionco, ut ipsi à consiliis esset, denique ipsa admodum Italia. Quid dico, Italia? vereor dicere, dicendum tamen: ipse Pontifex Urbanus Octavus, & Cardinalis Barberinus honores ingentes, amplissimum honorarium promiserunt, si præsens in Urbe esse cuperet, quo Romam à Barbarie vindicaret. Ita enim recte judicabant, in Herois nostri solo capite, virtutis ac literatæ eruditionis incolumitatem tempestate nostra verti. Aliquotiens illum sollicitavit Nuncius Pontificis, sed invictus ejus animus stetit, non ut religionem mutaret, nam ne hoc quidem Pontifex postulaverat, sed uti in ea Urbe viveret, quæ omnis superstitionis mater esset. Ingenii itaque & literarum fœlicitate omnem Fortunæ magnitudinem superavit, & qui dignitates accipere noverat, etiam noverat recusare. Neque vero Patriæ Patres ingentia ejus in hanc Academiam latuerunt merita. Cum enim undique ad summas dignitates à Principibus aliis vocaretur, atque adeo Curatores Consulesque hujus urbis metuerent, ne tam illustri ingenio Academia privaretur, eorundem nomine F. Arsenius Sommelsdicæ dominus, & Jacobus Brouchovius Consul Leidensis tanti viri merita Proceribus Hollandiæ proposuerunt. Quibus cum semper cordi fuerit maxima ingenia liberalitate sua accendere, decretum fuit, ut Historici Hollandiæ munus magnifico stipendio illi offerretur. Et majora tamen ejusdem merita esse, utpote in quo splendor & decus unicum hujus Academiæ consisteret, ipsi admodum Proceres judicarunt, sicuti ex instrumentis publicis vidimus, legimusque. Excusarunt pro ratione temporum tenuitatem stipendii, cum tamen longe splendidissimum esset, quod nihil ejus meritis comparari posse non ignorarent. Ita, Auditores, undique ad cumulandos ejus honores concursum fuit. Unde & in invidiam & livorem nonnullorum incurrit, sicuti illa virtutis perpetuo comes esse solet: sed ille superior illa, virtute sola se sustentabat, livorem autem atque æmulationem pastum & obsonium magnarum animarum esse judicabat. Utique qui ferre invidiam non potest, ferre postmodum contemptum cogitur. Neque vero mirum erat, tantum favorem omnium, tantam no-

nominis celebritatem, & quidem subito fulminis instar illum comparasse, cum divinis scriptis totum repente terrarum orbem impleverit. Quam enim partem literarum intactam reliquit fœcundissimum ejus ingenium? In Poësi latina neminem superiorem, in Græca nostro ævo ne quidem parem, si Scaligerum excipias, habuit. Quid Peplo divinius, quo Philosophorum vitæ, placita, dialecti græcis versibus ita depinguntur, ut laudem etiam nonnullis antiquorum ancipitem reliquerit? Quid reliquis versibus, Pandora in primis, elegantius? Audeo dicere, ab antiquis temporibus in tanta ingeniorum ubertate neminem fere esse repertum, qui venustatem Græci carminis, qualis inter antiquos fuit, fœlicius expresserit. Quid latinis in elegiacis numerosius, in quibus vel ingeniosissimum Poëtarum Ovidium exprimit, qui ubi torrentis in modum ingenii frenos laxat, æqualem quandam carminum legem versibus constrixit: vel Græcorum venustatem secutus, fractis quibusdam numeris ita animos legentium detinet, ut venustissimo illo modo loquendi satiari nemo possit. Quid lyricis elegantius, heroicis sublimius? In tragicis vero omnium mentes ita perturbat, ut suo unusquisque interesse videatur infortunio. Memini me, cum Herodem infanticidam legerem, aliquando in effusissimas lachrymas erupisse, atque diu dolori meo non potuisse temperare. Balsacum tamen in minutiis quibusdam, si Diis placet, reprehensorem invenit, cui admodum erudite Noster respondit. Nam Guilielmum Auriacum, quam tragædiam in prima adolescentia condidit, ne quidem in partes affero, quam luxuriantis ut credo, ingenii fœtum, ideo suppressit, & ne quidem inter sua numeravit. Illam tamen tanta cum admiratione se legisse Casaubonus commemorat, ut judicio ejus omnes longe à tergo reliquerit, qui à multis sæculis in hanc arenam descenderunt. Idem ille magnus autor omnia in dramate illo ad stuporem proposita, argumentum magno judicio electum, inventionem ubique ingeniosissimam, affectus incredibiles, denique purissimam latinitatem extollit: quotiescunque vero ejusdem versus græcos legeret, Homerum non Heinsium, cum latinos, Ovidium aut Propertium se legere existimabat. Atque adeo cum multi nostro sæculo Psalmos græce exprimere infeliciter vel ridicule tentaverint, idem obtestatus est, & obnixe rogavit, ut accingeret se Noster tanto operi, cui unus hodie par esse posset: cum plurimis sæculis vix ullus repertus sit,

qui

qui græci Poëtæ titulum, ne Apollinare quidem excepto, mereretur. Non hoc amori sed exacto judicio tanti viri tribuendum. Ecquis enim sublimem vere & regiam Psalmorum majestatem, præ qua Homerus & Pindarus sordescunt, græco fonte imbueret, nisi ille, qui genium antiquitatis cum ingenio junxerat, & in græcis carminibus pangendis superiorem à multis sæculis non habuit, imo novitios Græcos venustate superavit? Neque enim Lascaris Poëmatia famam tanti viri sustinere posse videntur, & præter pauca admodum voluntatem sine successu ostendunt: neque Musurus auribus satisfacit, nisi unico illo carmine, quod Divini Platonis operibus præfixum legitur. O magnum igitur & vastum Heinsii ingenium, qui tanquam Proteus in omnes formas mutare se potuit! In græcis omnes dialectos expressit, in lyricis alter Pindarus vel Horatius, vel Catullus, in heroicis Virgilius, in elegiacis Ovidius vel Propertius, in tragicis Seneca. Idem Belgicis quoque versibus inter primos nostratibus Parnassum hic aperuit, Castaliasque undas cum Rheno miscuit: in quibus omni laude major est divinus ille hymnus in filium Dei, quem ingeniose postmodum Germanicis versibus Opitius expressit; quo tota Ecclesiæ doctrina continetur, cum annotationibus perpetuis, quæ ex antiquorum Patrum monumentis deprompta sunt. Poëtas cœlesti quodam instinctu divinoque spiritu afflari, & natura ipsa mentisque potissimum viribus excitari, Sapientum judicium est. Luxuriat tamen sæpe natura, quæ arte politur. Sicuti plures arbores citra curam insitionis insipidos utplurimum fructus gignunt, atque fœcunda mater tellus, si sibi relinquatur, ex ubere fœlicis alioquin glebæ zizania producit, ita mentis optimæ seminaria, queis sevit agros ingenii beata rerum natura, sæpe nimis quam luxuriant, insipidos vel nullos sine cultura fructus ferunt. Quid enim est hodie quorundam Poësis, quam sine delectu ruentium verborum strepitus? Defuncto nostro cœlestis quidam impetus ad Poëtica studia fuit, ita tamen ut artem impleret simul & tegeret. Putida est artis affectatio, sed sequi illam & dissimulare, excellentis artificii esse censeo. Primus fuit Aristoteles, qui ex multorum Poëtarum virtutibus artem perfecit. Ex cujus mente tragœdiæ veram ideam ita aperuit defunctus noster, ut simul absolverit, etiam antiquorum censor eruditissimus. Quis enim melius de Poësi judicare potuit, quam qui artem cum sublimi ingenio

plusquam civilia gliscebant: deinde acerbis scriptis se invicem violare, calamum pro gladio stringere; venenatæ maledicentiæ frenos laxare, morbus imo furor hujus sæculi fuit. Noster autem ut judicii erat acerrimi, cordate, & sobrie & modeste illustrandis antiquis autoribus illustrem suam operam intendit, neque quod in labyrintho properantibus evenire solet, inconsulta se implicavit velocitate, sed maturo judicio obscura adyta emensus est. Nam ut Silium Italicum, vernantis adolescentiæ primitias prætercam, ingenii, judicii & admirandæ eruditionis copiam in Theocritum, Hesiodum, Senecam doctissimæ produnt lucubrationes. Quam multa autem in omne genus autorum sibi annotavit, quæ nondum edita si in ambitiosas quorundam manus incidissent, ad solam nominis æternitatem sufficere possent? In principem omnium Poëtarum & veteris Philosophiæ parentem Homerum ita ingenium & judicium exercuit, ut ex oriente illi potissimum lucem dederit, quod Eustathium Didymumque doctissimos fefellerat grammaticos. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant: maximus erat Homerus, neque alium quam nostrum admittebat judicem. Hesychius grammaticorum doctissimus, qui eruditorum hactenus torsit ingenia, nunc demum intelligi posset, si cum defuncti annotationibus immensæ industriæ, judicii, atque eruditionis, lucem aliquando conspiciat. Cum multa peregrina in hoc autore occurrant, nihil illi potuit esse peregrinum, cui tota familiaris erat antiquitas, qui orientem cum occidente junxerat, qui sine ambitione Imperator utroque sole eruditionem terminaverat, ingeniique supremos fasces per omnes populos diffuderat, & qui omnia aliis invia expedire judicio exacto, stupendo ingenio, & memoria, unicus hujus sæculi Phœnix poterat. Neque vero his limitibus se clausit vivax illud & omnium capax ingenium. Cum enim antiquæ Philosophiæ adyta penetrasset, etiam editis libris æternam memoriam posteris reliquit. Namque in juventute divinum Platonem, atque Aristotelem, græcosque omnes interpretes cum serio lectitasset, etiam de iis judicare recte potuit. Barbaræ & Scholasticæ Philosophiæ, illorumque interpretum, qui Aristoteli summo Philosopho tenebras offuderunt, infensissimus hostis, illorum loco Alexandri perspicuitatem, diligentiam Ammonii, Themistii facilitatem, Simplicii diffusam eruditionem sectabatur. His adjutus præsidiis Maximum quidem Tyrium Platoni-

cum philosophum, qui Marci Antonini sapientissimi Imperatoris tempore vixit, quo nemo genium Platonis meliu expressit, qui dicendi venustate, sapientia, facundia, null nisi magistro suo cedit, interpolatum restituit, versione exacta, notis eruditissimis auxit. Alcinoi quoque in Platoni Philosophiam introductionem cum græcis codicibus contulit, versionem notasque addidit, quibus elegantissiman de Pulchro Socratico dissertationem adjunxit. Quæ vera pulchritudo captum judiciumque multorum excedit. Divinus quidem Plato, cujus concitata & sublimis ingenii vis attico lepore aspersa dictio, neminem non trahit, quam qu illum non intelligit: sed maximus quoque Aristoteles, naturæ illud ingens miraculum, de quo cum Quintiliano dubitare licet, an eum scriptorum copia, an eloquentiæ nervosæ suavitas, an inventionum acumen, an varietas operum clariorem fecerit, qui disciplinas omnes primus in ordinem redegit, & cujus errores si qui sint, pluris sunt, quam illorum inscitia, qui in omnibus illum contemnunt, & faciunt, ut intelligendo nihil intelligant. Credidit autem defunctus noster concisæ Aristotelis dictioni, suspensæ & ambiguæ nonnunquam brevitati, nihil accommodatius esse, quam paraphrasin. Quod jam olim in octo de Physica auscultatione libros, tres de Anima, & alios nonnullos Themistius admirabili quadam ratione perfecit; Paraphrastes autem antiquissimus, qui Andronicus Rhodius esse creditur, in decem libros de Moribus, quos Nicomacheos vocant, omnem laudem superavit. Quem autorem primus in lucem noster Heros protraxit, in linguam latinam convertit, eadem, qua Andronicus, perspicuitate & felicitate. Politica quoque Aristotelis perpetua paraphrasi interpretatus est, quod opus Italos in stuporem abripuit, cum omnium commentatorum labores superet. Hi sunt illi libri de Republica, quibus procul dubio Alexandrum futurum Imper. universi instruxit summus Philosophus, quos cum plurimi laboriosis commentariis oneraverint, Noster omissis salebris Aristotelis genium ita continuo orationis filo expressit, ut omnibus illum jam intelligere proclive sit. Neque vero Stoicos sapientiæ humanæ summos magistros neglexit, qui natura duce præcipue in moralibus eo ascenderunt, ut, cum gentiles essent, naturam ipsam, atque rationem humanam superasse videantur. Præter Senecam defunctus noster aureo libello Epicteti maxime delectabatur

tur, qui ſapientia Fortunam ſuam ſuperavit, atque in ipſa ſervitute ſui ipſius dominus fuit auguſtiſſimus, atque triumphator vitiorum illuſtris, & poſteritati ſplendidiſſimum ſpeculum humanæ vitæ reliquit, in quo virtutes ac vitia ſua nullo negotio contemplari quis poteſt. In eum Simplicii commentarium eruditiſſimum cum Nanſiano manuſcripto collatum (quod non video cur nonnemo vitio vertat) plurimisque in locis emendatum, quin etiam auctum, literario orbi dedit. Parœmias quoque veterum græcorum, queis popularis ſapientiæ & quidem antiquiſſimæ illuſtre exemplar exhibetur, quas Michaël Apoſtolius inter novitios græcos, qui poſt everſum Græcorum imperium in Italia Græciam erexerunt, non infimi nominis, collegerat, erudite recenſuit, emendavit. In Diogenem Laërtium de Vitis Philoſophorum, plurima annotavit, & luculentum edere commentarium in animum induxerat ſuum, ſed fati inexplicabilis lex & neceſſitas impedivit. Neque vero Medicos & Juriſconſultos intactos reliquit, cum in Theophraſti editione nobilem operam poſuerit, in Juriſprudentia diſſertationem ediderit in qua JC. ac Ariſtotelis de naturali ſervitute ſententia conciliatur. Denique, uti ab ipſa adoleſcentia ſacris ſemper addictus fuit ſtudiis, ita poſtmodum continuus fuit in legendis antiquis Patribus, & ſimul autore Thoma Erpenio in hebraicis ſyriacisque ingenium vaſtum exercuit. Quantus in his linguis evaſerit, Conſtantinus l'Empereur & Ludovicus de Dieu, quibus nemo hoc ſæculo illarum linguarum peritior fuit, publice teſtati ſunt. In Patribus græcis, latinisque ita exercitatus fuit, ut paucos ſibi ſimiles habuerit. Memini reverendum Parentem meum, qui totam in Eccleſiaſticis ſcriptoribus ætatem conſumſerat, mihi dixiſſe, ſe vaſtam memoriam, diffuſam lectionem, ſubactumque ejus judicium admiratum fuiſſe. Itaque ſæpe uſque ad extremam veſperam ſumma cum voluptate ſermonem de antiquitate Eccleſiaſtica conſeruerunt. Prater quam autem quod Clementem Alexandrinum, quem tantopere Euſebius, & Hieronymus commendant, ſummo ſtudio recenſuit, & plurima paſſim in Patres annotaverat, quis diffuſiſſimæ eruditionis Ariſtarchum, & inexhauſti illud laboris opus, Exercitationes ſacras pro dignitate ſatis laudavit? Quo quidem ſplendidiſſimo ingenii ſui partu, quem Germani, Angli, Galli, Italique, ut theſaurum æſtimarunt maximum, ſeipſum ſuperavit, qui aliis jam pridem monumentis ſu-

superaverat alios. Non ego celeberrimorum virorum, quorum ingens copia est, encomia hic in medium adducam; solum illud nobis sufficit incomparabilis Viri Francisci Gomari luculentum testimonium, qui syncere & pro more suo asserit, eo libentius, Deo evocante, mortem se obiturum, quod opus tanto animi studio à se ac bonis & literatis omnibus expectatum emerserit, & æternitati tuto consecratum sit, atque in eo exultat, D. Heinsium, quem tanquam literarum columen semper merito suspexerat, novum Testamentum illustrissima opera ornare voluisse. Cum summa jam omnia scripsisset, atque majora nemo posset, ut rebus florentibus solet, invidiam, quanquam & alias expertus, nunquam tamen magis adversam habuit. Quæ uti eminenti virtuti, vel eruditioni adhærere solet, ita solo contemtu se vindicavit. Sicut rupes insanis allisa fluctibus immota tamen manet, ita sapientis animus supra omnem contumeliam est. Atque adeo, qui gloriæ illius inviderunt, eo confessi sunt se minores esse. Præcipue infirmi victique animi signum est, in convitia erumpere. Virtus lacessita multum sibi quasi adjicit etiam tacendo. Nulla enim vindicta major esse adversario potest, quam ne dignum quidem censere, cui respondeas. De voce & appellatione linguæ Hellenisticæ, (linguam enim appellari debere ipse Clemens Alexandrinus testatur) acres contentiones in nervum eruperant, res in confesso erat. Insolitum modum loquendi, phrases orientis in novo Fœdere inveniri nemo inficias iverit, nisi qui in linguis orientalibus peregrinus est, inprimis vero qui Rabbinorum veterum monumenta non scrutatus de causa judicare nequit. Hellenistas, quorum in Actis Apostolorũ mentio fit, Chrysostom9, Theophylactus, Oecumenius Judæos natione, qui nimirum mores & linguam græcam imitabantur, fuisse testantur. Qui præcipue in sacris genium & majestatem hebraicæ linguæ sectabantur, sicuti hodieque Judæi variis gentibus immixti in vertendis sacris factitare solent. Præter magnum Scaligerum, Drusium, Constantinus l'Empereur, Ludovicus de Dieu, & Buxtorfius ita judicarunt, censuerunt, qui principes eruditionis orientalis, Judæorum secreta adyta perruperunt. Quorum ego singularem peritiam, exactum judicium, & industriam sequi malo, quam paucorum invisam malevolentiam. Quorundam, qui studia humanitatis colunt, ea est hodie morum intemperies, ut omnia officia humanitatis exuisse videantur,

tumidi, præferoces per ruinam alterius sibi nomen quærant; denique ita affectibus indulgeant suis, ut huc atque illuc fluctuantes, modo hujus vel illius sententiæ patroni, modo desertores fiant. Vera autem sapientia est, ut inquit ille, idem semper velle atque nolle. Calumniis itaque Noster & invidia superior, in eo quoque Scaligeri hæres, famam tamen cum orbe Christiano terminavit, & tacendo victor fuit; nisi quod Croyo, ingenti antea laudum ejus præconi, qui illius postmodum nomen laceraverat, succincte respondit. Videtis, videtis, Auditores, nos, copia immensarum laudum obrui, & quo plura diximus, eò adhuc plura dicenda restare. Neque mirum est, cum ipse laudum sibi nullum terminum posuerit, me neque dicendi finem invenire posse. Hæsitat jam lingua, titubat oratio, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine; vitam tamen ejus privatam, & divini senis excessum vestrum expectat desiderium. Eadem autem fortuna privata fuit, quæ publica, id est, splendida, gloriosa. Anno trigesimo ætatis circiter & quinto Ermigardim Rutgersiā, Nobilissimi celeberrimiq; viri Jani Rutgersii, legationibus ad omnes fere Europæ Principes illustris, Gustavi denique Suecorum Regis ad Fœderatos Proceres Oratoris, sororem unicam matrimonio sibi junxit, quo conjugio nobilissimis familiis Reipubl. Dordracenæ innexus est; cujus obitum impatientissime tulit, & admirando carmine, cui simile in tali genere ne quidem inveniri potest, parentavit. Ex qua duplicem prolem suscepit, virum nobilissimum, Nicolaum Heinsium, ingenio & eruditione pollentem, Fœderatorum Procerum in Regno Sueciæ Oratorem, & Elizabetham filiam, delicias (heu!) quondam patris sui, quæ nupsit Amplissimæ dignitatis Viro, Gulielmo Gœsio, Curiæ Hollandiæ, Zelandiæ, West-Frisiæque Senatori, de cujus eximia virtute & eruditione plura dicere modestia ejus, & præsentia non patitur. Quod ad mores defuncti attinet, nihil ex umbra præ se ferebat, ad civilem vitam natus, officiosus, inter amicos usque ad sales jucundus, ita tamen ut vultus gravitatem retineret. Magnitudo animi in oculis, in loquendo elucebat. Simulationes & fluctuationes male compositæ mentis aversabatur, ipse candidus & nullius fuci. Itaque aliquotiens conquestus est, se à nonnullis sub specie amicitiæ circumveniri. Gloriæ cupidior fuit, sed quæ vera virtute nititur: quam ego solam honestissimam ambitionem esse arbitror. Injurias primo

primo impetu graviſſime ferebat, ſed ita tamen ut placabilis eſſet. Religioni & melioribus in Patria partibus ſemper favit: itaque in Synodo Dordracena Politici hunc potiſſimum ſibi à literis eſſe voluerunt. Impios, vel qui parum honeſte de religione loquerentur, ne quidem aſpectu dignabatur: animus enim illi emendatus & purus fuit, quique ſemper Deum immortalem in pectore ſuo fovebat, venerabatur. Videbat hoc perdito ſæculo ita impietatem in nervum erupiſſe, ut plures vel non reverenter de Rectore & Vectore universi loquerentur, vel religioni velificarentur, vultum religioſum promerent, profanum pectus occultarent. Titubante autem religione, nutare, vacillare omnia jure cenſebat. Quippe ſine vera religione, horrendum dictu, Deus ipſe veluti Republ. ejicitur; ſine quo omne regimen collabaſcit, probitas cæteræque bonæ artes ſubvertuntur, & pro his flagitia novis admodum flagitiis teguntur. Plurimos amicos, paucos familiares habuit. Præterquam quod Reges Principeſque terrarum amicos & fautores habuit, Illuſtriſſimis viris, Buzenvallio Galliæ, Noello Carono Angliæ, Jacobo Dycquio, Axelio Oxenſterno Sueciæ, Alberto Joachimi Fœderatorum Procerum Legatis ſupra modum carus acceptuſque fuit. De Dominico Molino, Joſepho Scaligero, Iſaaco Caſaubono jam ante diximus. Jano Douzæ Nordovici Domino, & Cornelio vander Mylen, qui illum ita deperibat, ut fratrem ſuum appellare ſolitus fuerit, intimæ erat admiſſionis. Cum Hugone Grotio uſque ad fatalia diſſidiorum in religione tempora, Dominico Baudio, Petro Scriverio, Conſtantino Hugenio Zulichemi Domino, Thoma Erpenio, Joanne Seldeno, Eryco Puteano, pluribuſque aliis, quorum nomina jam diu æternitati conſecrata ſunt, dulciſſima illi interceſſit conſuetudo. Cum Petro quidem Scriverio Polyhiſtore celeberrimo, (cujus vaſtam in omni genere literarum eruditionem, ingenium amœniſſimum, Martialis ſui æmulum; acerrimumque judicium nemo non eruditorum veneratur, ſuſpicitque;) ultra quinquaginta annos familiaritatem coluit, quem etiam in ſumma ſenectute lumine oculorum privatum, mentis tamen lumine illuſtrem cum Poëtarum Principe Homero elegantiſſimo comparavit carmine, eundemq; ſingulari affectu vernacula conſolatus fuit allocutione, quamquam ille animi quadam magnitudine ſupra omnem calamitatem poſitus, ita ratione prava Fortunæ corrigere poſſit, ut, quod admirandum, in maximo infortu-

nio

nio serena animi tranquillitate felix sit. Inter Theologos, viros præstantissimos Franciscum Gomarum, Antonium Thysium parentem meum, Constantinum l' Empereur, Danielem Colonium, Jacobum Revium, Ludovicum de Dieu maximi semper fecit. Præter elegantissimi ingenii fœminam, Dominam Gournæam, à qua frequentes & nitidissimas accepit literas; Nobilissimam virginem Annam Mariam Schuyrmans, quæ omnes fere scientias & linguas muliebri pectore clausit, ita admiratus est, ut elegantissimo versu non tantum eam decimam Musam appellaverit, sed omnium vicem præstare prædicaverit. Inter ætate inferiores juventutis tum literatæ Principes M. Zuerium Boxhornium, Vincentium Fabricium nunc Syndicum Gedanensem, Franciscum Gronovium summo in pretio habuit, quorum florentissima ingenia ad maxima quæque accendit. Boxhornii diffusam admodum eruditionem, Fabricii excelsum ingenium & Poëtico æstu agitatum, Gronovii singularem doctrinam, atque industriam postmodum admiratus est. Firmæ ut plurimum fuit valetudinis, nisi quod semel Ischouria periculose admodum laboraverit, & in senectute articulari morbo admodum premeretur. Anno hujus sæculi quinquagesimo secundo vehementi febri correptus extrema expectabat, sed Natura prævaluit. Postmodum tamen omnia in pejus ire, ac retro sublapsa ferri, & corpus paulatim languescere, & nonnunquam memoria vacillare cœpit, ita tamen, ut quæ in juventute didicisset, tenacissime retineret, adeò quidem, ut totum fere librum IV. Æneidos memoriter recitaret. Apollini autem nostro inter Musas suas decumbere jucundum fuit, ita ut medio ingentis atrii, lectulo cubans, instructissimam undique circumspectare Bibliothecam, & deliciis quondam suis oculos animumque pascere posset. Jacente illo jacebant languebantq; Musæ, quamquam quæ sano & vigilanti semper inservierant, tunc etiam dormienti, & languido, Zulichemio vate, ingenioso carmine nomen ejus celebraverint. Ita paulatim in senili corpore fatiscebat natura, quanquam eidem succurrere summa ope niteretur præstantissimus Medicus Johannes Elemannus, Reip. Leidensis Senator amplissimus. Ab hoc fere tempore non solido cibo, sed lacte & vino corpusculum sustentavit; atque omnibus relictis soli Deo immortali incubuit. Cum Zulichemi Dominus, qui illū officii causa salutaverat, ex eo quæreret, ecquid solitudinem & dolores carmine, veteri oblectamento,

mento, non aliquando falleret, respondit, se unicam vo[luptatem] ptatem in Deo suo posuisse, cœlestia cogitare, cætera con temnere. Quin & ipse eodem animo, quo de Contempt[u] mortis scripsit, eadem superior, mortem hanc terrenam v[i]tæ suæ cœlestis primordium esse judicavit. Testem hab[e]mus virum præstantissimum Martinum Ubbenium, quem etiam pluribus ad eum scriptis literis magni semper fecit, qui in extremis illi adfuit, D. Balbianum, qui præter ali[as] eximias dotes in ægrorum consolationibus rari est exempl[i] quanta fuerit in Deum suum, in Servatorem Christum fid[u]cia. Ipse tandem vigesimo quinto Febr. die vesperi inte[r] decimam & undecimam præeunte Ecclesiaste perrup[to] ipsum cœlum precibus, quibus peractis primo pauxillulun[m] somno se dedit, dein expergefactus placide sine ulla mem[b]rorum titubatione ultimum spiritum dedit, oculosqu[e] tanquam dormiturus sponte clausit. Excessit, excessit ma[g]gnum illud Reip. literariæ lumen, & simul cum exequii[s] suis exequias literatum nobis reliquit, Ubi nunc illa diserta lingua, qua totiens amplissimum hoc atrium personuit? obmutuit, obriguit; quod dum dicimus; etiam nobis lingu[a] impeditur. Ubi illa agilis dextra, ubi illa latera? immot[a] jacent. Ubi illi vivaces igneique oculi? caligo mortis clausit. Ubi illud vegetum corpus illustris illius spiritus domicilium, in quo non Heinsius tantum sed ipsa Pallas habitabat; paucorum pedum tumulo continetur. Quanquam quic[quid] illum sepulchri claudi angustiis dico, qui totum terrarum orbem, ubi ullum decus eruditioni est, pro domicilio habet, qui vivit victurusque admirandis suis monumentis, quæ nulla injuria temporum delebit? Maxime Heinsi, iterum dico, maxime Heinsi, quis nunc literarum gloriam tuebitur; quis dotes tuas exprimet? Illas nemo exprimere potest, nisi Heinsius. Quis divinam tuam Poësin imitabitur? exaruit Castalis unda, aufugerunt Musæ, quæ tuis carminibus detinebantur. Quis Platonicas delicias, quis magnum sectabitur Aristotelem? tenebræ heu fatales imminent. Græciæ olim in Batavia inveniebatur, nunc in Batavia ne quidem Batavia invenitur. Ubi vetus ille studiorum ardor, qui in majoribus nostris cordatissimis mortalibus fuit? Excessit, evasit, evanuit. Fuere, fuere illa tempora, cum non tantum ab aliis scientiis, sed potissimum à literarum gloria hæc Academia æstimaretur, nunc, etsi virorum præstantissimorum copia sit, qui sapientiæ & eruditionis gloriam conjunxe-

unxerunt, omnis fere juventus bonam mentem ejuravit, in præcipitia ſtudiorum abripitur, nihil denique penſi habet. Ita quemadmodum imperiorum, etiam ſtudiorum quædam ſubitæ ſunt converſiones, & ſola in hac ſorte mortalium varietas ſtabilis eſt. Creſcentibus ingeniis in immenſum crevit Reſp. noſtra, Auditores, metuendum, ne ſocordia noſtra fatali viciſſitudine decreſcat. Tali igitur relinquis nos tempore Illuſtris Heinſi, ô literarum Princeps, invidiæ victor, virtutis ſpeculum, quo omnis eruditio, omnis virtus collabaſcit? Solus tuus aſpectus & majeſtatis plenus vultus auctoritatem literarum ſervare potuit. Videor, videor hic tuam imaginem præſentem videre, ipſa admodum hæc cathedra horret, ex qua totiens divinæ facundiæ verba emiſiſti: ex hoc loco totiens tanquam alterum Demoſthenem vel Ciceronem te non loquentem, ſed tonantem audivimus. Horret iterum animus, & te tanquam præſentem alloquitur. Ignoſce itaque mihi maxime Heinſi, quod ingentia veſtra merita tenuiſſimo dicendi genere detriverim, ignoſce mihi, qui vix mihi ipſi ignoſco. Quod idem Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Clariſſimique Viri, voſque lectiſſima Juventus, qui partim ex vicinis Provinciis, partim ex diſſitiſſimis terrarum locis frequentes ad hoc ſapientiæ Prytanæum confluxiſtis, obnixe à vobis peto, uti prolixæ meæ erga defunctum voluntati, quæ tanto oneri ſuccubuit, faveatis: quod uti ex vultu veſtro mihi polliceri videor, ita hic dicendi finem faciam.

D I X I.

AD MANES HEINSIANOS,

ALLOQVIUM FUNESTUM.

TACEBO TE! CLARUM TERRA COELOQVE SIDUS MAGNE HEINSI? Etiam Atys, quam natura negaverat vocem, periculo monitus rupit: Ego funus tuum mœſtus ſilensque comitarer?

Non quod immortalitatem tibi invideamus, aut ad terreſtria hæc inanibus votis & nihil profuturis te repetamus, aut illis tuam, qua frueris felicitatem, augeri laudibus noſtris poſſe credamus, qui ſupra omnia hæc, quæ miramur, quæ cupimus, longiſſime evectus es.

Pietati noſtræ tantum indulge, ut liceat ultimum te, quaſi præſentem alloqui, non tua, ſed ſuperſtitum cauſa,

quibus magnum & vivus exemplum fuisti, & jam cœlo receptus tumuloque conditus ingens futuris seculis certamen præbebis.

TRIUMPHALIS TUA ADOLESCENTIA SENECTUTI OMNEM PALMAM PRÆRIPUIT.

Non poteras major fieri cum ætate, qui intra juventutem, omnem vel exhauseras famam, vel occupaveras.

Nunquam illustriori exemplo, natura, quantum in capacissimo animo posset, ostendit. Et quasi moræ pertæsa, citius te absolvit, quam inchoaverat.

ILLE SECULI SUI NESTOR TUA JAM PRÆSENTIA ABSQVE FINE ABSQVE TERMINO FRUITUR.

Quam delectabatur fortunatus senex tua pueritia?

Quam ipsum tot exhaustum curis & laboribus, subinde recreabat illa vivacitas & vigor mentis, atque ingenii tui inexhausta ubertas?

Tecum universam Græciam in suum inducebat sacrarium.

Tu ipsi Roma, tu Athenæ eras. In te sibi reviviscere & renasci velut ex cineribus Phœnix videbatur. Neque digniorem reperit cui monumenta relinqueret, quia neminem rectius illis usurum noverat.

JAM EMENSUS ERAS OMNE ILLUD, QVOD CÆTERI MORTALES IMPROBO TOTA VITA LABORE QVÆRUNT, SCIENTIARUM ET GLORIÆ REGNUM.

Non habebat tua, quo progrederetur, eruditio, neque tamen velut fessa substitit. Neque Sol radiis augetur & semper tamen lucet. In tanta fortuna magis mirer prosperam famam, an modestiam & animi in se reducti ac compositi tranquillitatem?

Dum omnem illum ambitum declinas & tibi sufficis, non te Reges & magni Principes patiebantur esse tuum.

Major eras quam ut latere, excelsior, quam ut eorum sollicitationem effugere posses.

Instar Solis universum hoc, non tam illustrabas, quam magnitudine nominis implebas.

Dicamne quantum stupendis tuis virtutibus tribuerit ille Septentrionis sui Rector & Germaniæ liberator, & omnium hostium victor, GUSTAVUS?

Non alium immortalitatis suæ inter mortales & testem

& præ-

& præconem te digniorem reperit. Tu ipsi, quod Alexandro Aristoteles. Neque ab alio scribi Gustavus, quam Heinsio, vel poterat, vel debebat.

Illa Resp. quæ antiquam Rom. Majestatem hodie ingentibus factis repræsentat, quæ Ottomannico furori metas ponit & limites: illa cum tanto deposito frui propius non posset, te tamen inusitatis honoribus suum fecit; & D. MARCI creavit Equitem, quem non modo Marci, verum omnium Evangelistarum ac Apostolorum prævidebat fore illustratorem.

CUM EXTERI IN TE ORNANDO CERTARENT, QVID BATAVIÆ TUÆ NON DEBEBAS?

Illa, sicut propius divini ingenii tui fructus sensit: ita aliorum omnium magnificentiam superavit.

Te Ordines victoriarum suarum & casuum volebant esse scriptorem, ut quaqua versum Auriaca arma fugam hostibus & metum intentabant, tu stylo & sermone immortalitati consectares.

Dignus tanto Scipione Polybius: & quantum præstiteris Sylva Ducum omni ævo loquetur, nescio majori à tanto Principe animo expugnata, an à te grandiori eloquio scripta: ut neque ab alio capi potuisse, neque ab alio scribi voluisse, videatur.

LEVIA SUNT HÆC, SI CUM SECRETIORIBUS TUIS STUDIIS ET CURIS CONTENDANTUR.

Quem non illa tot ingenii monumenta tuis illustrata laboribus, vel erudiant discendi cupidum, vel afficiant stupore invidum?

Habent omnia tua aliquid nobis inaccessum, & sacer quidam horror inest.

Non persuades sed trahis; & tamen violentia abest.

Non blandiris sed delectas: & tamen fucus abest.

Nemo tecum paria aut faciet, aut fecit, nisi, cui tantum te tribuere semper professus es, Scaliger.

ERAT JUDICIUM TUUM LIMA SINE STRIDORE, NORMA SINE ERRORE.

Quo se non penetrabat illa mentis tuæ acies? Quam partem universæ doctrinæ inaccessam intactamque reliquisti?

Nullæ tantæ in omni antiquitate tenebræ, quin ad lucem tuam diffugerent.

Tibi clausa aperiebantur, recondita promebantur.

Sanabas desperata, curabas mutila, reponebas detorta.

Et post hæc omnia, totam Græciam, totum Latium, atque insuper longinquum Orientem, in Batavia solus possedisti.

ALII DIVINA CARMINA TUA LAUDANT ET ORIS FACUNDIAM: EGO SUPRA LAUDEM DUCO.

Quid enim antiquitas habet quod iis opponere possit?

Tu seculi nostri Maro, tu Naso eras, & quem proprio quodam naturæ genio æmulatus es, Homerus.

Ita virtutes eorum exprimis, ut vitia omiseris & lapsus,

Ita elegantiam, ut insuper altius quid & quod ipsos fugiebat, & nomine caret (est enim proprie tuum) superaddas.

Si Augusti seculo vixisses, quantum tibi magna illa ingenia cessissent, quibus in hac mundi senecta & par eras & superior?

Quicquid Cicero habet augusti, Cæsar generosi, Livius magnanimi, Plinius delicati, hoc omne tuum est.

ITA CUNCTÆ NATIONES CUM CÆTEROS ÆSTIMARENT, SOLUM HEINSIUM ADMIRABANTUR.

Tibi GERMANIA assurrexit: quanquam civili sanguine oblita.

Tibi ITALIA applausit: quanquam sua tantum miretur.

Tibi GALLIA concessit, quanquam magnorum ingeniorum æmula.

Quod Themistocli Miltiades, hoc nobis omnibus eras.

Heinsium admirari jam magna eruditionis pars erat.

Nemo magnus videbatur, nisi cui HEINSIUS magnus: ita seculum erat.

CUM OMNIA JAM EXHAUSISSES VETUSTATIS MONUMENTA, AD DIVINA TE ARDOR TUUS, ANNIS MATURUM, IMPULIT.

Et quod Heinsio dignius munus erat, quam in altissimis desinere, qui à maximis cœperat?

Ergo magno animo, id est tuo, & ab omni ad tantam expeditionem instructo apparatu, id est toto Oriente, cujus tibi

tibi amorem inſpiraverat Erpenius tuus, opus aggreſſus es, quod cuncta ſecula, quia carpere nequeunt, mirabuntur, imitabitur nemo, quia inimitabilis es.

Oſtendiſti in quo etiam ſumma perſpicacitas, non tamen omnia aſſecuta fuerit. Helleniſmum ita aſſeruiſti, ut cum ratio quod obtrectaret, reperire non poſſet, invidiam exercueris.

Orientem in Occidente, Occidentem in Oriente, velut transmigratione facta & coloniis ductis, cum quæreres, etiam inveniſti. Magnum ſcilicet nomen primi novarum detectores terrarum ſibi vel faciunt vel merentur: quanto major tu qui abditos tot ſeculis ingenii receſſus & hactenus impenetrabiles, aperuiſti?

HOC, VELUT QVO PROGREDERERE NON HABERES, PAUSAM TIBI ET TERMINUM IMPOSUISTI.

Quanquam maximus eſſes, non tamen PLUS ULTRA voluiſti.

Et Hercules columnas laboribus ſuis poſuit, & Alexander aras.

JAMQVE IPSE ANIMUS TOT ANNIS INQVIES ET INSATIABILIS, TERRIS PAULATIM ET EVANIDIS HISCE CURIS EXSOLUTUS, AD ORIGINEM SUAM, QVA NUNC BEATISSIMUS FRUERIS, TENDEBAT.

Anguſtior erat ille carcer quã quo diutius claudi poſſet. Alta & immenſa cœlorum appetebat, ac ſi per ipſum ſtetiſſet, dudum te luxiſſet, tanto ſidere ſpoliatus orbis.

TU VERO COELITIBUS NUNC MAGNA FACTUS ACCESSIO HEINSI, INTER INGENTES ILLAS, ET TIBI SOLI, DUM FATA SINEBANT, PARES ANIMAS, SCALIGEROS, CASAUBONOS, ERPENIOS, CUNÆOS, &c. JACENTIA TERRARUM ET VANAS INUTILESQVE CURAS NOSTRAS, EX ALTO DESPICIS.

Ingreſſus es portum nullis tempeſtatibus obnoxium, ubi neque invidiæ & obtrectationis brevia, neque Syrtes, neque infirmitatum humanarum metuendi impetus: omnia ibi liquida & ſerena.

Nos vero tuarum ingentium virtutum admiratores, & qua datur, longo intervallo ſectatores, dum in hoc mari jactamur, inter naufragia & ſcopulos, inter miſerias & ærumnas,

mnas, quod unum possumus, non otioso aut remisso vultu, ad te subinde respectabimus.

Erunt nobis divini monumenta ingenii tui, velut in densis tenebris præfulgida Pharos. Tu errantes, ex præcelsa illa arce, velut Helice & Cynosura diriges.

QVICQVID EX TE AMAVIMUS, QVICQVID DESIDERAMUS, MANET MANSURUMQVE EST IN ÆTERNITATE TEMPORUM, FAMA RERUM, HEINSIUSQVE POSTERITATI SÆPE DICTUS SÆPE DICENDUS, SUPERSTES ERIT.

ÆTERNUM VALE MAGNA ET BEATA ANIMA.

G. HORNIUS.

Viri Incomparabili
DANIELI HEINSIO,
haec mæstus accinebam
LAMBERTUS BARLÆUS.

Lugete ô Veneres Cupidinesque,
Et quantum est hominum politiorum:
Vester heu cecidit patronus ingens,
Ingens HEINSIVS: ille Gratiarum
Cunctarum Pater Helladisque Vindex,
Et nostri jubar eminens Lycei,
Laudum ævique satur petivit astra.
Qui quicquid Plato Socratesque dius,
Et Stagira Vetus, rigensque Zeno
Quondam disseruit, tenebat unus.
In hoc pectore Homerus alter, alter
Sedit Virgilius, Theocritusque,
Et tota Hesiodi patebat Ascra.
Sappho, Nonnus, Anacreon, lyraque
Præstans Flaccus, amabilisque Naso
Vates, vate sub inclyto hoc latebant.
Quis nunc historias leget Iuventæ
Vi tanta eloquii tonans Professor?
Quis nunc Versiculos canet Poëta
Tam gratis salibus jocisque tinctos?
Nemo mehercule, nemo: namque par huic
Cœlesti ingenio, stylo, vel arte,

Nil

Nil usquam invehias Viro aut secundum.
Quare fletibus & frequente planctu
Lugete ô Veneres Cupidinesque,
Et quantum est hominum politiorum.

EIDEM.

Quisquis in illustrem defigis lumina pompam,
Praclarisque potes condoluisse rogis:
Atratos sequere immistus longo ordine Patres,
Et sint maroris publica signa tui.
Hâc probitas, hâc prisca fides tumulantur in urnâ
Et miscent cineres consociata suos,
Hôc defuncta pridem tumulo doctrina quiescit,
Ista sibi Pallas marmora structa gemit.
Hac sunt Socraticis immista cadavera membris,
Hîc jacet extinctus cum Cicerone Cato.
Ista Stagyraum concludunt busta Magistrum,
Ascraique tegunt ora diserta senis.
Hoc Ovidi, hoc docti sublimis Musa Maronis,
Hoc Taciti illudit flebilis umbra rogo.
Imus ad exequias cuncti, illustrique feretro
Prabemus quassas, languida membra, manus,
Scilicet, est aliquid comitari funera, Divûm,
Atque humeros istis supposuisse suos.
Quis paria Heinsiada faciet? Tu maxime Fili,
Sanguine Virtutes serpere posse proba.

JACOBUS REEPMAKERUS.

EPITAPHIUM
ΧΡΟΝΟΣΤΙΧΟΝ.

HoC LIteratVræ DeCVs
poLItIorIs & arbIter,
oCeLLVs orbIs HeInsIVs
ConCLVsIt artes entheas,
CVnCtasqVe VIrtVtes LoCo.

Aliud.

Si Pietas expers foret & Doctrina sepulchri,
Heinsiada non hic deflerent funera Musa.

SCRIPTA.

Crepundia Siliana, seu Notæ in Silium Italicum. *Lugd. Bat.* 1600. 1618. in 12. *Cantabrig.* 1646. in 12.

Auriacus sive Libertas saucia. *ibid.* 1602. 1608. in 4.
Jammbij partim Morales, partim ad Amicos. *ibid.* 1602. 1608. in 4.
Hesiodus, ejusque interpretes, cum notis atque introductione in opera atque dies. *ibid.* 1603. in 4. 1622. in 8.
Theocritus, ejusque interpretes, cum Scholiis Theocriticis. *ibid.* 1604. in 4.
Laudatio Jani Dausæ. Accedunt ejusdem Manes Dausici. *ibid.* 1605. in 4.
Paraphrasis Andronici Rhodii in Aristotelis Ethica ad Nicomachum, cum interpretatione. *ibid.* 1607. 1617. in 4.
Maximi Tyrii Platonici dissertationes XL. Græco-Latinæ cum Notis. *ibid.* 1607. 1614. in 8.
Panegyrici suo Josepho Scaligero dicti. *ibid.* & *Antverpiæ* 1609. in 4.
Satyræ duæ, Hercules tuam fidem, sive Satyra Menippæa, & Virgula Divina, cum brevioribus annotatiunculis. *ibid.* 1609. in 8. 1617. in 12.
Poëmata. *ibid.* 1610. 1613. 1617. in 8. 1640. in 12. *Amstel.* 1617. 1649. in 12. 1666. in 8.
Dissertatio de Nonni Dionysiacis. *ibid.* 1610. in 8.
Theophrasti Eresii opera omnia Græcè & Latinè, cum notis. *ibid.* 1611. 1613. in fol.
Oratio de conjungendis Græcorum Lingua & Disciplinis. *ibid.* & *Francof.* 1611. in 4.
Aristotelis de Poëtica liber ordini suo restitutus, cum interpretatione & notis. Accedit de constitutione Tragica liber, secundum Aristotelem. *ibid.* 1611. in 8. 1643. in 12.
L. Annæi Senecæ Tragœdiæ cum Animadversionibus. *ibid.* 1611. 1619. 1619. 1621. in 8.
Socrates, sive de doctrina & moribus Socratis oratio. *ibid.* 1912. in 4. Gallicè. *Paris.* 1642. in 12.
In Theophaniam sive Domini Natalem Homilia. *ib.* 1613 in 4.
In cruentum Christi Sacrificium, sive Domini Passionem Homilia. *ibid.* 1613. in 4. Anglicè. *Lond.* 1618. in 8.
Peplus Græcorum Epigrammatum aliaque Græcè scripta, & è Græcis Latinè reddita. *ibid.* 1613. 1616. in 4.
De præstantia & dignitate Historiæ Oratio. *ibid.* 1614. in 4.
De Sapientia Politica Oratio. *ibid.* 1614. in 12.

Q. Ho-

Q. Horatii Flacci opera cum notis. *ibid*. 1612. 1628. 1635. in 12. & 16.

Orationes *ibid*. 1615. 1620. 1627. in 8. 1621. in 4. 1642. 1652. 1657. in 12.

Aurelii Clementis Alexandrini opera Græcè & Latinè, quorum textum Græcum recensuit, interpretationem veterem meliorem reddidit, & breves in fine emendationes adjecit; *ibid*. 1616. in fol. *Amsterod*. 1667. in 12.

Dissertatio epistolica, an Viro literato ducenda sit uxor, & qualis? ejusdem alia amœniora opuscula. *ibid*. 1616. in 12. 1638. in 8.

Q. Horatii Flacci de arte Poëtica ad Pisones epistola, ex D. H. recensione seorsim edita. Addita est ejusdem Dissertatio super Plauto & Terentio Comicis. *VVitteb*. 1616. in 4.

P. Terentii Comœdiæ sex, ex recensione D. Heinsii. *Amsterod*. 1618. 1622. 1633. in 8. *Lugd. Batav*. 1635. in 12.

De prima Romanorum ætate & virtute, ad L. Florum; De secunda & postrema Romanorum ætate, ad Corn. Tacitum. *Lugd. Bat*. 1614. in 4.

De contemptu Mortis libri IV. *ibid*. 1621. in 4. & 12. Belgicè. *ibid*. 1625. in 4.

Paraphrasis in Aristotelis Politica. *ibid*. 1621. 1656. in 8. *Iena* 1660. in 4.

Aristarchus sacer, sive Exercitationes ad Nonni Paraphrasin in Johannem. *ibid*. 1621. 1627. in 8.

Laus Asini, absque auctoris nomine. *ibid*. 1623. 1629. 1632. in 4. & 24. Postea, adjecto nomine, inter ludicrarum Dissertationum scriptores recusa. *ibidem* 1644. in 12.

Cras credam, hodie nihil. *ibid*. 1629. in 12.

Oratio in obitum Reinerii Bontii Doct. Med. habita: *ibid*. 1624. in 4.

Oratio in obitum Philippi Cluveri habita. *ibid*. 1624. in 4.

Laudatio funebris Mauritii, Principis Auriaci. *ibid*. 1625. in fol.
Gallicè. *ibid*. 1625. in 4.

Laus Pediculi ad conscriptos Mendicorum Patres. *ibid*. 1629. in 12. 1638. 8. & in Dissertationibus ludicris. *ibid*. 1644. in 12.

Herodes infanticida, Tragœdia. *ibid.* 1632. in 8.

Dissertatio Epistolica de servitute naturali. *ibid.* 1630.

Homilia in locum Johannis cap. XVII. *ibid.* 1625. in 12.

Pub. Ovidii Nasonis Opera recensuit. *Amsterd.* 1630. 1653. 1661. in 12.

Historia rerum ad Sylvam-Ducis atque alibi in Belgio aut à Belgis cIↄ IↄcXXIX. gestarum. *Lugd. Bat.* 1631. in fol.

Panegyricus Gustavo Adolpho, Suecorum Regi, &c. consecratus. *ibid.* 1632. in fol.

Gallicè. *Paris.* 1638. in 8.

Tit. Livius, ex ejus recensione. *ibid.* 1632. in 12.

Hymnus in Jesum Christum Latinè & Germanicè redditus, *Rostoch.* 1635. in 4.

Aurelii Prudentii opera cum notis. *Amsterod.* 1637. in 24. 1670. in 12.

Epistola, qua Dissertationi D. Balsaci ad Herodis infanticidam respondetur. *Lugd. Bat.* 1636. in 8.

Exercitationes sacræ ad Novum Testamentum; quibus accessit Aristarchus sacer. *ibid.* 1639. in fol. *Cantabr.* 1640. in 4.

Apologia adversus Jo. Croji calumnias, suppresso prodiit nomine *ibid.* 1646. in 8. Creditur tamen esse aut D. Heinsii, aut M. Zuerii Boxhornii.

Oratio de pace inter Hispanorum Regem, & Belgas fœderatos. *ibid.* 1648. in fol.

Exercitatio demonstrans omnem Ægyptiorum aliorumque Religionem ex Oriente profluxisse. *Cantabrigiæ.* 1646. in 12.

Lofsanckh van Jesus Christus, den eenighen und euvvigen Sone Godes. *Tot Amster.* 1618. in 4. 1621. in 8.

Nederduytsche Poëmata. *ibid.* 1622. in 4. & 8.

Emblemata amatoria Belgice, *ibid.* 1616. in forma oblonga & *Rotterod.* 1625. in 4.

Historie du Siege de Bolduc. 1631. in fol.

Heinsiana quædam anonyma detexit Cl. Vir. Vincent. Placcius, in Syntagmate sæpius à nobis citato p. 64. 74. & 129.



SAMUE-

SAMUELIS SORBERII DISSERTATIO De Vita ac Moribus Philosophi ac Mathematici Celeberrimi, PETRI GASSENDI,

Ad Virum Illustrem

HENRICUM LUDOVICUM HABERTUM MON-MORIUM, Libellorum Supplicum Magistrum integerrimum, *perscripta.*

QUalis, quantusque Vir fuerit PETRUS GASSENDUS ὁ Μακαρίτης, nemini notum non esse puto, qui in Imperio literario & bonæ mentis studio hospes omninò non fuerit; adeò ut tanti Viri laudes pluribus prosequi Lectorum inscitiam arguentis esse videretur, vel hominis esset otio abutentis suo, & soli lucem fœnerari præpostere gestientis. Pauca tantum prælibare est animus, quæ ad vitam Senis optimi, studia, mores, invaletudinem, & tandem placidum in Christo obitum, atque maturatam operum editionem pertinent. Quippe cæteris non injucundum fore confido, testem in his rebus oculatum, amicum fidum, discipulum veterem audire. Mihi verò, in luctu & mœrore posito tam chari capitis desiderio, ingens dabit solatium procul dubio præteritorum memoria; eximiæ Virtutis, sine fuco pietatis solidissimæ, stupendæ eruditionis, ingenii acutissimi, judicii subactissimi, & inprimis intemeratæ, quamvis immeritæ, quâ me tamen dignatus est ab adolescentia, arctissimæque necessitudinis repræsentatio. Aggrediar itaque nonnulla præfari, quandoquidem Viri facundissimi, quibus id oneris incumbebat, ob pleniorem rerum omnium informationem & majorem dicendi copiam, silent nunc per negotia gravissima, quæ parentationem istam, & justorum solutionem non permittunt. Meminerint illi, si quando vacat, reddere victimas ædemque votivam piis Amici nostri Manibus; interea nos humilem ferimus agnam. Ita jubes *Henrice Ludovice Haberte Mon-mori,* Vir Illustrissime; Suadent

dent *Bratæus* & *Martellus*, Animæ, quales neque Candidiores Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter; Optant Typographi, hortantur alii; & finit nunc prospera, Deo bene propitio, valetudo mea; tum in Urbem reditus, sedata nonnihil mæstitia, reddita animo tranquillitas, relata mecum scriniola, libraria supellex, & otium, quibus abundo.

PETRUS GASSENDUS vulgò *Diniensis* habitus, ob Ecclesiæ illius Præposituram, quo functus est munere annos viginti, non tamen *Diniam* quam appellavit patriam sed *Campotercerium* agri Diniensis Pagum seu Oppidulum, unâ ab urbe Leuca in occasum distans, natalitium habuit anno superioris sæculi nonagesimo secundo, Januarii die vigesima secunda. Pater illi fuit *Antonius Gassendus*, & Mater *Francisca Fabria*, morum suavitate, & fidei in Religione majorum perseverantia potius quàm genere & divitiis in patria conspicui. Quibus parentibus ad pietatem ita efformatus fuit à teneris unguiculis, ut non prius voces nonnullas reddere potuerit, quin sublatis jam in Cœlum oculis, & manibus junctis paratus fuerit precibus ad Deum fundendis, quas, ut accepi, primas omnium pronunciare didicit. Unde cumprimum firmato gressu domo egredi quadriennis valuit, vel coætaneos inter concionatorem imitabatur, vel solus in multam noctem Cœlo sudo, serenoque Lunam & sidera contemplabatur; non sine metu parentum multo per avia puerum in cunis Astrologizantem quæritantium. Ut primum igitur grandior culturæ admoveri debuit, *Diniam* missus est, ubi brevissimo temporis spatio specimina edidit, ingenii elegantissimi, usus Præceptore *Godefrido VVendelino*: quare nemine non exosculante virtutis præsentis & futuræ doctrinæ tam clara pignora, vel invito, at saltem inscio parentum altero, qui colendi agri magis quam permovendi ad bonas literas gnati sollicitus erat, non solum Latinæ linguæ rudimenta superavit, sed in Rhetorica tantos progressus fecit, ut ab affine Diniensi, qui liberos paulo inferioris notæ nec eò, quò *Gassendulus* provectos habebat, Aquas Sextias missus fuerit, quo Philosophicis studiis sub *Fesaio* Minorita doctissimo, incumbere posset. Et circa *VVendelinum* audiendus est *Valerius Andreas Dessellius* in Bibliotheca Belgica edita 1643. *Romam adiit, peragrataque Italia bona parte dum per Massiliensem Galliæ Provinciam iter domum versus instituit, substitit ibidem aliquantisper, studiaque sua impensius excoluit; Diniensem instituendæ*

ſtituendo ac formando juventutem, diſcipulum præ multis unum nactus Petrum Gaſſendum, ſcriptis famaque celebrem. Vivit adhuc Senex optimus Tornaci Canonicus, nec quidquam ejus in rem literariam affectui ætas illa detraxit. Aſſenſit pater eâ conditione, ut redderetur pago ſuo poſt biennium filius, qui domeſtica curaret potius quam ea, quæ nihil ad rem ſuam pertinere exiſtimabat: nam ſcientias omnes Vir ille bonus quamvis non haberet exoſas; ut ſteriles tamen Camœnas ſeu leves nugas valere jubebat, ut filii ſui fortunæ, non ſplendidè quidem, verum mature & tuto conſuleret. Idem enim ſatis inter vilia fortis, illos ſapere, & ſolos ajebat bene vivere, quorum

Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

Exacto Aquis-Sextiis biennio, Campotercerium non diu manere potuit *Gaſſendus*; Diniam ſcilicet vocatus adoleſcens annorum ſexdecim, ut Rhetoricam doceret: unde rurſum triennio poſt Aquas Sextias reverti coactus fuit, fatis functo ſcilicet Minorita Præceptore, in cujus locum ſuffectus imberbis Philoſophiæ Profeſſor, agro tandem æternum valedicere debuit, Muſarum Caſtra ſequuturus, & in illis quidem tanta cùm gloria militaturus. Neque enim diutius evocatos inter & tumultuarios milites meruit, qui Sacramento religatus in Rempublicam literariam juravit, imo ſtatim agmen duxit, *Exercitationes Paradoxicas* conſcribere aggrediens ut virium ſuarum periculum faceret. Quas ut vidit *Nicolaus Fabricius Peireskius*, & *Ioſephus Galterius*, Prior Valettæ, omen lubentes accepere, facile dijudicantes, quantus in ſtudiis philoſophicis futurus eſſet *Gaſſendus*. Hiſce duobus Amicis & Patronis, Scholæ ereptus fuit, rixoſæ nimis altercationis funem ſemper trahenti, ut vitæ Eccleſiaſticæ traderetur, quæ otium præbet ſecurius, & tranquillitatem ad Philoſophandum uberiorem. Id jam igitur ætatis ut Sacerdotii jugo cervicem ſubmittere poſſet, ſacris ordinibus ſe admovit, & *Canonicatu* donatus, mox *Præpoſituram* adeptus eſt Doctoratus ſui privilegio, cum de illo munere controverſia inter Canonicos Dinienſes oriretur. Cujus litis occaſione pluribus innotuit Viris literatis dignitate Senatoria conſpicuis, & Gratianopoli & Lutetiæ Pariſiorum, ubi decertandum fuit, ut in poſſeſſionē Præpoſituræ ſuæ aſſereretur. Quid interea temporis & per annos ſequentes contigerit, nec ſatis compertū mihi præter initas amicitias multas, de quibꝰ erit infra dicendi locus, & ſcriptos libros; nec homini Philo-

ſopho

sopho pluracontigisse notatu digna arbitror, ut in hisce levioribus vitæ privatæ casibus pluribus esse non debeam.

Unum sufficit animadvertere, susceptam à *Gassendo* hujus sæculi anno XXVIII. cum *Francisco Luellerio* Parisino Rationum Magistro, in Belgium peregrinationem, quæ unica fuit extra patriam: quare frustra suntilli, qui scripserunt in Italiam appulisse, & Romæ cum *Athanasio Kirchero* Jesuita, imo cum doctissimis Cardinalium contulisse de rebus Philosophicis. Certò certius est iter Hollandicum unicum extra Gallias extitisse; quo in itinere ingeniosissimam scripsit adversus *Robertum Fluddum, Marino Mersenno* defendendo *Exercitationem*. Ille nimirū paulò acerbius exceperat deliria *Fluddana* in vægrandi Comment. suo ad VI. priora Libri Geneseos Capita, unde *Fluddus* excandescens malè habuerat Virum cæteroquin optimum, & litium fugientem animum passim ostendentem, in Libro recens edito, quem *Mersennus* amico suo proficiscenti examinandum tradidit. Itaque exarata à *Gassendo* desultoriè Epistola, quam Apologiæ vice publici juris fecit *Mersennus*; in qua verò Author noster Socratico more futilissimum adversatium deridendum propinavit, intricata solvens, & obscura in lucem proferens, ut ineptissimarum cogitationum deformitas omnibus pateret. Qua in arte mirus fuit omnino *Gassendus*, quem sæpius audivi lacessitum à Sophistis nullam aliam responsionem adhibere præter eam, quàm ipsi sibi adversarii faciebant. Quippe nudare solebat perplexa & involuta verborum cortice sophismata, probaturus an satis Authorum mentem assequeretur. Quod ubi concesserant, rogabat, ut jam efferrent ratiocinia sua verbis istis ejus captui magis accommodatis. Jucundum autem erat videre bonos istos Viros, quos ratiocinii sui suppudebat, qui verò inchoatum alacriter sermonem ægrè ad exitum proferre totū poterant: nam quibus erat ingenui pudoris quid, reliquū durum erat retexere, quæ tunc apparebant ineptissima. Et circa *Mersennum* quidem ejusque Commentarium intempestive aliquando in latifundia Scientiarum Mathematicarum divagantem, hic mihi venit in mentem, quod ab *Andrea Riveto* accepi, & doctis contendentibus exemplo esse poterit. *Sixtum Amamam* Frisium duriter tractaverat *Mersennus*; itaque vapulabat in opere quod parabat *Amama*; qua de re certiorem fecit *Rivetus Mersennum* per epistolas, quare facta est aliqua commutatio, donec ad *Sixtum* ipsum scripserit *Mersennus*, veniam

petens ultrò lacessiti Viri docti, & rogans, ut sine convitiis ad rem ipsam responderetur. Quod ab *Amama* factum, & insuper initum amicitiæ fœdus ad mortem usque perseveravit.

In Hollandia *Gassendus* tantam sui admirationem reliquit, ut cum ego amænam illam & eruditissimam regionem post annos ab ista peregrinatione quatuordecim incolerem, & frequens literarum commercium cum *Gassendo* haberem, percunctabantur semper eruditiores solliciti quid ille pararet: Cum autem significassem, vidisse me Lutetiæ Parisiorum *Disquisitionem Metaphysicam*, quam premebat, ne litem ex lite moveret, auctores fuere omnes, ut mitti quàm primum curarem; & illa ipsa Princeps *Elisabetha* Serenissimi Regis Bohemiæ filia natu maxima, quæ tantum favit *Cartesio*, cum cæteris avebat perlegere. Itaque ad *Gassendum* iterato scripsi, & per *Marsennum*, *Thomam Martellum*, atque *Abrahamum Pratæum* effeci tandem, ut scripti copiam haberem; inprimis ad expugnandam Viri modestiam afferens, efflagitasse *Cartesium*, quem in suburbano Leydensi *Engelgeest* dicto inviseram, ne diutius ista Diatriba inter paucos ambularet, sed palam & apertè hostem adoriretur. Et memini cùm lares Lugduni Batavorum fixissem, *Adrianum Heereboordium* & *Henricum Bornium* Viros amicissimos ἐς φιλογασσενδὺς impulisse, ut Discursum illum Scepticum Gallica veste donarem, in quo *Ioannem VVallæum*, Medicorum Belgicorum, ne quid majus dicam, facilè Principem, & nimis propera morte rebus humanis exemtum, provocarem ad refellendas *Gassendi* objectiones, contra sanguinis circulationem & chyli per venas lacteas exsuctionem; Qua de re communicavi cum Authore, qui æqui bonique consuluit curas nostras; & sententiam demum mutavit; præsertim ubi *Ioannes Pecquetus* vivorum animalium sectionem instituens rara felicitate pepercit receptaculo illi lumbis imposito, cujus ope ductum Chyliferum dorso adrepentem detexit. Non dubitavit enim amplius & circulationem sanguinis, juxta *Harvæi* demonstrationes fieri, & venas lacteas Asellianas Chylum exsugere, & in canalem Pecquetianum transfundere, & chylum guttatim in venas subclavias decidere, sanguineæ massæ permiscendum. Adfui non semel unà cum *Gassendo* canum dissectionibus, in quibus omnibus *Pecquetus* noster peculiari solertia rem adeò fecit indubitatam, ut gauderet admodum senex curiosissimus ob

de-

detectum sibi ante obitum Medicinæ utrumque Polum; Veritates, inquam, tanti ponderis, quarum altera alteram confirmat, quibus vero sperabat ut deinceps ars tota Medica superstrueretur, illa saltem quæ à perspecta Oeconomia Animalis ad morborum curationem mechanico more procedet aliquando ubi major lux affulserit: neque enim magni faciebat Iatricem illam, quæ tantum verbis verba nectere docet, & tota ludit in Combinatione Qualitatum, in Elementorum, humorum, temperamentorum ficta proportione, in facultatum & ministrantium partium assignata subordinatione, atque in hujuscemodi præclaris cogitationibus ex Politicis vel ex Schola Rhetorum callide desumptis. Et talia quidem exagitans figmenta facete multa proferebat, sed coram amicis tantummodo, quorum censuram non vereretur. Erat quippe natura sua in Ironiam propensior, ut si quis audire vellet narratiunculas risui commovendo idoneas, haberet ille in numerato statim innumeras; verum quibus non utebatur, nisi inter familiares & necessitudine conjunctissimos. Ut suspicionem autem prorsus amoliretur, quam de canali Cholidocho habuerat; quem Chylodochum dicere maluerat, equos, in quibus omnino deficit, introspicere voluit. Et memini offendisse me aliquando euntem cum *Martello*, sæviente admodum hyeme, ad loca illa, in quæ deportari solent viarum purgamenta & trahi equorum cadavera, quæ plura soluto pretio aperiri jussit. In mentem mihi revocat itinerum facta mentio, quod contigit Amplissimo Viro, *Petro Maridato*, Senatori doctissimo, cum Gratianopolim venisset comite *Gassendo*, & sub noctem invisisset amicum, qui veniam statim petiit non protractæ diutius conversationis, nam propero, ait, ad *Gassendum*, qui in urbem commodum venit die crastina discessurus: Ad quæ *Maridatus* annuens subjunxit, ego vero te lubens comitabor, & una rediit ad hospitium suum, in quo reperit hominem, cum quo plures dies versatus fuerat illum ipsum esse *Gassendum*, quem quærebat. Nullum scilicet sui indicium fecerat Vir modestissimus; quamvis de re literaria multi sermones habiti fuissent, nec facile daretur vel nuper editorum librorum catalogum recensere, vel scientiarum historiam prosequi, cujus pars aliqua non esset Author noster, atque adeo cujus occasione de se ipso nonnulla ambitione procul prædicare potuisset. Nimirum jactantium omnem tantopere

pere aversabatur, ut de se ipso vera dicere, quamvis necessarium foret aliquando, tamen pudibundus reformidaret.

Atque honorum & lucri tam non erat appetens, ut invitus in *Matheseos Professorem Regium* electus fuerit anno M DC XLV. *Gassendum* promovente & propemodum cogente Cardinali Lugdunensi *Alphonso Plessæo*, *Armandi Richelii* Fratre. Extat *Oratio Inauguralis*, & isti muneri debetur edita jam toties *Institutio Astronomica* prælectionibus explicata, quibus non aderant tantum Auditorio frequentissimo adolescentes, sed omnis ætatis homines, senes quamplurimi, & Viri doctissimi. Quod in honorem Scientiarum non memineram vidisse uspiam præterquam Amstelodami, *Gerardo Ioanne Vossio* prælegente non tyronibus quidem solis, sed grandævis & rude donatis undiquaque ad Varronem istum, vel Mercurio posthabito, confluentibus. Adversata est procul dubio illa Professio *Gassendi* nostri bonæ valetudini; tussis enim inde & pulmonis sequuta est inflammatio. Provinciam itaque, ut aëre natali reficeretur, petiit. Nec tamen Diniæ concessum fuit diu manere, optimo Prorege ejus consortio ita gaudente, ut sine *Gassendo* degere non posset. Comitatus est igitur semper *Valesium*, non solum ut Principis animum studiorum amœnitate recrearet, sed turbatis tunc rebus ut consiliorum particeps sapientia sua juvaret; donec in Aulam vocato Prorege Diniam ipse repetiit, commoratusque est ad annum usque M DC LIII. quo Lutetiam venit cum *Francisco Bernerio*, Andegavensi Medico, qui post elatum *Gassendum* in Ægyptum profectus, nunc Memphis Medicinam facit, & cum *Antonio Poterio* suo, atque in ædibus tuis renidentibus, *Mommori* Illustrissime, exceptus fuit tanta comitate tua, lectissimæque Conjugis tuæ, ac tanta famulorum tuorum reverentia, ut Herus alter esse videretur; cum tamen ille nullam omitteret partem debiti cultus natalium tuorum splendori, vel debitæ venerationis virtutibus illis, quibus fortunæ munera superare contendis. Totus erat *Gassendus* in adornando Philosophiæ suæ Systemate, post publicatam *Tychonis* & *Copernici vitam*, cum in morbum incidit anno M DC LIV. quo levatus quidem fuit studiorum facta intermissione, & educta ex senili corpore sat magna sanguinis copia, qua fuere vires nonnihil infirmatæ. Sive enim morbi fomitem introrsum latentem, sive morbi remedium phlebotomiam, sive studiorum intemperantiam, sive ingravescentem ætatem incuses,

certum eſt *Gaſſendum* proſpera ex illo tempore non uſu
eſſe valetudine, nec perambulationes, quibus in horto l
tabatur, nec longas cum amicis confabulationes ſuſtinuiſ
Quare tandem anno ſequenti, ineunte Autumno, in mo
bum lethalem delabitur; atque ab iiſdem Medicis Lutet
celeberrimis eadem fuere adhibita remedia. Nec ſane G
leni & Hippocratis auctoritates defuerunt Viris doctiſſim
quibus erat cordi procul dubio Amici reſtauratio: veru
triſtiſſima comprobatum fuit experientia tritum illud:

Interdum docta plus valet arte malum.

Cum repetitis jam novem ſanguinis miſſionibus dejec
heu! nimium vires ſuas ſentiret Vir optimus, & adeſſe
Medici percelebres & Amici, dubitanter propoſuit, ne in
lienam meſſem falcem ſuam injicere videretur, an conſ
tum eſſet abſtinere à Phlebotomia, cui tolerandæ impare
ſe exiſtimabat. Aſſidebat ægroto Medicorum Senior, qui
teriam conſulens, & ad cætera attendens inclinabat ja
cum ſociorum ſuorum altero, ut ſanguini parceretur; cu
neſcio quis alius grandi paſſu cubiculum perambulans pr
fracte in contrarium contendit, & collegas in ſententia
ſuam veluti poſtliminio redeuntes pertraxit. Nec renu
Gaſſendus; qui non tanti ducens uſuram vitæ in illa æta
adeo labefactatæ, ut vix ſpes eſſe poſſet reſtaurandæ in i
tegrum bonæ valetudinis, ſine qua non tam vivere debe
aliquem dicere, quam ægre Spiritum in pœnam & dolor
trahere; ſecum vero reputans, nihil ſine Numine contiger
Providentiæ divinæ committendum ſe ſtatim deliberavi
quæ quidem fines ſuos habet præſtitutos, nobis nequicqua
ſupremam moriendi neceſſitatem tardare nitentibus. N
illa fuit ultima Phlebotomia, ſed inſequutæ ſunt aliæ qu
tuor, quarum unam cum *Poterius*, conſcio *Gaſſendo*, elud
re voluiſſet; quaſi peracta jam fuiſſet ante adventum Me
ci, qui imperaverat, officioſum iſtud mendacium neſc
quomodo detectum nihil aliud profuit, niſi ut graviter fid
iſte Amanuenſis increparetur, & largior forſan copia
quoris accerſito Chirurgo hauriretur. Quæ quidem rece
ſeo hiſtoriæ ſeu veritatis cauſa, non verò ut quemqua
laceſſam, vel ullius praxin Medicam inculpem: Amicus
nim Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas.
quid Lutetiæ verè eruditum & magni nominis fuit inter Me
dicos, totum illud adfuit ſanando *Gaſſendo*; nec alia metho
do itum eſſet à Viris præſtantiſſimis ad Medicinæ finem i

pe

persanandis sanguine conjunctis, vel Principibus ipsis morbo consimili laborantibus. Haud itaque in culpa sunt Medici propter celebratam paulo frequentius Phlebotomiam; quemadmodum innuere voluit *Petrus Borellus*, quum Observationum Physico-Medicarum, seu Medico-Physicarum Centuria III. Observatione XL. scribit: *Possem hic Viri semper lugendi mortem dolorosam toti Europæ, immo Mundo, recensere nimio illo remedio sanguineo, & verba ab ejus ore deprompta referre, quibus ante obitum fassus est se nimio obsequio periisse, & cum Heroë suo ad inferos cum viridi adhuc & stante senectute descendisse.* Sed nimirum commovit diligentissimum scriptorem, quod accepit dictum à *Gassendo*, dum celebrandæ ultimæ Phlebotomiæ brachium præberet: Conversus enim ad *Poterium*, satius est, ait, ista virium infirmitate placidè obdormire in Christo Domino, quam majori cum sensu doloris suffocatione vitam amittere. Ex illo tempore ferme obmutuit, cum non posset vocem attollere, ut audiretur ab adstantibus *Bernerio* & *Poterio* extrema officia, quemadmodum in toto morbi decursu fecerant, ministrantibus. Extremam tamen horam imminentem sentiens, quod reliquum erat virium impendendum existimavit præparando ad mortem animo. Itaque significavit ut quamprimum vocaretur Sacerdos, in cujus aurem, dum fari poterat, peccata sua effunderet; quorum omnium veniam per sacrum ministrum à Deo peteret, atque per Confessionis Sacramentum obtineret; ut inde paratior existeret sistendæ coram summo judice animæ suæ, ac veluti alba puritatis stola indutus nuptiis Agni immaculati interesse posset, sacrum scilicet viaticum debita cum veneratione tertium accipiens: nam semel illud atque iterum sumpserat ingravescente morbo. Dein, ut nihil perfectæ Christiani militis armaturæ deesset, sacro inungi oleo efflagitavit. Ad quam cærimoniam animo attendens cum Sacerdos aures inungens pronunciaret verba solemnia, & lapsu quodam memoriæ dixisset: *Indulgeat tibi Dominus, quicquid per odoratum peccasti*, reposuit statim æger, imò *per auditum*; adeo intentus erat rei gravissimæ, & eluendarum sordium vel minimarum cupidum se & sitibundum gerebat. Ex illo scilicet momento, quasi se itineri accinxisset in æternas sedes brevi migraturus, repudium misit omnibus aliis, præterquam sacris cogitationibus subinde versus nonnullos Psalmorum proferens; sed leni murmure & tam summissa

per interceptum spiritum voce, ut procul audiri non vale ret. In ore quidem habuerat initio morbi loca Poëtarun Latinorum quamplurima, quibus recitandis tempus ali quando falleret: quum & memoriâ admodum polleret, & sibi temperare non posset, quin semper ad honesta studi animum converteret. Verum & Musis & amoeniori lite raturæ tum valedixit. Illud enim unicum Philosophan tis ad extremum vitæ curriculum ingenii signum edidit, quo mortuo manus dextera reperta fuerit regioni cordis appo sita; cui parti non semel jusserat *Poterium* ut manum ad moveret, notandæ Systolæ & Diastolæ; quarum ipse titu bantem gressum & deficientem vigorem advertens, *vides*, ai *quid sit hominis vita*. Quæ vox ultima fuit summi Philo sophi; quandoquidem philosophari tum desiit *Gassendus*, u totum *se Christo* & Sanctissimis Meditationibus traderet quas inter placidè obdormivit in Domino, & die quiden Dominica, hora post meridiem quarta, vel circiter, IX Kal. Novembris, Anni à virgineo partu M DC LV, ætati vero suæ exacto jam à novem mensibus LXIII. qui magnu Climactericus ab hominum perditione & fractura ἀνδρο κλαστὴ dicitur. Atque ita nobis ereptus fuit Senex opti mus.

Mortuum luxit universus Orbis Terrarum eruditus quod innumera testari possent tum prosa, tum versu enco mia undiquaque ad Te, Illustrissimum Defuncti hospitem missa, qui funus ducens cadaver extulisti, & sepulchro Majorum tuorum in Ecclesia Sancti Nicolai Campensis deposuisti, juxta *Guillelmum Budæum* parentis tui Proavunculum, togatorum autem superioris seculi doctissimum; appositaque fuit aliquandiu post in *Monmorianorum* sacello statua marmorea; cujus iconem reperire licet inter Operum istorum præludia. In Ecclesia autem patria Diniæ mortuo lessum fecit publice *Nicolaus Taxilius* presbyter in Præpositura successor, oratione habita in obitum Philosophi Christiani, quem titulum præfixit cum Lugduni typis edendam curavit anno sequenti quinquagesimo sexto; atque tanto civium omnis ætatis concursu, tam largo autem omnium fletu, ut non meminerint senes publicum luctum huic similem extitisse. Nec quidem temere factum, ut mœror nullos non conterraneorum pervaserit; quippe Vir pius summæ fuerat vivens valensque, non solum universo Diniensi populo, sed ipsi præsertim Clero suo, venerationi; adeo ut pro

con-

concione hisce ego auribus aud verim, cum aliquando Arausione *Gassendum* invisissem, factam Viri cum elogio mentionem ad sententiam aliquam plenius confirmandam, unde tantus homini modestissimo suffusus rubor, ut domum reversus nondum pudoris commotio penitus sedata videretur. Et forsan in causa fuit, quod à me una redeunte ingenti cum gaudio notatum, neminem occurrisse, qui non salutaret, idque ex animo, quemadmodum vultu præsignificabatur, & multis atrio suo vel officina exeuntibus atque opus suum intermittentibus, ut Venerando Seni debita præstaretur reverentia.

Quod demirans & adstantibus indicans, accepi à *Lautaretio* Medico, & ab aliis concivibus, nihil illius esse impræsentiarum venerationis, si conferretur cum publica hilaritate, qua obviam iri moris erat, si quando urbe absuisset; quod sæpissimè contigerat Illustrissimo Principi *Ludovico Valesio*, *Peireskio*, *Campinio*, *Luillerio*, vel de *Mon-Mori* doctissime, tam clarum lumen patriæ suæ invidentibus. Cum autem inquirerem paulo diligentius, quid Virum sortis hujuscemodi in tenui re positum, universis tam gratum reddere, imo adeo venerandum, ut nulla instituti posset comparatio quod spectat ad cultum ultro præstitum cum ipso Præsule vel Præfecto Provinciæ Diniam adventantibus; comperi immensam ejus eruditionem doctos omnes sibi conciliavisse; officia & liberalitatem seu eleemosynas pro virium modulo factas, plebeculam & egenos sibi devinxisse, modestiam, comitatem, & morum niveum candorem, bonæ mentis amantium oculos perstrinxisse, at pietatem & sapientiam universis amorem sui & admirationem creavisse.

Et de pietate quidem ut primum dicam, attendendum sedulo ad ea, quæ *Gassendus* voce & scriptis docuit, ad vitæ rationem, quam instituit, & à qua ne latum unguem unquam discessit; ad Amicos, quibus conjunctissimus sine querela vixit; & ad ea tandem quibus moriens ultimum vitæ actum clausit: Nam veræ voces tum demum pectore ab imo ejiciuntur, & eripitur persona, manet res. Ad doctrinam quod attinet, quam professus est tum privatim tum publice, certum est, nunquam ejus ore excidisse verbum ullum, quod summam non præ se ferret dogmatum Ecclesiæ Catholicæ venerationem, de quibus ne controversiam quidem debere moveri, nisi serio & graviter, idque à

Viris doctis, quibus id muneris facra vocatione traditum existimabat. Itaque facras fcripturas, & Patrum, Conciliorum, Sanctæ Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ authoritatem semper suspiciens, indignabatur, si quando disserientes Christianos offenderet ingenio suo abutentes ad nectendas difficultates, vel frustra nitentes in explicandis vi ratiocinii sui, tam perplexi, tam nullius, rebus illis, quas Fides suscipiendas, haud enarrandas proponit. In concionibus autem suis ad populum Diniensem, quas plurimas habuit, Theologiæ Doctorem egit egregium, dum junior latere & pulmone valeret: nam ab istis exercitationibus temperandum necessario fuit, quandoquidem non poterat de rebus sacris, præsertim controversiis, sermonem suggestu instituere, quin Zelo flagrantior vocem attolleret & erumperet dolor animi ob laceratam Christi vestem in fletus & lamenta, quibus non firma valetudo conveleretur. Ad scribendum vero ubi animum appulit, nullam prætermisit occasionem pietatis suæ comprobandæ: quod passim videre est in uberrimis refutationibus errorum circa DEUM ter Maximum, Providentiam, Animæ immortalitatem; in explicandis Opinionibus Physicis non damnatis quidem, sed nondum probatis, & in lubrico loco positis, unde facilis esse posset lapsus in errorem. Nihil enim de Systemate Mundi, juxta *Copernicum*, *Aristarchumve Samium*, nihil de Atomis scribit, nisi mentem aliorum exponendæ, & assensu jugiter cohibito, atque præfatus observantiam suam erga communem fidelium Matrem. Quo sane intemerato ad Ecclesiæ nutus omne obsequio meruit, ut ad generalem Cleri Gallici Confessum Diœceseos suæ nomine mitteretur anno hujus sæculi XL, atque in generalem Agentem, ut vocant, seu Procuratorem totius sacri Ordinis eligeretur. Quo tamen non functus est munere, id honoris lubens concedens Ecclesiastico nescio cui, in quem Cardinalis *Richelii* favor procumbebat, cum non satis nosset *Gassendum* summus ille rerum nostrarum Administer, qui tamen Eruditorum fautor fuit, sed ea infelicitate sua ut primarium Galliæ & ævi sui decus ignoraverit. Obfuit nempe Viri Sapientis modestia, cujus in nonnullis desiderium id semper efficit, ut Principibus notiores sint homines levis armaturæ, petulanti ingenio & vulgari doctrina præditi, quam illi graves Musarum mystæ, qui famam aucupari, Magnatum favorem ambire

& adu

& adulatione nummos conquirere virtuti suæ haud consonum putant; *Nec fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitant.* Verum obiter illud in *Gassendi* laudem & *Richelii* gratiam: quippe satius est illam assignare causam, cur omnino prætéritus ab isto Mæcenate fuerit *Gassendus*, quam fateri haud ignotum extitisse, sed insuper habitum; quod cadere non potuit in Eminentissimum Heroëm, quem lugent adhuc Musæ & Gratiæ, quibus condire solebat quæ sunt alias amara ingratis & invenuste doctis quam multis pariter & indoctis deglutienda, quoties scilicet clavo admoventur Numinum istorum contemptores. *Quod procul à nobis avertit, qui cuncta gubernat*, ut eò Lucretii verba detorqueam, & temporum nostrorum felicitatem paucis perstringam. Verumtamen cum eò devenerim, ut nonnulla scitu digna subnectere possim posteris profutura, quandoquidem monitis non eget ætas nostra, per tot egregia nimirum facinora, quorum rationes & argumenta in mores nostros jam abierunt, nec *Gassendi* tantum, sed Philosophiæ causa agatur, non inconsultum erit uberius rem prosequi, & dolore incuriam, seu infelicitatem Principum, qui vere Doctos & Sapientes Viros, aut non advertunt secum habitantes, aut temnunt mites & modestos, aut reformidant oculatos nimis & sagaciores. Et vide, quæso, *Richelii* fatum, qui Philosophos quotidie admittens exercendi acuminis gratia Peripateticos, nunquam audivit illum, qui non solum Peripateticorum sanior doctrinam, sed Syllogismorum captionumque Dialecticarum laqueos, κυριεύοντας, ἡσυχάζοντας καὶ σωρείτας, aliosque id genus gryphos in numerato habebat; qui vero his superaddebat Stoæ, Hortorum, Academiæ, & nullius non Methodi scientiam, qui nullas non disciplinas callebat, qui omne immensum peragraverat mente animoque. O quam deperiisset *Armandus*, si satis nosset Philosophum istum non ignava opera, qui Philosophica erat sententia; quandoquidem tantum præ se tulit amorem vulgaris illius Philosophiæ & humanioris literaturæ! Hæc duo prima occurrunt magnatibus in atriis & pergulis Palatiorum; quæ torva, aspera vel ludibunda & aliquando nugatoria, officiunt solidioris doctrinæ existimationi; quippe uno ordine censentur omnes disciplinæ, & crimine ab uno discuntur omnes. Ita Principes arbitrantur, totum illud quod Philosophiæ ambitu continetur, simile esse rudimentis & progymnasma-

tis Scholarum, Rhetorum scilicet, Poëtarum, & Dialecticorum, quorum ipsi specimina edidere, vel quæ postmodum Aulici nonnihil calamistrata in Aulam deportant & divendunt; quibus vero fucum facientes emptori, id consequuntur, ut nec probatæ nec lustratæ bonæ merces rejiciantur. Hinc exploduntur Artes ingenuæ, sana mens & vera eruditio; nec parcitur illis scientiarum interpolatoribus, quorum conditio nequaquam melior existeret forte bonorum, nisi semel in animum induxissent omnia perpeti opprobria, rumorem parvi facere, dum sit rumen qui impleant. Verum aliter fit cum verè Philosophis, quibus cor rite salit læva sub parte mamillæ, nec sustinet os honestum infrunitorum & maleferiatorum hominum insaniam. Ita factum memini ut *Renatus Cartesius* in Aulam vocatus, quamprimum in Hollandiam redierit fermè insalutato Aulæ limine, Nequerenuerit tamen rursum se Oceano committere accersitus à Regina Sueciæ, quæ tunc temporis Viros doctos undiquaque accersebat. Sed neque eo loci satis convenisse audio huic Philosopho cum Grammaticis & Pseudophilosophis, seu cum anseribus & corvis olores inter advolantibus, quibus aurem facile commodant Principes. Quicquid illius sit ut vineta cædamus nostra, non sine publico damno *Gassendi* Virtus in obscuro latuit apud rerum Magistros, qui beneficia, munera, vel opes largiores nactus, uti potuisset in publicam utilitatem, ad arcana Naturæ detegenda, ad illustranda vitæ commoda, ad sublevandam pauperum inopiam. Vetus est querela, bonæ mentis sororem esse paupertatem; nec enim tam bene rebus humanis fatò consulitur, ut bonis semper bene sit: quanquam non male fuerit *Gassendo* propter istam præteritionem, cui nihil eorum defuit, queis dolet humana sibi natura sorsque privata negatis, licet non fuerit facie notus, vel munere auctus; vel opibus donatus à Magnatibus. Quod tamen recensendum duxi ad Viri modestiam & αὐτάρκειαν confirmandam, non vero quod sperem, ut in meliorem frugem reducantur, si qui oriantur olim, quod Deus avertat, rerum humanarum moderatores, quorum fortasse interetit, ut ingenii, Virtutis, & pietatis rationes susque deque habeantur. At istarum omnium rerum interesse existimavi, ut subinde audeat aliquis sæculo suo, si meruerit, gratulabundus, in prisca tamen oculos retorquere, & exoptare venturis, ne unquam in societate civili exoriantur vomicæ & carcinomata, quibus morbis

morbis genus humanum laborare videtur, quotiescunque regendum traditur infacetis, imperitis, ingloriis Terræ filiis, id sibi tantum negotii datum existimantibus, ut Reipublicæ artus universos depascantur, & succum nutritioni corporis destinatum in pus, tabem, & saniem introrsum latentem convertant. Sed iterum è diverticulo in viam.

Ad privatam *Gassendi* vitam sæpius attendens, Anachoretam aliquem cernere mihi videor, qui media in urbe vitam instituit plane ad Monachi severioris normam; adeo paupertatem, castitatem, & obedientiam coluit; quanquam sine ullo voto tria ista vota solvisse videatur. Parvo contentus vixit, nulli invidens divitias operosiores; opulentiorum favore nihilo factus ditior, elargiens autem ipse è suo liberali manu, quoties se dabat occasio sumptus faciendi. Abstemius erat sponte sua, ptisanam tepidam bibens pulmoni refrigerando humectandoque: nam existimabat altius liquorem penetrare vi caloris immixti; asserebatque cum tertiana laboraret aliquando expertum fuisse, vix quartam se adhibuisse siti extinguendæ tepidi liquoris partem, cujus frigidi triplo majorem mensuram hauserat in præcedentibus paroxysmis. Carne raro herbis sæpius, ac macerata offa mane & vesperi utebatur. Spectandam præbuit in humilitate obedientiam, qua nulli unquam se præposuit, nulli contendenti non statim loco cessit, nihil scripsit quod suffenum & sui plenum hominem sapiat, quemadmodum excidit aliquando Viris magnis multa volumina scribentibus. *Tu me ut voles alloquere* (ad *Cartesium* respondens) *nam per me quidem integrum tibi est affari non modo ut carnem, qua vox subtilitas tua occurrit, ut esset menti ἀντίθετον, sed etiam ut saxum, ut plumbum, & si quid putes esse obtusius.* Et articulum illum claudens verba addit elegantissima, quibus & simul modestissime, solus de se ipso ausus est aliquid affirmare. *Tametsi enim carneum me dicas, non ideo facis exanimem; ut neque tametsi te mentalem geras, te idcirco facis excarnem. Quare & permittendum tibi, ut pro genio loquaris tuo; sufficitque ut Deo propitio, neque ego sim plane caro sine mente, neque tu plane mens sine carne; & neque tu supra, neque ego infra conditionem hominis simus: quamvis tu, quod est humanum, recuses, ego id à me alienum non putem.* An in controversiis Religionis pertractandis ullus unquam inter tot eximios religiosorum hominum ordines humilitatem professus, tanta cum

moderatione de se ipso sensit, tam modeste egit, ut arctiu se continuerit intra justum inculpatæ tutelæ moderamen. Et illa fuit Modestia tanto ingenio & tantæ eruditioni con uncta, quæ omnibus acceptissimum reddidit *Gassendum* Quamvis enim magna quæque & excelsa sui admirationen facile concitent; non tamen ingenerant semper amoren sui & charitatem, si difficilem per superbiam & torvitatem seu per ardua & obrupta accessum habeant. Nimirum ne mo non exoptat sibi quod in alio ad probandum cernit; & quanto quisque meliori luto ficta præcordia habet, tanto magis præcellere cupit. Acclivem igitur Virtutem qu bonus conspicit non desperat montem aliquanto se supera turum, & templa illa Sapientum serena conscensurum, qua radii solis jugiter illuminare videntur. Amabant omne cum primum cernerent *Gassendum*, ob illam scilicet co mitatem, mansuetudinem & modestiam, quibus se adeo demittebat ad cujusque accedentis mensuram, ut modo puerum dixisses, vel è plebe literatorum aliquem, atque genio sese accommodans & captui auditoris, sibi quisque sperabat idem, nemo non existimabat facili negotio eodem se modo Philosophaturum, & Naturæ arcana reseraturum; verum sudabat multum frustraque laborabat ausus idem. Itaque adeundus erat rursum blandus ille Doctor, qui semper paratus erat amicis & merentibus operam navare, & ulterius promovere veritatis amantes. Hinc charissimus vixit Viris quoque Nobilissimis & Principibus nonnullis, animo scilicet cultoribus quam solet esse illud genus hominum. *Peireskium* quid memorem, vel *Campinios, Luillerum*, aut *Christinam* Serenissimam Sueciæ Reginam, cujus Epistolæ fidem faciunt, quanti fecerit *Gassendum*, quum Musis alias Princeps illa operaretur, tantam sui doctis venerationem, & bonis Artibus tantam incrementi & futuræ laudis spem ingenerans; vel Illustrissimum Cancellarium *Petrum Seguierum*, qui in illo honorum fastigio cum doctis congredi, & *Gassendum* imprimis audire gaudebat, vel illum denique, qui unus instar plurium esse poterit, *Ludovicum Engolismensem* Ducem, ultimum stirpis Regiæ *Valesiorum* surculum; & Te *Mon-Mori*, cujus familia non minus illustris est pietate in Deum, quam doctrina & nobilitate: nolo enim recensere Viros omnes ἐν ἀξιώματι & genere claros *Gassendi* Amicos, vel tuarum laudum præconiũ instituere. Testor tamen illa tua verba, quibus nuper significabas,

ficabas, Te non minus exosculatum esse in *Gassendo* pietatem sinceram, quam cæteras ingenii dotes eximias. Gratulor autem imprimis, quod mihi copiam feceris Comentariorum & Scedularum optimi Principis; in quibus datum animadvertere quam amice egerit cum *Gassendo*, de rebus gravissimis & ad Rempublicam spectantibus Philosophum, & de sacris Theologum consulens. Etsi editæ testentur illud Epistolæ, bene multa sunt tamen ipsius *Valesii* manu exarata, quæ non minus confirmabunt aliquando, si tempore suo in lucem prodeant, Illustrissima Heroina conjuge emittendi curam tibi tradente, intimam fuisse animi cum *Gassendo* conjunctionem, quam Principi doctissimo fuisse ingenium defæcatissimum & pietate Virtutibusque Pacis ac Belli instructissimum.

Cæterum, ut istorum finem faciam, in praxi Religiosa ex quo ad sacrum Sacerdotium admotus fuit *Gassendus*, nulla dies Dominica vel Sanctorum publicæ commemorationi dicata præteriit, quandiu nulla sontica causa vel quid gravius impediit, quin augustissimam cærimoniam ad altare tremebundus accedens celebraret. Ritus Ecclesiasticos ad unguem callebat omnes, & rationes expeditissime reddebat, tempus assignabat, nominabat Authores, quibus singuli fuerant constituti: Quorum omnium curiosissimum extitisse satis apparet, vel ex libro de Notitia Ecclesiæ Diniensis edito, ex Calendario Romano, & passim ex aliis. Nam inferri debet quid majus ex legatis Testamento ducentis libris Turonicis, ut quotannis die obitus sui Sanctissima Missa, in quo sepeliendus erat sacello celebraretur; tum aliis sexaginta tribus annui reditus concessis, ut idem Diniæ præstaretur, & in pauperes fierent largitiones. Verum de pietate summi Viri satis dictum esto. Est nunc, ut de ingenio nonnulla subjungam, quandoquidem fuere, qui bonum Virum facile crediderint, magnum non adeo libenter. Unde autem illud, paucis aperiã.

Cum neutiquam *Gassendus* careret ingenii acumine, sermonis facili nitore, urbanitate, & salibus Provincialium suorum ingenito lepore, atque cæteris τῶν χαριέντων dotibus; judicii tamen & Sapientiæ potiores esse partes existimans, tardior in dicendo & subtrictior visus est in interiora nondum admissis; quanquam blando & renidenti vultu obvios quosvis exciperet & alloqueretur. Verum nequaquam eum sibi finem proponens, in quem plerique collineare videntur, ut subtilitatis & dicacitatis lau-

laudem consequeretur; præterea non ignorans, quam d ficile esset apposite loqui ex tempore, neque id curans, nugis adderet pondus, quod passim faciunt nonnulli, tu voce veluti in minas elata, tum vultu ad audaciam quanda composito; quam vero diversa fierent de rebus etiam co pertissimis judicia; sententiam suam promere temerariu ducebat, antequam expiscari potuisset, quæ mens esset a ditoris, quas haberet præjudicatas opiniones, ne incassu loqueretur, vel ingratum faceret, aut pipulo se differendu exponeret. Itaque adventantes Viros literatos non stat verbis obruebat incondite prolatis; pauca tantum in ber volentiæ signum & grati animi testimonium proferen cum se non existimaret dignum, quem eruditi inviserent, quidquam addiscerent; neque ipse eruditos inter nom suum profiteretur; sat magno apponens lucro, si æqui b nique consulerent affectum, quem in eruditionem & Phil sophiam haberet. Studia sua ad aliud se nunquam direxis nisi ut se ipsum erudiret & meliorem redderet. Si quæ a tem in lucem prodiissent, factum id esse amicorum cul sive consilio, qui exempli forent alicujus, & adhortamer studiosis, ut Libris incumbentes aliquando majora præst rent: neque ausum fuisse, quamvis revera jure debuiss recusare; Symbolam suam conferre, tenuem adeo & ta parvi momenti, ac pro nde prorsus inutilem juvandis ca terorum studiis. Ast ubi in medium proferebatur quæst de qua sententia sua rogaretur; præfari solebat quàm a gustis limitibus humanæ mentis scientia circa res natural cohiberetur; & ipse in primis quam ignarus esset istoru omnium, atque ineidoneus tarditate ingenii promovend scientiæ istius pomæriis. Cum non diffiteretur, sæpius animum suum torsisse in eadem illa quæstione enucleand neque quidquam adinvenisse, quod sibi nedum aliis sag cioribus satisfacere posset. Et quidem meminisse, non s mel habitos hac de re sermones cum optimo *Peireskio*, q somnia enarrantem audiebat, & nugas suas per justitiam secessu Belgencenario amœnitate loci ductus lubens adm tebat. Verum ubi somnia, nugas suas, & deliramenta narranda suscipiebat, animo erat maxime attendendum, doctissima atque sapientissima ratiocinia erant expectand Præmittebat autem, ut velitationem institueret, veluti e ploratores quosdam & primipilares propositiones quasda universaliores, quibus notum fieret qua via incedere para

ba

bat; quæ principia admitteret. Si quis autem in limine hærebat ob ignorata hucusque elementa, seu iter non assuetum, calcar renitenti non addebat, sed præcedens quasi manuducere conabatur: Cui operæ si morositas quædam obesset, & calcitronem quendam offenderet, verbum ultra nullum, aut operam sumebat inanem. Confestim igitur sinebat quemque sibi sapere, & è vestigio rursum causabatur infantiam suam & humanæ mentis caliginem, per quam non licet longum iter in investigatione rerum naturalium instituere. Dein aliis lampada tradens occasionem dabat fuse differendi; neque hilum ducebat, vel minimum commotior videbatur, si quando senex coram juvene obmutesceret, & discipulum ageret, qui doctorem cœperat. Interea libenter Sigalioni litans mirabatur tacitus multorum loquendi pruriginem, mores intempestivos, temeritatem; unde factum procul dubio, ut istam ad silendum proclivitatem interpretati sint nonnulli tarditatem ingenii. Quæ quidem nulla fuit, ut conjicere licet vel ex acutissima Disquisitione Metaphysica, quam intra paucos dies tam miro ordinavit artificio, ut adversario subtilissimo omnem respondendi ansam omnino præripuerit. Opus sane tereti filo & eximia sagacitate ad umbilicum perductum satis mirari nō poterat *Thomas Hobbius*; qui Heroën nostrum nusquam majorem apparere pronunciabat, quam in retundendis larvis, tenues in auras tam facile diffugientibus, gladio imperviis, nec ictum clavæ excipientibus. Ita enim sentiebat Vir emunctæ naris de Meditationibus *Cartesii* & de illa *Gassendi* Disquisitione, quæ primum posteris exemplum dedit refutationis numeris omnibus absolutissimæ, qualem esse decuit Philosophi acutissimi, Viri doctissimi, qui Gratiis non minus quàm Musis litaverat, & præsertim hominis Christiani, cui nefas λοιδορούμενον ἀντιλοιδορεῖν, cui vetitum est obtrectandi & maledicendi serram reciprocare: sed cui licet in hostem tela sua amica manu, nec feriendi animo retorquere. Ita se gessit Vir optimus in refutando *Cartesio*, ut præter lepide quædam dicta nihil invenias, quod adversarium pungat: vel si quid tangat cutim extremam, illud quidem blande, modeste, & cum significatione quadam benevolentiæ introrsum latentis, & cui renovandæ paratissimus esset. Quemadmodum reipsa fuit, ubi elapso vix quinquennio occasionem habuit *Cartesium* Lutetiæ amplectendi, & pronum affectum in laudes tanti Viri patefaciendi. Copula scilicet

tan-

tantorum Virorum Abbate *Cæsare Estræo*, qui nunc Episc
pus Laudunensis factus, inter Franciæ Pares gradum sti
nobilissimæ non minus quam infulæ & meritis debitum o
tinens, non tamen deposuit bonarum artium curam; qu
aliis contigit aliquando, non quidem illis, quos evexit a
dens ad sidera Virtus; sed quos illa ludum insolentem l
dere pertinax fortuna rebus humanis præposuit, Illustris
mus ille Præsul prandio excipere voluit una cum *Gassend*
Cartesio, & Ioanne Launoio suo Theologo Parisiensi, *Æg*
dium Personerium Robervalium Mathematicum, *Micha*
lem Marollum Abbatem Villalupensem, *R. P. Marinum Me*
sennum. & *Hilarium à Costa, Marivallium* illum Abbaten
qui in Americam transfretaturus in ipso portu Lutetiæ Pa
siorum naufragium fecit. *Gassendi* oborta noctu invaletud
non permisit, ut conviva adesset: Itaque ad illum sub vesp
ram properarunt, Magistro convivii duce, & deleta fuit o
mnino præteritorum memoria. Sarta enim tectaq; deincep
mansit inter illos amicitia, saltem per *Gassendum*, qui hono
rificam in opere posthumo nunc in lucem prodeunte *Car*
tesii mentionem fecit; quamquam non prorsus exuisse ho
stilem animum visus fuerit *Cartesius* in responsionibus Ga
licis ad Instantias eodem anno editis. Atque utinam, si qu
oriantur in posterum, quod absit tamen, inter Viros docto
dissensiones, attendatur sedulò ad exemplum mansuetud
nis, non minus quam solertiæ & acuminis, cujus satis am
plum specimen edidit *Gassendus*, unde judicari possit, an in
genii acutissimi titulum meritus fuerit.

Desiderant alii nonnulli in Philosopho nostro Mathe
sin profundiorem, quia nihil, ajunt, scriptis protulit, und
conjiciendum præbeat ulteriores in Geometria & Arithme
tica progressus, & inde etiam ejus acumen obtundere nitun
tur, vel quid laudibus immensis detrahere volunt. Verum
nihilo inferior summis Mathematicis fuit *Gassendus*, quam
vis ignoraverit, vel potius discere neglexerit nonnulla, qu
nullius usus esse noverat, impensæ vero, hoc est temporis i
acquirendo sat longi. Nimirum satis esse duxit vitæ humana
brevitatem advertens, & angustias mentis nostræ dimetiens
necessaria tantum comparare, & ea sine quibus ad Philoso
phandum se accingere non poterat, non invidens aliis, qui to
Geometriæ vel Algebræ incumberent, subtilissimarum in
ventionum gloriam. Præ oculis semper habuit ultimum Phi
losophandi scopum Felicitatem, quæ in corporis bona vale
tudin

tudine & animi tranquillitate tota consistit. Ad utramque partium istarum rectà collineare existimavit rerum naturalium cognitionem: Itaq; ex universo scientiarum ambitu ea tantum collegit, quæ præcipue ad institutum suum facere viderentur; haud imitatus imprudentem viatorem, qui ad loca quoq; amœna deflectit, immemor patriæ vel termini peregrinationibus suis præfixi. Equidem ita se gerunt pleriq; eruditorum, doctrinarum Oceanum ingressi & veluti varia appellentes ad litora. Nec tamen deteriores sunt illi vel insubidiores, qui ætate nondum adulta studiorum cursum, ut vocant, instituentes, & libros omnis generis evolventes, tradunt se alicui disciplinæ, cujus dulcedine capti fuerint præter mentem suam, vel contrà propositum ad aliam concedendi, quæ paulo remotior erat. Quos nequaquam magis damnare velim, quam Mercatorem Batavum culparem, si quis in Indias Orientales navigaturus mercibus reportandis, quibus ditior factus Amstelodami demum senex in otio degeret; in Insulis tamen fortunatis vel alibi Terrarum manere vellet, & inquilinorum mores arridentes induere. Detinet Eloquentia quam multos egregios Viros: quot alios Ars Poëtica, quot Mathematicarum partes singulæ, quot Juris, Historiarum, Politices, Medicinæ Scientia? Disciplinarum nulla est, quæ amatores suos non habeat, & sua cuique Minerva placet, adeo ut despectui sint aliæ, & pudeat Geometram ad Orationis elegantiam & flosculos attendere, misereatur vero Oratorem infantiæ & inconcinnitatis styli Geometrici; Poëtam rideat Jurisperitus, & ab inamœna Jurisperiti occupatione abhorreat qui fonte labra proluit caballino. Quicquid sit illius mutuæ subsannationis, verum est Mathesin illam abstrusissimam non multum conferre, ne quid gravius dicam, ad recti ratiocinii adeptionem, & ad rerum naturalium illustrationem: Cum nemo non norit insignes in arte Analytica, vel in Sectionibus Conicis Mathematicos interdum nihilo in cæteris rebus existere oculatiores. Ideoque tempori parcendum, nec se pluribus impedimentis onerandum suscepit *Gassendus* noster, qui vel solo Euclide armatus, altior veluti præcinctus, satis instructus sibi videri potuisset debellandis errorum monstris, vel Physicæ difficultatibus reserandis, quæ potissimum Felicitati obicem opponunt. Apparet quam facili negotio penetraret in intricatissima quæque, ubi Astrologiam explodit, in cujus nugas non dignatus est descendere; ubi *Fluddum* exagitavit, ubi in Aristotelos signa contulit, ubi sola sermonis usus perspicuitate nihil

enar-

enarrandum statuit, quod non statim percipiatur, sine ullo molimine, sine ullo figurarum apparatu, quas adhibent aliquando nonnulli ad ostentationem, vel solertiæ istius defectu, quæ certe sagacissimum ingenium, & ad omnia studia natum innuere videtur. Sed quid ego natum dico ad abstrusissima quæque disciplinarum Virum doctissimum, qui reipsa penetraverat in adita, recessus omnes lustraverat, nullum non moverat lapidem, ut veritatem erueret? An scilicet, qui in Scholasticorum libris aliquandiu impalluit, qui Astrologiam, & nullas non scientias, etiam nugatorias excutere gestiit, omnium primarias prætermisisset? Quantus fuerit in Astronomicis nemo dubitat; atque utinam sibi temperare potuisset ab Astrorum inspectione, qui nocte intempesta siderum motus, quotiens cœlum erat serenum, observabat, non sine magno valetudinis suæ dispendio; quamvis statim post occasum solis caput muniret pluribus tegumentis, retundendæ aëris noxæ quam gravem sæpius expertus fuerat. In Opticis autem haud minor exstitit, quod nos monet observatio de visione distincta per oculorum alterum facta. Quæ circa motum commentatus est, Geometram acutissimum sapiunt, qualem se gessit in detegenda fallacia circa inventionem Longitudinum, de qua non nemo gloriabatur. Etiam de Musica libellum scripsit; nullam denique partem Mathematices intactam inexpugnatamque reliquit. Quare inter Mathematicos merito refertur à *Gerardo Ioanne Vossio*, qui de *Gassendo* ita loquitur, Anno M DC XXVIII. *ac deinceps varia doctrina, imprimis Mathesi, eluxit Petrus Gassendus Gallus, cujus singularem & multijugam eruditionem non potui non mirari, cum Belgicam hanc lustrans Anno M DC XXIX, inter alios, me non semel salutatione & alloquio suavissimo dignaretur.* Nec aliter Reverendus Pater *Riccioltus* in Catalogo Chronologico Mathematicorum eximio operi præfixo, quod *Almagestum Matheseos* appellavit. Verum à Sapientia, non à Mathesi, præcipuum esse *Gassendum* lubens concedam; qui summus quidem Mathematicus, sed idem sapientissimus fuit, & sapientiæ suæ famulas disciplinas illas adhibuit. Non essent hîc loci innumera, quæ in confirmationem illius sapientiæ afferre possim, silentio prætermittenda, & memorandi jam occurrerent viri orbis totius literati sapientissimi, qui primariam illam virtutem in *Gassendo* colebant: Sed in immensum opus excurreret. Id partim exe-
quentur

quentur Epistolæ; & alibi ostendent illi ipsi Viri magni, qui in operibus suis amicam *Gassendi* mentionem facere inter titulos suos merito posuerunt. *Peireskium* quid nominem & *Galterium*, *Valesium* Principem, *Varium*, & *Varii* in amando *Gassendo* æmulum illustrissimum *Petrum Seguerum* togatorum nunc Principem, *Luillerium*, *Campinium* utrumque, & alios quos jam innuimus, nec quisquam ignorare potest, qui *Gassendum* norit. Vel quid in medium afferam quotidie accedentes, magno ambitu amicitiam suam optimo Virorum offerentes; aut quos ille sibi in itineribus suis devinxit, quod laudata *Vossii* verba satis demonstrant. Paucos igitur seligam, quos esset piaculum præterire, quippe interioris notæ & omnium horarum Amicos, vitæ testes, studiorum socios, ejusdem sapientiæ cultores. Primus occurrit R.P. *Martinus Mercennus*, Religiosorum Ordinis Sancti Francisci à Paula Minimorum decus & ornamentum, qui dum vixit Luretiæ Parisiorum tersius Philosophantium commune centrum fuit. Ad illum pergebat *Gassendus* singulis diebus Dominicis mane, sacris operaturus, & deinde amico confabulaturus. Atque eò tum confluebant docti permulti, ut tantorum Virorum colloquia audirent. Visus ibi à me primum *Carolus Dubesciu*s. σῶμα σοφίης, quem per transennam καὶ ὡς ἐν παρόδῳ laudare, Virum supra omnem laudem positum, non debeo; & *Thomas Hobbius*, *Gassendo* Charissimus, cujus libellum de *corpore*, manibus *Pratæi* nostri paucis ante obitum mensibus accipiens, osculatus est subjungens, mole quidem parvus est iste liber, verum totus, ut opinor, medulla scatet. Annumerandi veniunt *Puteani* fratres celeberrimi; *Ismaël Bullialdus*, Philolaus alter, nec pietate minus & omnigena eruditione, quam Astronomica scientia conspicuus; *Gabriel Naudæus*, librorum helluo, qui callebat varias cujusque editiones, qui si quid forte lateret, indice monstraret digito; *Ludovicus Iacob Cabilonensis*, hac in arte à *Naudæo* non divellendus, sed morum suavitate potior; *Ælius Diodatus*, senex intemeratam probitatem eximiæ eruditioni & sagacitati conjungens; & *Franciscus Motha Vahyerus*, Aulæ nostræ *Seneca*, cujus sapientia Regibus & Regum Fratribus instituendis dudum selecta fuerat, in quem vero illud *Casparis Barlæi* adscriptum Iconi *Vossii* usurpare possum,

Et puer, & juvenis chartis impallnit, & Vir,
Et nunc non alium se cupit esse senem,

Non cessat enim inter Aulæ ministeria, & in senili ætate, eundem profiteri in bonas disciplinas affectum, & patriam suam scriptis ornare ære perennioribus. Ad istum inter Amicos intimos vetustissimum hospitem divertere solebat nonnunquam *Gassendus* Lutetiam appellens; *Iacobus Valesius* Gratianopoli Franciæ Thesaurarius, in Mathematicis versatissimus, Nec postremum locum obtinere debet *Ioannes Capellanus*, cujus in Testamento meminit *Gassendus*, qui verò *Virgilii* famam in Gallia Heroico Poëmate consequutus, excultum habet omnifaria eruditione & Philosophica præsertim modestia ingenium; vel *M. Nevræus*, acerrimus ille *Gassendi* defensor, quotiescunque dentata opus fuit charta Amico propugnando, quod plus satis probavit in illum *Ioannem Baptistam Morinum* φερώνυμον, qui livido morsu *Gassendum* petere præter omnem humanitatem ausus fuerat, forsan ut ista immanitate inclaresceret, qui aliunde non poterat. Quod tandem advertens *Gassendus*, dolebat quidquam repositum fuisse ab Amicis, *Nevræo*, inquam, & *Bernerio*, & vel Apologiam suam expungi operum suorum Catalogo æquo animo passus fuisset, Et præsertim si adversario suo supervixisset, ne Legem Solonis violasse videretur: τὸν τεθνηκότα μὴ κακῶς ἀγορεύειν; & illius Planci memor, *cum mortuis nonnisi larvas luctari*, vel Euripidis apud Strobæum *Grotio* interprete,

Mors jurgiorum finis est mortalibus:
Nam majus aliud letho quid potest dari?
Molem quis autem saxeam hasta verberans
Cicat dolorem, mortuumve injuriis
Frustra lacessens, nulla sensurum mala,

Cæterum is ille *Nevræus* est, qui *Gassendi* vitam unus potest immortalibus suis coloribus repræsentare. Aut *Franciscus Bernerius*, qui non solum stylo acutissimo confodit adversarium, *Muris ridiculi Anatomiam* faciens, & *favillam muris* dispergens, sed, quod pluris duco, qui secutus est Optimum Præceptorem suum Tolonam, Diniam, & Lutetiam Parisiorum, lateri semper adhærens, nulla non reddens officia, & oculos demum mœstissimus tanquam parenti Charissimo claudens. Inter Amicos istos ab annis hisce viginti sedem occupaverunt Viri duo *Gassendum* mire ingenio & sapientia mihi nunc referentes, *Abrahamus Prateus* Medicus doctrina & judicio cum paucis conferendus, nisi Socratem Hippocrati superaddens, utrumq; φυσικώτερον

facias;

facias; cujus quoque in Testamento suo mentionem fecit *Gassendus*; & *Thomas Martellus*, qui Philosophica studia negotiis publicis absorptus non intermisit, ut quam in Theoreticis disciplinis solertiam præbuit, in rebus agendis retinuerit. Par istud Amicorum nunquam divellebat *Gassendus*, & trigam ego sæpius faciebam, ex quo mihi conciliaverat amicitiam *Gassendi*, *Samuel Petitus* Avunculus meus. Nam una Philosophum nostrum adire solebamus, & domum reduces ejus aurea dicta excerpere, facta recolere, & in ejus mentem veluti descendere. Quod illis sane non parum profuit ut in tantos Viros evaderent. Nec reticendus Filius tuus *Ludovicus Henricus*, qui tum summæ spei Adolescens, jam Senator Parisiensis in Supremo Regni Senatu, vaticinia *Gassendi* adimplere felicissime cœpit. Adeo ut vestigia tua arcte premens, non solum Te, & *Habertos* omnes imitandos nunc sibi proposuerit; sed vel in ipso literarum tyrocinio *Budæum* suum Græce loquentem auditorio frequentissimo retulerit. Neque semel jam memorasse sufficit Illustrissimum Laudunensem Episcopum *Cæsarem Æstræum*, eruditorum fautorem pereruditum, qui non tantum doctrina labore parta, vel Familiæ suæ splendore antiquissimo, verum innatis excultisque Virtutibus totus circumfulget. Hunc Præsulem inter paucos *Gassendus* habuit amicissimum. Redamavit præterea *Gassendus* egregios multos Viros, *Ægidium Menagium*, quem nominare toto orbe Terrarum celeberrimum ut sat laudum tribuam, sufficit; *Conrardum*, humanissimum Virum, auctoribus optimis obstetricantem, αὐτοδίδακτον, nec tantum Gallicæ facundiæ summum censorem, sed, quod stupendum, sine ullis Græcis Latinisve literis veterum mentem ita assequutum, ut aliquando eorum Interpretes lapsuum & errorum monuerit; *Knelmum Digbium*, Equitem Anglum, non minus doctrina & sapientia, quàm generis nobilitate, & dum res Regni stabant, publicis muneribus, Magni illius *Verulamii* desiderio, patriam suam feliciter consolantem; quo Viro Roma redeunte donatus fuit *Gassendus* Telescopio *Eustachii* illius *divini* arte elaborato, quod *Galileano* suo anteponebat; *Michaëlem Marollium* Abbatem Villalupensem, oris præstantia, sed magis animi robore Heroas suos referentem, qui tot elegantissimorum Poëtarum Latinorum fidus interpres, patriam suam locupletavit quidem alienis opibus, verum privavit suis: nam Vir alti spiritus poterat eloquentiam, quam in fœtibus aliorum

suscipiendis impendit, in usus suos convertere, & ipse e fœcundissimo ingenio suo plura promere immortalitate dignissima; *Ioannem Launojum*, Theologum Parisiensem, qui Conciliis omnibus interfuisse videtur, unde aliis tot inaudita referre potest; *Franciscum Tallemannum* Abbatem Græcis adeo literis imbutum, & inamœna studiorum Aulæve læto risu, vocatis scilicet Camænis, temperantem; *Franciscum Barancium* & *Balthazarem Monconisium* ad unguem factos homines, amara curarum eluere efficacissimos, quorum iste regiones tot exteras lustravit, & tanta quidem cum perspicacitate; *Petrum Moinerium* nostrum διζαφον, virtutibus subactam mentem, & maceratum bonis artibus ingenium in Aula nunc retinentem; *Franciscum Henrijaum* Patritium Lugdunensem curiosissimum: cui quantum debeat editio ista nemini compertius quam tibi, *Mon-mori* Illustrissime, quem sollicitudinum parte gravissima levavit Vir iste lucubrationum *Gassendianarum* ab interitu vindicendarum studiosissimus; *Guilielmum Barberium* quidni in partes vocem, Typographum egregium, qui vitam Epicuri, & Animadversiones in X. Laertii elegantissime excudit, & doctos omnes ita deperit, ut fortunarum suarum rationem non habeat, si quid operæ præstandum sit; vel *Petrum Guisonium* Cavallionensem, juvenem in Philosophicis & Mathematicis versatissimum; *Elzearium Carolum* Abbatem Avenionensem, egregium prudentiæ & moderationis exemplum, qui tot annos Aulæ fluctibus irrequietis ratim credidit, ut in eam quam assequutus est tandem tranquillitatem appelleret. Cum primum enim potuit extricare se molestissimis negotiis, Oceano illi infido æternum valedixit, & in Musæum suum sese abdidit, solis literatis viris visendus; unde autem ipse, tanquam ex specula, videns nunc sua sine parte periculi sævos maleferiatorum hominum lusus, quibus tamdiu iniquitate fati volẽs nolens interfuerat, ridet miseram ambitionem Aulicorum, qui fœda Magnatum mancipia, nec sui plane juris esse sciunt, nec dominos graves adsciscere æquo prorsus animo possunt. Verum semper de Fortuna conquerentes, Fortunam tamen venerari non desinunt: cujus neque rictum vanissimum audent spernere, neque superba fastidia perpeti, aut procul amoliri queunt; *Capellam Luillerium*, cujus versus illi hendecasyllabi cultissimum ingenium satis superque monstrare videntur; *Franciscum Verdusium*, Patricia familia Burdigalensi na-

tum,

um, qui tutoris fraude adolescens amplissimo patrimonio privatus, scilicet: *Dum peregre est animus sine corpore velox*, olatium nunc quærit in bonis artibus, quarum amorem gello & purpura potiorem habuit; Nobilissimum Virum *Alexandrum Delbenum*, rerum ad Physicam spectantium urio sissimum; *Ludovicum Nublæum*, Jurisconsultum tam probitate, quam doctrina & rara ingenii felicitate omnibus acceptissimum; *Balthasarum de Vias*, Apollinem Massiliensem; *Carolum Pererium*, doctis adeo versibus ludentem, quem Virum aut Heroa Lyra, vel acri tibia sumat celebrare; *Carolum Guilletum*, seu mavis, *Calvidium Latum*, quo primum nomine usurpato Callipædiam suam emisit in lucem, an satis placeret opus elegantissimum probaturus; Et *Marinum Curæum Cambræum*, Medicum, qui primus Aristoteleam Philosophiam & Platonica ratiocinia cultiore cultu ornata deduxit in Aulam nostram; *Petrum Guillielmum* & *Carolum Sponium*, Medicos quoque Lugdunenses non modo doctissimos, sed felicissimos, seu rectius dixerim, ut felicitatis istius causam complectar, sapientissimos; *Petrum Petitum*, Regiis arcibus muniendis præfectum, cum quo gaudebat experimenta plurima Physica facere; *Ioannem Riolanum*, Anatomicum percelebrem; *Renatum Moræum* & *Guidonem Patinum*, Medicos & Professores Regios eruditissimos; itemque *Claudium Martinum* & *Iacobum Iovvinum*, Medicos prudentissimos; *Iacobum Mentelium*, cujus nomini innatum videtur rarissimorum inventorum laude aliquandiu privari: Artis enim Typographicæ inventionem luculenta Dissertatione majoribus suis demum asseruit; qui tamen rerum suarum, ut ait, negligens noluit amico nostro jamjam nominando quidquam detrahere ejus, quam meretur commendationis, quamvis constanter affirmare soleat, ante annos triginta, cum *Bartholomæi Eustachii* locum & *Herophili* apud Galenum legisset, quæsitum à se & inventum ductum Chyliferum. Verum cum non satis in illum adverterit, mavult adhuc senex & Medicus, quod prorsus insolitum, sinere ut laus universa cedat juveni, per quem revera primum res clare & distincte omnibus innotuit. Nimirum magno Viro, & plura tamen habituro, convenit ista neglectæ laudis jactura. Addam igitur, *Mentelio* annuente, ut agmen claudat, *Ioannem Pecquetum*, Medicum, cujus gloriam à reperta chyli via invidendam pronunciabat; cum laudaret prudentiam illustrissimorum *Fucquetorum*;

quibus vir ille multis beneficiis devinctus operam suam addixerat. Nempe quod bonis bene fit beneficium, ea gratia gravida est bonis, & famæ suæ in posterum sapienter consulunt, quibus sola desunt certa pignora victuræ in æternum post funera laudis. Dilabuntur opes, corruunt ædes, numerosissima deficit aliquando familia: at inserta præclaris inventis nomina nunquam intereunt; & *Fucquetos* loquentur Doctorum Mecænates, *Pecqueti* liber exiguus, quo forsan tempore de iis, quæ in Rep. gessere amplissimi rerum nostrarum administri nulla erit memoria: Civitates maximæ & Regna florentissima subverti possunt: At genus humanum prius universum deleatur oportet, quam pereat ductus ille Chyliferus, & ignorentur illi, quorum munificentia *Pecquetus* honestum otium nactus, iter Medicis ignotum aperuit. Verum in Amicis *Gassendi* recensendis ne nimius sim vereor, qui paucos seligere constitueram; brevior autem futurus, si vel integrum volumen cunctis memorandis impendere vellem. Quanquam nominare sufficit omni laude majores *Sammarthanos* & *Valesios* Frasres; *Hugonem Grotium* τὸν πάνυ, *Dionysium Petavium*, qui πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, *Honoratum Fabrum* Romæ nunc magnum Pœnitentiarum, *Petrum Burdinum* & *Ioannnem Bertetum* Jesuitas, & innumeros alios, quos Religiosissima Societas quotidie fundit Viros doctissimos; *Iacobum Gaffarellum* Maimonidem Christianum; *Petrum Fermatium*, tam longo intervallo Vietam, Diophantum, & Pythagoreos omnes post se relinquentem; *Nicolaum Rigaltium*, *Philibertum Maraum*, & *Claudium Hardyaum*, Senatores, Viros omniscios; *Hieronymum Bignonum*, τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή, *Oppedam*, *Boissiaum*, *Donnevillaum*, *Roccam*, *Molaum*, *Thuanum*, *Memmium*, Senatum Præsides: *Claudium Auvrium*, Constantiensem Episcopum, cujus indolem officiosam, media in Aula ferratos postes portasque uni Marti & Mercurio aperienti, laudat in Dedicatoria *Calendarii* sui; ad quem vero Gallice Epistolam scripit, firmandis multorum animis, qui Lutetiæ ingentem impendere ruinam arbitrabantur ab illo solis defectu anni M DC LIV. quem harioli tantopere reformidandum prædicaverant; *Antonium Arbaudum Bargemoneum* Sistericensem: *Antonium Godellum* Vencienfem, & *Iosephum Mariam Suaresium* Vasionensem, Episcopos pedo ligneo vere aureos; qui omnes *Gassendi* Virtutem colere non dedignati sunt; ut majorum Gentium Deos omittam, Emi-

Eminentiſſimos S.R.E. Cardinales *Barberinos*, *Franciſcum*, inquam, qui *Muſas ornans ornatur ab illis*, teſte *Sangeneſio* noſtro, & *Antonium*, ſolem illum beneficum, *Qui examine magno*, ut ejudem Poëtæ verbis animi mei ſenſa exprimam, *Doctas paſcit Apes & Terris mella miniſtrat*. *Balneum*, ἰσόθεον φῶτα, *Ludovicum Alphonſum*, *Pleſſæum Richelium*, ſeu θεὸν ἀπὸ μηχανῆς, *Ioannem Franciſcum Paulum Gondium Retzium*, excelſi animi Mæcenatem, nec minoris facundiæ & eruditionis Chryſoſtomum, qui *Gaſſendum* audire apud *Campinium* degentem ſolebat. Vel Celſiſſimum *Borbonium* Principem *Contium*, per quem non ſtetit, ut *Gaſſendus* frueretur Prioratu, quem ultro dederat, cum Indultarius ſuperveniens Munificentiæ iſti obicem oppoſuit. Aut *Regiam Virginem Aurelianenſem* Heroinam, quæ per illuſtrem affinem tuum *Frontenaci* Comitem ſæpius *Gaſſendum* ſalvere juſſit. Et Illuſtriſſimam *Aguillonii* Duciſſam, *Richeliorum* Neptem digniſſimam, quæ benevalenti *Gaſſendo* Ruellium ſuum non ſemel obtulit, etiam Philoſophicis ſtudiis nobilitandum, poſt agitata olim amœniſſimo in ſucceſſu negotia totius Europæ graviſſima, quæ quidem ſapientiſſima Fœmina illis totius Univerſi pluris non facit: admodum enim ſollicita de fato Philoſophiæ, *Gaſſendo* ægrotante, Medicum ſuum quotidie miſit, non ſolum ut ſciſcitaretur, quomodo ſe haberet; ſed ut conſilio juvaret, & cuncta quæ in locuplete Domo reperiuntur pellendo ciborum faſtidio Heræ ſuæ nomine, teſtandoque tam diutini morbi dolori, præſens larga manu offerret.

Supereſſet jam ut de iſta Operum *Gaſſendianorum* editione multa dicerem, quæ in laudem tuam omnino cederent, *Monmori* Illuſtriſſime; ſed ne plurimus ſim vetas. Tibi nempe commodavit moriens Author ſcripta ſua, quæ in ordinem digeſſiſti tam aptum & concinnum, ut nullius rei præmonendus ſit Lector in anteceſſu, quo facilius fruatur tantis opibus, tanta ſcilicet bonæ mentis & eruditionis ſegete. Elegiſti quoque Typographos diligentiſſimos, qui nullis ſumptibus pepercerunt, ut quam primum theſauro iſto omnes potirentur; quibus cum autem egiſti, Nobiliſſimo intercedente *Campinio*, per præclarum Virum *Franciſcum Henryaum*, cujus fidei Codices Manuſcriptos committere voluiſti, ut in Muſæum tuum redirent inter cimelia tua pretioſiſſima aſſervandi: nempe cum tot voluminibus, manu Patrui tui exaratis, ex plurimis autem

quæ Carthusianis cessere; illius, inquam, *Petri Haberti* Cadurcensium Episcopi & Comitis illustrissimi, Dii cui divitias dederant, artemque fruendi, qui retinuerat, quod est difficillimum, ex sapientia modum. *Antonii Poterii*, Amanuensis illius *Gassendo* charissimi, patrocinium suscepisti, Familiæ tuæ orbatum Patrono adscivisti, & Lugdunum misisti, ut editionem maturaret, Typographicis operis præesset, Codices servaret, & quæ restabant digerenda juxta mentem tuam disponeret. Iconem Amici insulptam cœlo *Nantolii* illius mores ipsos hominum exprimentis, toti Terrarum orbi suspiciendam curasti, & elegantissimo Epigrammate ornasti, quo paucis tersissime complexus es ea omnia, quæ nos balbutiendo pluribus repræsentare non potuimus. Manum igitur de tabula, ne modum excedere videamur. Quanquam enim non injussus calamo manum admoverim, tamen in publica commoda peccare non debeo, & tua vel aliorum tempora longo sermone morari. Perge porro, Vir Illustrissime, de genere humano bene mereri, dum bonis impense faves, & Philosophantium in ædibus tuis chorum moderaris. Regium illud sane quod nuper suscepisti ad Physices arcana indaganda; unde summi Opificis laus emergere, & in usus publicos plurima commoda redundare poterunt. Utinam ulterius tam præclara cœpta procedant, & mentem tuam penitus assequantur, qui tantam assequuti sunt aliarum rerum cognitionem. Adsis Tu quoque præsens, optime *Gassende*, ut modestiæ & sapientiæ tuæ semper omnium animis obversetur imago? Equidem post edita opera tua nihil deerit, quo minus te totum videamus; neque tantum vigiliis tuis & eruditione tua fruamur, sed & oculis perpetuo in sapientiam tuam defixis, illa potiore tui parte imitemur veram, cujus tam clarum exemplum præbuisti, Philosophandi rationem. Intereris quoque, qua terræ patent, post innumerabilem annorum seriem studiis hominum ad bonam mentem contendentium, ut si qui repeniantur olim, quos juvet adhuc barbare vel meteoretice Philosophantium lectio, unum illud Ciceronis in redargutionem usurpari possit: *Quæ est autem ista inter homines tanta dementia; frugibus inventis, ut glande vescantur!*

IN

IN EFFIGIEM
ILLVSTRIS VIRI
PETRI GASSENDI,
Dinienfis Ecclefiæ Præpofiti,
Et in Academia Parifienfi Mathef. Profeff.
Regii.

Talis erat veterem excipiens GASSENDVS Amicum,
Talis erat placido pectore vera fequens.
Cernitur hîc rerum prudentia rara, fidesque,
Candor cum cauta fimplicitate patet.
Deficit ille unus (nam cœlatura negavit)
Qui laudes temnens pinxerat ora pudor.
Cætera divini ingenii miracula, Lector,
Facundi refert pagina docta Senis.

SAM. SORBERIUS, M. P.

EPITAPHIUM.

Hic jacet,
Non unus è feptem Sapientibus,
Verum
Totum Sapientum Familia,
Philofophi omnes, Politici, Philologi, Mathemati,
Theologi.
Eodem Tumulo teguntur,
Academiæ veteris & novæ, Lycæi, Stoæ, Hortorum
Rudera, Veftigia,
E quibus
Jam jam reparanda, & multo fplendidius reftauranda
Edita doctrina Sapientum Templa ferena.
Ubi
Veluti totidem Oracula
Siftendi erant Redivivi & Audiendi
Tales, Anaxagoras, Pythagoras, Hippocrates, Democritus,
Socrates, Plato, Ariftoteles, Zeno,
Epicurus, Lucretius, Cicero,
Seneca, Plutarchus,
Sextus,
Et quotquot hujufcemodi Heroum
Ad noftra ufq; tempora exftitere.

P 5 *Hic*

Hic jacent
Cum Musis, Pallade & Apolline,
Pudor, & Justitiæ Soror Incorrupta Fides,
Nudaque Veritas.
Quæ universa
Magnum PETRI GASSENDI Nomen
Complectitur.
Tu Viator Erudite
Luge sortem Generis Humani,
Cui Mors Invida eripuit
Fidissimum, diligentissimum Naturæ Interpretem,
Virtutis, Solidæ Pietatis, Bonæ mentis
Cultorem, Vindicem, Propagatorem
Integerrimum, Acerrimum, Felicissimum.
Vixit
Sine querela, sorte sua contentus,
Interioris notæ Amicis jucundissimus,
Viris imperio, auctoritate, doctrina, sapientia præstantissimis
Acceptissimus, Charissimus,
Non apud exteros solum,
Sed & in patria sua
Amorem, Venerationem,
Meritus, consequutus,
Annos LXIII. Menses IX. Dies XIII.
Æternum sui desiderium relinquens
Lutetiæ Parisiorum
A. d. IX. Kal. Nov. cIɔ Iɔc LV.
ABRAHAMUS PRATÆUS,
THOMAS MARTELLUS,
SAMUEL SORBERIUS,
FRANCISCUS BERNERIUS,
Amico Veteri, Præceptori bene merito,
Grati animi Monumentum
M. M. P. P.

ALIUD.

Hoc jacet in tenui sapientia clausa sepulchro
GASSENDUS, Patria notior ille sua.
Qui meritis terras, studiis complexus Olympum est:
Hic situs est alter totius orbis Atlas.
JO. ALBERTUS PORTNERUS.

SCRI-

SCRIPTA.

Exercitationes Paradoxicæ adversus Aristoteleos. *Gratianopoli* 1624. in 8. *Amsterod.* 1649. in 8. *Hagæ Comitis* 1656. 1659. in 4.

Exercitationes pro Marino Mersenno, adversus Robertum Fluddum. *Paris.* 1630. in 8.

Parhelia, sive Soles quatuor spurii circa verum, visi Romæ, Anno 1629 *ibid.* 1630. in 4. *Haga-Comit.* 1656. in 4.

Mercurius in Sole visus, & Venus invisa An. 1631, *ibid.* in 4. *Haga-Com.* 1656. in 4.

Vita Nicolai Claudii Fabricii de Peiresck, Senatoris Aquensis. *Paris.* 1641. in 4. *Haga-Com.* 1650. 1655. in 12. 1656. in 4. Anglice. *Lond.* 1657. in 8.

Epistolæ IV. de Apparente magnitudine Solis humilis & sublimis. *Paris.* 1642. in 4.

Epistolæ II. de Motu impresso à motore translato. *ibid.* 1642. in 4.

Novem stellæ circa Jovem visæ. *icid.* 1643. in 4. *Haga-Com.* 1656. in 4.

Disquisitio Metaphysica, seu dubitationes & instantiæ adversus Renati Cartesii Metaphysicam & Responsa. *Amsterod.* 1644 in 4.

Oratio Inauguralis, habita Parisiis in Collegio regio. *Paris.* 1645. in 4. *Haga-Com.* 1656. in 4.

De Proportione, qua gravia decidentia accelerantur, Epistolæ IV. *Paris.* 1646. in 4.

Institutio Astronomica, juxta Hypotheses tam veterum, quam Copernici & Tychonis. *ibid.* 1647. in 4. *Londini* 1654. in 8. *Haga-Comitis* 1656. in 4.

Philosophia Epicuri, seu Animadversiones in decimum librum Diogenis Laërtii. *Lugd.* 1659. in fol. *Amster.* 1659. in 4. *Lond.* 1660. in 12.

De Vita & Moribus Epicuri libri octo. *Lugd. Bat.* 1646. *Haga-Comit.* 1656. in 4.

Vita Tychonis Brahe, Nicolai Copernici, Georgii Peurbachii & Joh. Regiomontani, Astronomorum celebrium. *Paris.* 1654. in 4. *Haga-Com.* 1656. in 4.

Calendarium Romanum compendiose expositum. *ibid.* 1654. in 4.

No-

Notitia Ecclesiæ Diniensis & Concilii Avenionensis. *ibid.* 1654. in 4.

De Septo cordis pervio, Observationes; extant cum Sev. Pinei libro de notis Virginitatis. *Lugd. Bat.* 1639. in 12.

Manuductio ad Theoriam Musices.

Proportio Gnomonis ad Solstitialem Umbram observata Massiliæ 1636. *Hagæ-Com.* 1656. in 4.

Opera omnia in VI. Tomis distributa. *Lugd.* 1658. in fol.

ANTONII THYSII
ORATIO FUNEBRIS,
IN OBITUM
Viri Clarissimi & Præstantissimi,
DN. LAMBERTI BARLÆI,
Græcarum Literarum Professoris longè dignissimi.

QVanquam, Auditores, ex luctuoso obitu Præstantissimi Viri Lamberti Barlæi, tam ingentem conceperim dolorem, ut nondum composita mente verba ipso initio deficiant, tamen iterum dicendi mihi incumbit necessitas. Utique pro tanti viri maximis meritis, quem, dum in vivis esset, summopere colui & suspexi, defuncto, ultimum pietatis officium recusare nec potui, nec debui. Neque vero vana in luctu hoc publico dicendi affectatio, verum & prolixa propinquorum petitio, autoritas Amplissimi Senatus Academici, & familiaris, quæ cum defuncto mihi intercessit, necessitudo, eo me impulerunt, ut hanc Provinciam non difficulter susciperem. Quanquam vixdum mihi persuadere possum, illum mihi ereptum, cujus eruditionem, ingenium, candorem & fidem summopere semper admiratus sum; videor hic mihi præsentem tanti viri imaginem intueri, jucundissimos sermones conferere, denique omnia mihi turbata, confusa videntur; dum dextram porrigo, illius immota

mota mea subito inhibetur, dum intueor, oculi fixi hærent, dum tacentem alloquor, præ nimio dolore obriguit mihi lingua, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, ipsaque adeo mentis penetralia tremore quodam interclusi spiritus concutiuntur. Luctum hunc privatum auget & publicus. Patres Academiæ summo cum mœrore atrati funus prosecuti sunt, & damnum ingens in jactura tanti viri lugubribus questibus prædicarunt, ipsa demum hæc cathedra luctum insolitum ostentat. Dum tantis malis mens mea fluctuat, Auditores, fluctuantem quoque neque bene compositam expectate orationem. Sereno animo enitescit dictio: ubi tristitia dominatur, cogitationes impediuntur, denique non limpido spiritu sed tenebricoso supremum mentis obducitur domicilium. Tumultuario itaque genere loquendi succincte, Natales, vitam moresque desideratissimi Collegæ proponam: vos autem, Auditores, ut exiguum audiendi spatium mihi æquis animis tribuatis, etiam atque etiam rogo. Natus est defunctus familia perantiqua & nobili, Patre Casparo de Baerle, Matre Anna Evervvynsia Anno cIↄ Iↄ XCV. Bommelæ Geldrorum, ubi in exilio turbulentis illis temporibus vitam honeste pater tolerabat. Nobilem esse Barlæorum familiam publica monumenta satis superque evincunt, qui Antiquitus illustri Kesseliæ familiæ inserti ab arce Barlæa juxta Ruremondam originem stirpis trahunt. Etsi autem non tam fumosæ majorum imagines, quam animus virtute præditus nobilem faciat, majorum tamen gloria posteris lumen est, qua ad virtutem capessendam accenduntur generosi spiritus. Verum in his prædicandis parcus ero, ut verba mea ipsius defuncti moribus & sublimi humilitati respondeant. Nimirum qui genus laudat suum, aliena laudat, virtuti incumbere soli, illa demum vera & stabilis est nobilitas. Qua illi ut plurimum destituuntur, qui immodici sunt in majorum nobilitate prædicanda, vel ne quidem majores nobiles habuerunt, verum cum in obscuro vitam transegerint, fortuna luxurtante in sublime evecti, ignobilem esse contumeliæ & opprobrio ducunt. Plurimis nunc domina & regina rerum humanarum pecunia largitur genus & dignitatem, qui nonnunquam corruptis largitione indicibus aliena stemmata invadunt. Longe alia fuit ratio defuncti nostri, qui cum vere nobilis esset, sublimi animo illa contemnebat, despiciebatque. Avus ejus magno Erasmo non ignotus, & Pater Principi

cipi

cipi urbium Antverpiæ ab Actis publicis fuere, spectatissimæ inter cives suos existimationis. Invenio & patruos Virtute & eruditione nobiles, Melchiorem Barlæum, ingeniosum Poëtam, qui plurimis editis libris nomen suum latissime diffudit; Jacobum, qui redituum Ecclesiasticorum Antverpiæ Quæstorem egit; Balthazarem, qui splendida affinitate nobilissimam Virginem, filiam Illustr. Viri Joannis Werckii Antverpiensis, sibi matrimonio junxit, qui, urbe occupata, Ordinum postmodum Zelandiæ Syndicus & Consiliarius, Illustrissimis Legationibus ad Angliæ, Daniæque Reges difficilibus temporibus Remp. multum adjuvit. Defunctus itaque noster Bommelæ quidem primum spiritum hausit, sed revera Antverpia, urbium ocellus, ingeniorum mater, horreum quondam divitiarum illi patria fuit. Namque occupata urbe religionis causa in alia loca Parens secesserat. Enimvero, ut notum est ex Historiarum monumentis, jam antea anno cIↃ IↃ LXXXV; pertinax & infensus hostis ponte Scaldi rapidissimo flumini injecto urbem nobilissimam clauserat, & cum nullos accessus, nullam vim vel impressionem in muros faceret, per inediam & famem attrivit, cum durum victoriæ genus meditaretur, nolle pugnare. Quamvis autem ejus naturæ amnem, qui rapidissimo motu concitatur, claudi posse supra fidem humanam esset, vis tandem major superavit. Ita fatali necessitate Parens defuncti Vir eruditissimus Lugdunum Batavorum secessit, ubi jam tum Musæ splendidissimum suum domicilium arcemque omnis eruditionis erexerant. Ibi summo humanitatis officio ædibus Jani Hauteni, qui huic orbi tum temporis erat à secretis, cum tota familia receptus fuit. Triennio hic exacto Bommelam honestis conditionibus evocatus secessit, atque ibi defunctus noster bonis auspiciis in lucem editus. Ubi ætas studiorum capax fuit, Pater Vir cordatissimus perspecta ejus indole, literis statim humanioribus eum mancipavit. Quas tanto studio partim sub patre, partim sub Viro celeberrimo Jo. Ger. Vossio Dordraci arripuit, ut incredibili industria expectationem Parentis superaret. Academiæ spatia ingressus laboribus immodicus non tantum dies, sed & noctium partem in studiis sibi vindicabat, & non semel oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detinuit. Generosi nimirum spiritus nullam moram patiuntur, & pertinaci opera, atque intenta & diligenti cura aspera quæque studiorum perrumpunt, expugnant. Vigilando,

gilando, agendo ad summa rerum fastigia pervenitur, atque adeo ipse animus nutritur, accenditur, & igneum fervorem concipit: contra ubi quis se socordiæ atque ignaviæ dederit, animus marcescit, spiritumque obtundit torpida quædam remissio. Sicuti enim exercitatione corpus roboratur, nimia quies noxia, viscera obstruit, venas putrido sanguine implet, ita ingenii quoque exercitatio animum alit, cogitationes fovet: nimia quies rubigine lædit, imo nihil agendo male agere docet. Defuncto itaque nostro in literato negotio summa semper fuit voluptas, & nunquam otio ita se dedit, ut non ad negotium respiceret. Continua itaque industria, atque ingenio admodum capaci, facile omnes æquales in linguæ Latinæ & Græcæ cognitione superavit, atque adeo in hoc sanctissimo Palladis sacrario summis præstantissimisque Viris, quorum hic semper ingens copia fuit, non tantum innotuit, verum admodum carus acceptusque fuit. Præcipue Viri Incomparabiles Jo. Polyander, Daniel Heinsius & Joannes Gerardus Vossius, eruditionem in illa ætate, morum modestiam & candorem summo in pretio habuerunt. Nimirum præclara ingenia diu latere nequeunt. Sicut ignis, qui circumseptus fumo est, subito erumpit, aureumque illud jubar extollit; ita quibus virtutis eruditionisque æstus in præcordiis concaluit, etiam invidia spectante, ad celebritatem nominis magis currunt, quam properant. Noverat autem cordatissimus adolescens sine Græcæ Latinæque linguæ intima cognitione artes omnes & scientias in obscuro latere. Nimirum cum in terris ante aliquot sæcula omnia barbaries occupasset, literarum peritia sapientiæ imo & religionis iterum viam aperuit, & subito omnes artes & scientiæ admirabile cepere incrementum. Nullum magnum ingenium excelluit, quod in literarum præsidiis fundamentum suæ eruditionis non posuit. Nunc, proh tempora & mores! rerum bonarum fastidio plerique torpent, & in præcipitia studiorum aguntur, unde postmodum pedem referre nequeunt. Fatuum est Argonautarum velle navem gubernare, qui ne quidem cymbam possis. Præcipue autem noster in Græcis ita animum exercuit, ut intima quæque penetraret. Plurimi sententiam unam aut alteram græce lectitare norunt, verum genium linguæ penetrare, de stylo uniuscujusque autoris judicare posse, paucorum hominum est, & qui in legen-

legendis Græcis autoribus ætatem triverunt. Itaque cum jugi & continua diligentia omnes Græcos Poëtas sapientiæ primos magistros, probatissimosque autores lectitasset, exactum quoque de iis judicium ferre potuit. Imprimis tamen Principe omnium Poëtarum Homero capiebatur, cujus admirabile ingenium, eruditionem, facundiam qui se percipere putat, næ ille intelligendo nihil intelligit. Afflatu quodam cœlesti imbutum hunc Poëtam, omnium scientiarum Patrem, & juxta Platonem vitæ magistrum fuisse nemo eruditorum dubitat. Hunc adeo familiarem Defunctus noster habuit, ut ubique circumtulisse propinqui & familiares testentur. Et hic est ille Poëta, de cujus Patria septem inter se Asiæ civitates certarunt, quem Alexander etiam pulvinaribus subjecit, & cum aliquando accurrentem cerneret tabellarium, qui res lætas afferre videbatur, Ecquid, inquit, nuncias mihi Homerum revixisse? Neque vero in Græcis Latinisque literis tantum se exercuit, sed ita quoque Philosophiæ se addixit, ut teneret ex sapientia modum. A Scholasticis tricis & ænigmatibus, quæ ne ipse quidem solvere posset Oedipus, mirum in modum abhorruit. Sicuti ægrorum sunt turbulenta somnia, confusæ imagines, ita æstuantis cerebri hæc sunt deliria. Noster autem masculam illam, vegetam, floridam secutus est Philosophiam, quæ ex divini ingenii viris Platone, Aristotele, atque eorundem antiquis interpretibus hauritur. Non fuit illi in studiis festinatio præceps & inconsulta, cum omnia non properantibus rectius procedant. Postmodum ad Hebraicam linguam, in qua non contemnendum progressum fecit, & Theologiam animum appulit: quæ uti omnium scientiarum Princeps est, & limpidissimi fontis instar nihil terrenum atque turbulentum habet, ita mentis sanctimoniam requirit. Religiosus autem sanctissimusque animus, qui optimus & pulcherrimus Dei cultus, Defuncto semper adfuit. Neque enim hoc tantum Theologi esse credebat, arcana Dei immortalis mysteria perscrutari, verum pura, integra, incorrupta mente & voce supremum illud & purissimum numen venerari, virtutem sine fuco sectari, vitiis sempiternum odium indicere, denique virum bonum esse, quod nomen multis officiis magnisque laudibus continetur. Neque enim angustis finibus circumscripta est innocentia. Ita Theologicis imbutus præceptis, animo probo, religioso, ministerio tandem se addixit sacro, Anno hujus sæculi XVIII.

Illu-

Illustri Nobilissimoque Domino de Langeracq, Fœderatorum Procerum ad Christianissimum Galliarum Regem Legato à sacris concionibus fuit. Qui tanto ardore illum non dilexit tantum verum etiam amavit, ut intima sæpe illi aperuerit pectoris secreta, nihilque fere in causa domestica majoris momenti sine illo arbitro ageret. Quippe erat Defunctus noster probatissimæ fidei, & qui silentio & taciturnitate cuncta sine ullo strepitu peragebat; & interiori recessu occultabat. Nimirum altissima quæque flumina minimo labuntur sono, & præstat minimum cum aliis, multum secum loqui: cum taciturnitas rerum administrandarum optimum vinculum sit. Anno demum XXIX. hujus sæculi domum reversus ad functionem sacram in ditione Bredana vocatus, cum honestis conditionibus illum flagitarent Amstelodamenses, illorum voto cessit. In hac civitate, quod nunc totius Europæ augustissimum est Emporium, in quo totus hodie veluti mundus emitur venditurque, per plures annos ita victitavit, ut Nobilissimo Magistratui, honestissimisque civibus amorem sui ingentem expresserit. Demum cum anno hujus sæculi XLI. Cl. Vir Jeremias Hoezlnus, Græcæ linguæ Professor, mortalitatis leges implevisset, à Nobilissimis Curatoribus, Consulibusque hujus urbis illa provincia illi ultro oblata fuit, quorum uti semper incorruptum fuit judicium, ita non nisi merentibus talia virtutis & eruditionis præmia tribuere solent. Cujus Professionis dignitatem, utilitatem, necessitatemque qui contemnunt, vel fastidiunt, nullo bonarum artium studio agitantur, sed loco fontium paludibus interpretum delectantur. Et ut videant homines profani ac fastidiosi nihil majus esse eo quod contemnunt, Chrysoloram post Illustrissimam Legationem ad omnes Christianos Principes, non puduit publicam Legationem cum Professione Græcarum literarum commutare: Lascares quoque Imperatoria familia oriundus, post Legationes ad Bajazetem Turcarum Imperatorem, atque alteram ad Ludovicum Galliæ Regem, Romæ literas Græcas profiteri non erubuit. In quo quidem munere ita excelluit, ut clarum fuerit hujus Academiæ ornamentum & decus, summa industria, accerrimis studiis, doctrina optima juventutem instruxerit literatam. Homerum enim Poëtarum Principem, cujus lectione satiari nequibat, Hesiodum, quem doctissimis lucubrationibus auxit, Euripidem, Aristopha-

nem, Theophrasti Characteres, Lucianum, cujus Timonem eruditissimis notis illustravit, pluresque alios ita interpretatus est, ut non in verbis tantum hæreret, sed nihil ex tota antiquitate prætermitteret. In Græca autem lingua ita exercitatus erat, ut nemini cederet, paucos admodum æquales haberet. Si ulla mihi illius linguæ sit peritia, à qua nullum ætatis meæ tempus abhorruisse non diffiteor, si ullum in Græcis pangendis versibus mihi sit judicium, quod sentio quam sit exiguum, hoc tamen dicere non erubesco, Auditores, me nonnullos versus tanta voluptate legisse, ut proxime ad veterum genium mihi accedere viderentur. Quoties eundem nulla hæsitatione sua lingua cum Græcis, inprimis Archiepiscopo Ephesi, loquentem audivimus, ita ut ipsi illi in stuporem abriperentur? Quos omnibus quoque officiis humanitatis ita obruit, ut simul cum nobilissimo Viro C. L' Empereur, maximam pro iis apud Fœderatos Proceres inierit gratiam. Eidemque serio in id incubuerunt, cum præstantissimo Viro Jac. Revio, ut jussu publico homines Græci Confessionem Nostratium in linguam vulgarem suam verterent, quo religio nostra per totam Græciam diffunderetur. Quod summa quoque & laudabili liberalitate à Proceribus indultũ fuit. Præter Græcos in Latinis antiquis Autoribus diffusæ quoque fuit lectionis, ingenii judiciique exacti, Poëtico quoque spiritu nonnunquam concitatus, etsi in eo Fratri suo Caspari Barlæo, in Heroicis hoc sæculo omnium facile Poëtarum Principi, cujus carmina nulla non ætas admirabitur, lubens cesserit. Literas, quas plures ad amicos & Magnates scripsit, in quibus character mentis elucet, tam elegantes, nitidas, politas exaravit, ut nulli in illo scribendi genere cederet. Volvere verba, neque dicendi rudem esse plurimorum hominum est, sed terse, polite, verba literis committere, atque in iis maximam laudem consequi, paucorum est. De omni antiquitate, ritibus gentium, collatione Græcorum Latinorumque autorum cordate multoties summa cum voluptate disserentem audivimus. Nunquam illius temporis mihi elabetur jucundissima memoria, cum quæ ex Theocrito in Bucolicis, ex Hesiodo in Georgicis, ex Homero in Æneide sibi assumsisset divinus Poëta Virgilius, docte ac luculenter proponeret, de plurimis aliis antiquis Autoribus sententiam suam promeret. Cui

cùm ego omnes ferme Virgilii Eclogas me versibus Theocriti expressisse ostenderem, mirum in modum lætitia quadam mentem laxavit. Atque ab illo tempore multo arctior quoque intercessit necessitudo, sicuti inter consortes eorundem studiorum animi facillime conglutinari solent. Mores privatos quod attinet, erat homo candidissimus & nullius fuci, fluctuationes & diverticula mentis oderat quam maxime, religionem vere & ex animo in pectore clausam sustentabat, fucata quorundam pietas, qui religionis velo sua tegunt facinora, maxime illi invisa fuit. Cum omnibus, quantum in se erat, amicitiam coluit, si qui illi inimici essent, quos nullos vel paucissimos habuit, non illos, sed vitia illorum oderat. Injurias sponte ignoscebat, neque ad animum trahebat. In adversis, in secundis soli se committebat Deo immortali. Ambitionem omnem & vana rerum despiciebat, neque tamen in humilitate superbus erat. Nullum tumultum affectuum in præcordiis suis nutriit fovitque, sed victor semper fuit victoria gloriosissima. Præstita beneficia facile, accepta nunquam obliviscebatur. Non immiscuit se multis negotiis, sed fugiebat illa, quæ ad se nihil pertinent, inquirere. Tanquam mortalis vivebat, tanquam mortalis laborabat. Erat interioris recessus, paucorum verborum, & mentis bene sanæ. Nimirum ars tacendi & loquendi summa sapientia est. Non erat tetricus, sed facilis & comis ingenii, inter familiares quoque multi joci & leporis. Denique liceat cum Comico dicere: Sic vita „ erat, facile omnes perferre ac pati, cum quibus erat cun- „ que una his sese dedere, eorum obsequi studiis, adversus „ nemini, nunquam præponens se illis, ita ut facillime fi- „ ne invidia laudem invenias & amicos pares. Porro o- „ mnes amicos, paucos admodum familiares habuit. Cum Ampliss. Viro Jo. Wevelichovio, qui honestissimæ matronæ Barbaræ Ægidiæ, quam Noster uxorem postea duxerat, testamentarius tutor fuerat, hujus Urbis Syndico, quique in hac civitate magnum religionis, justitiæ, prudentiæ fulcrum est, atque ejusdem Filio Joachimo, qui paternam jam virtutem exprimit, totaque familia propter necessitudinem sanguinis intimam familiaritatem coluit, quos æque hodie luctus premit, atque si domesticum funus esset. Ut nihil dicam de Viris præstantissimis, qui jam mortalium numero exempti sunt, Johanne Polyandro, qui prolixo

illum prosecutus est favore, Jacobo Triglandio, Danielo Heinsio, Cl. Salmasio, Petro Cunæo quem & sanguine attingebat, Gerardo Joanne Vossio, inter superstites Virum celeberrimum Jacobum Revium magni fecit. Jam ante plures annos nephriticos dolores, eosque acres admodum & acutos sensit, quibus præsens aliquando illi vitæ periculum fuit. Dies jam decimus sextus est, ex quo dirus ille carnifex illum iterum opprimeret, verum ita ut ipso initio non magnum videretur esse vitæ discrimen. Namque vivido admodum & Poëtico spiritu honori Nobilissimi Juvenis Cornelii de Beveren, qui paternas jam virtutes fœliciter imitatur, & omnia magna promittit, elegantissimum carmen conscripsit, cum idem juvenis luculente sub moderamine Consultissimi Clarissimique Viri Adriani à Thienen respondisset. Verùm ab illo tempore, cum febrilis accessisset ardor, subito callabascere vires corporis, ita ut nonnunquam deliquium animi pateretur, cœperunt. Namque cum ætas ejus jam in flexu esset, & multum de pristino vigore remisisset; cruciatibus calculi, & simul febrili violentiæ resistere languidum corpus nequibat. Ita tandem decimo & sexto hujus mensis Junii die, plenus in Deum immortalem fiducia, fatali necessitati occubuit. Ex cujus viri morte quam grave vulnus acceperit Academia, doctorum omnium luctus & squallor, quem in vultu omnium conspicio, abunde testatur. Non tam defuncto quam Græcis literis, quarum peritia jam ferme opprobrio ducitur, exequiæ factæ videntur. Præter publicum luctum privatim carissima fidei conjugalis pignora, quæ ex honoratissima Matrona Barbara Ægidia suscepit, denso lachrymarum imbre orbitatem suam deplorant, quibus optimo parente destitutis vulnus hoc altius pectori infligitur, quam ut verbis efferri possit. Etsi autem hæc calamitas & publica & privata longè acerbissima est, nullum tamen aliud patientiæ remedium reliquum esse video, Auditores, quam ut divinæ voluntati nos submittamus. Triumphat semper in Providentiæ curru æternus ille rector, & nutu suo cuncta dirigit, temperatque. Mortalium numero Deus Opt. Max. eum eripuit, ut immortalium & cœlestium choro insereret, ubi nunc exors omnis doloris in præsentia divini numinis incredibilem capit voluptatem; ubi nunc cœlestis ille animus, carcere sui corporis exutus, tandem sui juris & arbi-

arbitrii, cunctas res humanas ex summo rerum fastigio ridet, despicitque. Ibi nunc nulli temporum injuriæ obnoxius non annos vel menses numerat, sed perpetua & stabili æternitate fruitur. Numerare omnia sæcula, Auditores, quid cum æternitate comparari potest, cujus nullum initium, nullus quoque finis inveniri potest? Non deploranda itaque illi sua fortuna est, sed misera mortalium sors, qui in hac vita imbecillitatis imaginem præ se ferunt, qui & corporis & animi morbis quotidie concitantur. Immaculata est illa vita cœlestis, omnium morborum & affectuum expers, nullis calamitatibus obnoxia, qua nunc Defunctus noster summo cum gaudio fruitur. Hanc fœlicitatem, hoc æternum gaudium, ubi decretorius nobis aderit dies, omnibus & singulis voveo atque auguror.

DIXI.

SCRIPTA.

Luciani Timon, sive de Divitiis & Paupertate Dialogus festivissimus, Scholiis Plutique Aristophanici collatione illustratus. *Lugdun. Batav.* 1652. in 8.

Obsidio Sylvæ Ducis. *ibid.* in fol.

Commentar. in Hesiodi Theogoniam Græcè & Latinè. *Amsterod.* 1658. in 8.

Oratio funebris in Excessum Clarissimi Viri, Marci Zuerii Boxhornii, *Lugd. Batav.* 1653. in 4.

(o)



PROGRAMMA,

In funere

Viri quondam Amplissimi, Excellentissimi, Praclarissimi,

DN. PAULI SLEVOGTII,

Philos. Magistri & Poëtæ Laureati Cæsar. Logices & Philosophiæ primæ Professoris Publici famigeratissimi,

Propositum à

RECTORE ACADEMIÆ JENENSIS,

OTTONE GVILIELMO KÖNIGSMARCK,

Comite in Westervvick & Stegholm, Dynasta in Rotenburg & Neuhaus, &c.

ET PRORECTORE,

JOH. ERNESTO GERHARDO,

Doct. ac Profess. Publ.

Cum propter Abnerum à Joabo ferro nefario insidiose è medio sublatum populo Israëlitico Rex David luctum publicum, istiusque exsequias indixisset, non solum eas ipsemet prosecutus & lacrymis effuse profluentibus, ad sepulcrum clamando quiritatus est, verum etiam celebratis istis de cibo sumendo monitus, ante solem occasum gustare quicquam renuit, in hæc ad ministros suos prorumpens verba: An nescitis, quod Princeps & quidem magnus hodie cecidit in Israël? Dum quidem nos hac luce, Viri quondam Amplissimi, Excellentissimi, Præclarissimi, *Dn. Pauli Slevogtii*, Philos. Magistri & Poëtæ Laur. Cæsar. Logices & Philosophiæ primæ Professoris famigeratissimi, quem mors homicida nudius quartus suum sibi fecit, indicimus, quid Salana hæc agat aliud, quam ut se totam in luctum induat? Cecidit in ea Doctor & quidem magnus. Cecidit & exstinctum est lumen, quod cumprimis eam illustrabat. Cecidit columna, cujus doctrina, judicio, prudentia, au-

ctoritate

ctoritate non minimum fulciebatur. Cecidit amplissimi Collegi Philosophici membrum nobile. Inflictum isti ante annum, menses quinque & dies quatuor, subtilissimo *Stahlio* erepto, vulnus per quam grave, quod postquam nondum plane consanuit, ecce novum! tanto acerbius, quanto celerius. Sed enim in tuo, Magne Deus, acquiescendum nobis arbitrio. Tua absque voluntate ne capillorum quidem, quos in numerato habes omnes, de capite nostro cadit ullus. Vulnerasti tuo pro beneplacito, pro beneplacito tuo rursus sanabis. Ita precamur, vovemus, qui jam ad ea, quæ supremi honoris B. *Slevogtio*, olim nostro, præstandi sunt, accedimus. Vitæ ipsum hujus usuram cepisse accepimus *Puffendorffii*, pago non procul à Vinaria dissito, parentibus bonis & piis, quorum genus honestum à longa ætate isthic loci deduci potest. Patri quidem nomen fuit *Martino Slevogt*, anno clↃ IↃcXXII. defuncto, matri *Annæ* Sunthausen. *Annus* ipsi natalis contigit superioris seculi XCVI. dies vero, mensis *Aprilis* vigesimus nonus. Christo per baptismum absque comperendinatu insertus, quam primum ætas tulit, in scholam istius loci missus fuit. Quia verò indoles cumprimis præclara cito sese exseruit, post annum ætatis octavum præceptoris inibi sui, qui progressus ejus promovere ulterius non poterat, suasu ac consilio, ad scholas varias alias fuit ablegatus, in quibus pietatis & bonarum artium rudimenta, quantum per ætatem licuit, imbibit, usque dum *Vinariensis* tandem scholæ alumnus fuit factus: ubi adeo felices brevi profectus fecit, ut non solum id temporis Conrector, jam Pastor Fidelhausensis, Vir Reverendus & humanissimus D. *M. Iohannes Fridericus* Bechmann/ summam in admirationem raptus sua manu sequentibus ipsi versibus fuerit gratulatus:

Ad meum Paulum Slevogtium:
Vix vix cœpisti puerili scribere vena
carmina, quæ metrico non bene fulta pede.
Mox mox cœpisti Thymbræa scribere vena
carmina, quæ metrico sunt bene fulta pede.
O ita perge modo! Sic sic cum fœnore quondam
Ipse Poëtifica mente Poëta clues.

Verum etiā Rector Vir Cl. Dn. *M. Georgius Saltzhuberg* præ reliquis discipulis hunc unice amarit, judicaritq; dignū, qui ad Salanā hanc nostram fundamentis bonæ literaturæ probe jactis ædificiū majus superstructū migraret. Felici ergo auspicio *A.* clↃ IↃcXV, *m. Apr.* hanc ingressus, & linguarū Philosoph. disci-

disciplinarum studia tam calide habuit, ut non solum *anno* cIↄ IↄcXX. mensis *Februar. die* VII. sub Decanatu Beati *Heideri Doctoratûs* Philosophici, quem *Magisterium* vocant, Gradum gloriose reportaret, verum etiam post ejus adeptionem statim collegia privata institueret & publicis in disputationibus Præsidis fungeretur munere. *Anno* cIↄ IↄcXXII. *mense Ianuario Brunsuigam* ad *Gymnasii Martiniani Conrectoratum* legitime vocatus secessit, quam Spartam cum maxima sui laude integrum triennium cum trimestri qua publicas, qua privatas Philosophicas lectiones ornavit, adamatus à Senatu & Scholarchis & cumprimis à tum temporis Reipubl. Syndicis, JoreConsultis magnis, *Dn. Caspare Glockio*, & *Dn. Ioanne Lammanno*, νῦν ἐν ἁγίοις. Inde factum ut cum *anno* cIↄ IↄcXXII. Legati Imperatorii, quorum quoque Vir olim Magnificus, Nobilissimus, Consultissimus Dn. *Otto Meleander*, JCtus, Comes Palatinus Cæsareus & Cæsar. Majest. Consiliarius pars erat, Brunsuigam appulsi à prælaudato *D. Glockio* convivio exciperentur, & ipse ad idem invitaretur: qua occasione præfatus Comes Palatinus sermone multo cum ipso variis de rebus, cumprimis Poësi, habito, quin & certamine Poëtico inito, *Laurea* ipsum donarit, *diplomate* Magdeburgo, quo tum properandum Legatis erat Imperatoriis, transmisso. *Anno* cIↄ IↄcXXIV. cum suas ob causas paternos reviseret lares, ac præclara ipsius non in linguis tantum ac Philosophicis disciplinis, verum Theologicis quoque in rebus scientia, concione Vinariæ habita, Illustrissimis Saxoniæ Ducibus innotesceret; datis hi ad Senatum Brunsuicensem literis eum avocarunt, & stipendio extraordinario partim Vinariæ, partim heic Jenæ sustentarunt, usque dum cIↄ IↄcXXV. *mense Novembri*, Viro admodum Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo, Dn. *Salomoni Glassio* SS. Theol. D. & illustris Ducatus Saxo Gothani jam Superattendenti generali vigilantissimo, Consistoriique Ecclesiastici Adsessori graviss. tum temporis à Græcæ Ebrææque linguæ Professione Publica ad Pastoratum atq; ἐφορίαν Sundershusanam in Comitatu Svvartzburgico abeunti, prævia legitima Philosophicæ Facultatis denominatione, ab utraque linea Saxonica Illustri successor daretur. Quanta vero fide, quanta industria, quanto studio huic muneri præfuerit, nemini non, nisi qui triduarius apud nos hospes, cognitum, & disputationes in lucem datæ oppido satis loquuntur. Cum *anno* *supe-*

ſuperiori menſe Majo Vir Excellentiſſimus atque Ampliſſimus Dn. *M. Daniel Stahlius*, Logices & Philoſophiæ primæ Profeſſor Publicus hac è vita diſcederet, poſt denominationem à Collegio Philoſophico exhibitam, paulo poſt Profeſſio iſthæc ab Illuſtriſſimis utriusque lineæ Saxoniæ Ducibus ipſi clementiſſime fuit demandata. Quanta in ipſo Theologica fuerit ſcientia, documento ſat luculento eſſe poteſt, quod non una vice ad Theologicam fuerit Profeſſionem denominatus, quam tamen ſumma modeſtia à ſe declinavit: Nihilo tamen minus ſuperioribus annis Eccleſiaſticæ viſitationi, qua Jenenſem præfecturam & diœceſin, in vicē Superattendentis Saxo-Vinarienſis generalis adhibitus fuit. Cæterum *Decanatûs* Philoſophici munus undecies, Rectoratus vero *Academici* ter non ſine laude geſſit. Duarum maritus Conjugum fuit. Priorem quidem, virginem pudiciſſimam *Vrſulam*, Viri ampliſſimi & jurium bene gnari Dn. *VVolffgangi* Freyers/ Reipubl. hujus loci oppidanæ Syndici filiam, Viri vero Ampliſſimi, Prudentiſſimi, Conſultiſſimi Dn. *Andreæ Hübneri*, Conſulis hujus oppidi, ex filia *Vrſula* neptem, duxit *anno* cIɔ Iɔc XXVII, menſe *Februario*: ex qua ſuſcepit filios tres, *Paulum Andream, Anno* cIɔ IɔcXXXIII. *menſe Aprili* defunctum, *Iohannem*, qui in nupero hujus anni Parentis Decanatu Menſis *Martii die* XXVII. *Magiſterii* honore ſuo ex merito eſt decoratus, *Paulum* juniorem, qui *anno* cIɔ IɔcXXXVI. XXIII. *Ianuar.* natus, inſequentis *Martii* menſis *die* V. rurſus denatus: & filias duas, *Annam Mariam, anno* cIɔ Iɔc XLIIX. *die* XX. *Novembr.* Viro Ampliſſ. atque Excellentiſſimo Dn. *M. Iohanni* Friſchmuth/ tum quidem Scholæ oppidanæ Rectori, jam vero Græcæ & Orientalium Lingg. Prof. Publ. ordinario elocatam; ex qua neptes duæ & totidem nepotes avum ipſum fecere: & *Annam Chriſtinam*, *anno* cIɔ IɔcXXXIV. menſe *Septembri* natam, at *anno* cIɔ IɔcXXXV. XVII. *Februar.* rurſum his terris ereptam. Hac conjuge priore *Anno* cIɔ IɔcXXXVI. Menſis *Maji die* XII. à latere ipſius, poſtquam febri ardenti aliquot ſeptimanas decubuerat, abrepta, in triſti viduatu quadriennio & menſibus fere ſeptem tranſactis, poſteriorem conjugem, viduam jam mœſtiſſimam, tum virginem laudatiſſimam, *Barbaram Catharinam*, Viri prudentiſſimi Dn. *Henrici Ringleri*, Reipubl. hic loci oppidanæ Judicis filiam relictam, copulandam ſibi curavit; ex qua parens fuit factus tum filiorum trium, *Gothofredi*, *An-*

no cIↄ IↄcXLI. XXXI. *Octobris* nati, at Calendis Xbribus rursus ablati, *Iohannus Philippi*, XXIV. *Febr. A.* cIↄ IↄcXLIX. & *Iohannis Adriani, anno* cIↄ IↄcLIII. XXV. *Sept.* natorum, tum filiarum quatuor. *Evæ anno* cIↄ IↄcXLIII. mense *Iunio* genitæ, at 2. *August.* rursus defunctæ, *Barbaræ Catharinæ, anno* cIↄ IↄcXLV. mense *Aprili* natæ, cum fratribus duobus *Iohanne Philippo* & *Iohanne Adriano*, quamdiu visum Deo fuerit, superstitis, *Annæ Elisabethæ, anno* cIↄ IↄcXLVII. XXX. *Iulii* die natæ, at *Augusti* mensis *die* XXIV. rursus demortuæ; & *Reginæ Mariæ, anno* cIↄ IↄcLI. IV. *Septembr.* natæ, sequenti autem *anno* cIↄ IↄcLII. rursus defunctæ. Reliqua ejus vita pietatis fuit plenissima, frequenti Ecclesiasticorum Conventuum visitatione & S. Synaxeos devota usurpatione, non solum integra dum adhuc esset valetudine, verum etiam ipsa deficiente; nam aliquoties id temporis & cumprimis ante septimanam geminatam ea est usus: testibus sat veracibus. Addimus & hoc: In ista invaletudine perquam sæpe de vitæ hujus miseriis & ærumnis conquestus, alterius vitæ possessionem serio anhelare & esse cum Christo suo cupiit. Quod desiderium suum eo ipso quoque ostendit, quod non tantum domi Sacram Cœnam flexis poplitibus devote acceperit, cum ante à Deo ter Opt. Max. ardentissimis precibus peccatorum remissionem flebiliter petiisset, verum etiam mature sepulturę locum in templo Michaëlitico sibi elegerit atque acquisiverit. Domui quoque suæ ad monitum Esaiæ Prophetæ cito disposuit, ad mortem quandocunque advenerit præparatus ut foret. Morbum itaque mortis prodromum ipsamque mortem quod attinet, aliquot per annos habere male cœpit, laborans modo capitis dolore, modo contumaci dolore ischiadico, ut & aliis hypochondriorum affectibus, à quibus tamen legitimo medicamentorum usu, divina favente gratia, liberatus fuit: *Anno* superiori, vere adolescente, sanguinis serum per loca convenientia cruentum per dies aliquot cœpit emittere; Eo symptomate cessante XXIIX. *August.* insultu apoplectico circa horam IX. matut. correptus est tam forti, ut tum vox, tum mentis operationes pleræque turbarentur, quæ vero variis iisque generosissimis remediis & auxiliis adhibitis, Deo benedicente, paulatim rediere, ut in publicum prodire ipse iterum, bonaque revalescentiæ spes apparere cœperit. Vere autem hoc anno ineunte paroxysmus, leviter tamen, semel atq; iterum rediit, à quo denuo remediis consuetis fuit

libe-

liberatus. Die autem proxime superiori XXII. mensis hujus, postquam aliquot diebus præcedentibus sat bene habuit, *circa XI. pomeridianam* præter spem paroxysmus ingruit fortior, supervenientibus artuum convulsionibus, qui post horam IIItiam recrudescens, vitæ tandem finem minatus, qui intra horam VII. & IIX *vespertinam* præsente Ecclesiæ Diacono Seniore, Viro Reverendo & Clariss. Dn. *M. Adriano Beyero*, Ecclesiasticam ipsi benedictionem impertiente, & cum astantibus preces fundente obtigit, placide obdormiscenti, cum antea interrogatus, an in Christi merito fiduciam suam locaret, cùm voce tùm manu cordi admota annuerit. Exsequiæ *hodie* ad ipsam *hor. II. pomerid.* ducentur, ad quas cohonestandas nostræ subjectos jurisdictioni eo minori verborum compendio hortamur, quo de majori eorum ultimum hoc honoris officium Professori ac Præceptori optime merito, & in solatium mœstissimæ Viduæ, liberorum, generi, Professoris Publici optime de juventute scholastica merentis, idipsum præstandi, promtitudine certi sumus. P.P. XXV. Junii Anno cIↃ IↃcLV. *Concio funebris* Eidem habita fuit, ex *Apocal.* XIV, 13. à *Christiano Chemnitio*, SS. Theol. D. Past. & Superint. Jenensi.

EPICEDIUM.

SLEVOGTO triplices secuerunt fila sorores.
Inde gemit penito Phœbi cortina recessu:
Suavisonos cithara numeros, & amabile mutans
Carmen: Delitium sibi dulce queruntur ademtum
Pansophiæ, & magnus variarum præses Apollo
Linguarum valde tristatur, flebile fatum
Tam chari capitis revocans ad pectoris ima:
Qualis Ityn dolet abreptum sibi Daulias ales.
Et merito: seu prorsa loqui, seu versa pararet:
Excuteretve novi, veteris seu fœderis arcam,
Non nisi mellifluo promebat nectare verba.
Non turgebat eo ventosis pagina nugis.
Omnia Nestoreo manabant flumine rerum.
Nos etiam violas & lugentes hyacinthos
Urnâ inspergimus & nardi fragrantis aristas,
Et gemitus, & cordis extremo suspiria pulsu
Adferimus simul, & vivacis carmina secli.

GVERNERUS ROLFINCK.
Phil. & Med. D. P. P.

EPI-

EPITAPHIUM.

Cuncta eruditionis heic penarium,
Illustre Salanæ decus columnaque
primaria, & Sophici Chori ingens gloria,
Sicilice mortis, nemini homini parcere
guara, rejectus, conditus SLEVOGTIVS
jacet. Sed haud omnis. Tegit quæ corporis
sunt umbra, humus. Vivit recepta anima polo
inter beatos gaudiorum particeps
perennium: E scriptis laboreque improbo
enata, totius orbis oras pervolat
mansura, fama, quamdiu mortalium
superat genus. Qui transiens tumulum aspicis,
Voto jube, precare, calido, corporis
suo in cubili ut membra molliter cubent,
revocata donec ultima mundi die
animæque juncta rursus, æternæ incolant
tempe salutis ac beatitudinis.

PHILIPPUS HORST. P.P.
Facult. Philos. & totius Acad.
Senior.

SCRIPTA.

Pervigilium de dissidio Theologi & Philosophi in utriusque principiis fundato, editum à L. N. S. D. *Gansanii* 1623. in 4.

Id vero (scribit Pl. Reverendus Dn. Spizelius in Templo Honoris reserato) *non nisi ingenii exercendi gratia conscriptum, & citra authoris voluntatem publici juris factum fuisse constat.*

Disputationes Academicæ, cum Philosophicæ, tum Philologicæ, quarum 1. De Prædicatione. 2. De contradictione. 3. De ratione generica entis in ordine ad inferiora. 4. De differentia inter Substantiam & Accidens. 5. De quibusdam quæstionibus Logicis. 6. De ente rationis. 7. De entis finiti ratione formali. 8. De esse possibili. 9. De universali ante rem. 10. De Dependentia. 11. De lumine Naturæ in divinis, & iis rebus, quæ ad religionem pertinere videntur. 12. De Supernaturali. 13. De principio Syllogizandi in divinis. 14. De primo conceptu Dei, nostro intelligendi

di modo. 15. De Ubiquitate essentiæ divinæ. 16. De Ubiquitate operationis divinæ. 17. De Ubiquitate Dei, ratione Scientiæ ac Visionis. 18. De Creatione in genere, prima. 19. De creatione in genere, secunda. 20. De creatione in genere, tertia & ultima. 21. De creatione primi hominis, contra Hebræos, prima. 22. De creatione primi hominis, contra Hebræos, secunda. 23. De identitate potentiarum vitalium inter se & cum anima. Sequuntur Dispp. Practicæ & Philologicæ, quarum 1. De Indifferentia Voluntatis humanæ in ordine ad Actiones morales. 2.3.4.5. de Eadem. 6. De Causa morali. 7. De Voluntario. 8. De Peccato morali. 9. De Civitate materialiter considerata. 10. De Civitate, ratione formæ considerata. 11. De potestate Legis in Rep. 12. De Metempsychosi Judæorum. 13. De morbis & doloribus Messiæ. 14. De Proselytis Judæorum. 15. De Anno Jubilæo & ejus juribus apud Hebræos. 16. De Hellenistica, qua unico exemplo maximus linguæ Hellenisticæ usus in Interpretatione scripturæ ostenditur. *Jenæ* 1656. in 4.

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
Indicit
Funus Clarissimum
Viri Amplissimi, Excellentissimi, atque Experientissimi

DN. D. ANDREÆ RIVINI,

Poës. & Physiol. Prof. Publ.

NON apud Christianos duntaxat, sed & Gentiles extra pomœria Ecclesiæ constitutos εὐθανασίαν votorum fuisse metam, literarum monumentis informamur. Gentiles εὐθανασίαν in cita morte, quam prodromi nulli morbi, dolo-

dolores, metus, angores & similes asperabant, exemplo CÆSARIS, qui repentinum mortis genus pridie illius diei, quo viginti tribus in Curia vulneribus inflictis tollebatur, exoptabat, pro sapientia sua, sed humana, collocabant. Inde Symboli loco ipsi adscribitur: *Semel, quam semper*. Similem εὐθανασίαν, licet non in eodem mortis genere, qua remotis istis terrificis anteambulonibus, in breve suspirium mors terminatur, (ut delenifice Petrarcha in suo cum Laura sua defuncta colloquio de morte plus quam suavi loquitur,) AUGUSTUS Imperat. sibi precabatur. Aliam in SALVATORIS scil. per fidem complexu rebus mundanis valedicere, quodq; mortale nobis à natura datum est, in manus ipsius deponere, Christiani didicerunt. Hæc εὐθανασία mortis amaritiem edulcat, & absinthium, quod ipsi admixtum gentilibus omnibus degustandum, in saccharum convertit. Manet gentilibus, quorsum etiam se converterint, mors omniũ terribilium terribilissimum, ea saltem parte tolerabilior, quod superventu celeriore terror antecedens quibusdam citius decurtetur; cum Christianis SALVATOREM suum fide amplexis dulce lucrum, placidus somnus & Paradisi vestibulum exista t. Utraq; εὐθανασία nudius sextus obtigit Viro Amplissimo, Experientissimo & Excellentissimo DN. ANDREÆ RIVINO, Phil. & Med. Doctori, C. P. Cæsareo, Professori Physiologo nominatissimo & Poëtices meritissimo, Collegii Principum minoris Collegiato, & Academiæ Decemviro, Viro in omni politiore literatura versatissimo, & tum scriptis in Salivam publicam emissis, tum informatione studiosæ juventutis à multis annis celeberrimo. Prior quidem, cum diu lecto non fuerit affixus, sed ut Petrarcha dicto loco, (quem ὁ Μακαρίτης noster anno abhinc undevigesimo in exequiis fœminæ cujusdam nobilissimæ ex Italico feliciter transtulerat) loquitur, per breve suspirium solutus theatrum hoc mundanum destituerit. Posterior, cum in verâ SALVATORIS agnitione, fideq; in ipsius meritum collocata, quam gemitibus ardentissimis & impetuosissimis luculenter satis expressit, ex hujus mundi fluctibus καλὰ χιασμὸν confligentibus ad æternæ tranquillitatis portum appulit. *In Pace jam factus est locus ejus, & in Sion habitatio ejus.* Ut quietem hanc ipsi gratulamur: ita Viduæ mœstissimæ & prolis septenæ vicem ex animo dolemus, Deum precantes, Patrem orphanorum & viduarum ipsemet agere, vulnus inflictum consolidare, post nubila Phœbum reducere, ruinas ulteriores ab Academiæ

fulcris

fulcris avertere, nosq; in media vita morte cinctos veram & Christianam εὐθανασίαν docere, tandemq; decurso vitæ stadio nos quoq; eadem dignari propitius velit. Si dona ingenia, quibus Deus hoc organon præ multis aliis exornaverat & instruxerat, spectamus, BEATUM nostrum RIVINUM, quantum ad humaniores præsertim literas, Academiæ hujus luminibus accensendum esse, non inficiamur: unde quæ potius in volumen, quam chartam hanc irent, de vitæ cursu in studiis laudabiliter & exemplariter confecto, nobis essent dicenda: verum cum non omnia, præsertim in ætatis vere peracta, pervenerint ad manus nostras, & brevitati litandum sit in ejusmodi funerum indictionibus, prima saltem lineamenta ducemus, colores vivos aliis superinducendos committentes.

Lucem hanc adspexit ὁ Μακαρίτης in Salinis Saxonicis anno currentis seculi primo 14. die Octobris, sed salinas istas quis ignorat? Si cætera sicco pede prætereamus ornamenta, hoc tamen non est reticendum, quod ille locus verbi cœlestis lumen à Luthero accensum celerius arripuerit, ardentius retinuerit, constantius conservaverit ministerio fidelissimo JUSTI JONÆ, ERASMI SARCERII, SEBASTIANI BOETHII, JOHANNIS OLEARII, ANDREÆ MERCKII, ARNOLDI MENGERINGII & GODOFREDI OLEARII Ephororum. Patrem sibi habuit cognominem, ad annos triginta plus minus ejusdem urbis Senatorem, Virum bonum, civili & militari laude clarum. Militavit enim in juventute sua per sexennium integrum in Pannonia & Belgio contra Christiani & Evangelici nominis hostes infestissimos & hæreditarios. Hunc senio confectum intra suas ædes recepit ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, & postquam ἀντιπελάργησιν per biennium & amplius ipsi persolvisset, rebus humanis exemptum honorifice in templo Academico, quatuordecim abhinc annorum spatio sepelivit. Matrem habuit antiquæ virtutis exemplar DOROTHEAM, ex familia KREBSIORUM apud Halenses ampla & perantiqua, JEREMIÆ de COMPASCUIS viduam. Puerilis educatio pia fuit & accurata, cum singulari devotione studiis liberalibus destinata. Placuit ingenium Informatoribus, ut nihil non laudabile de illo sibi & Parentibus promitterent. Pater, quia sobole numerosa fuerat auctus, filium hunc suum à studiis liberalibus abstractum arti alicui lucrosæ consecrare animum induxerat. Verum ab hoc incepto destitit autoritate suasuque

Magni-

Magnifici quondam Amplissimi & Consultissimi Viri DN. LEOPOLDI HACKELMANNI, tunc temporis Archi-Præsulatus Magdeburgici Cancellarii, qui rem eo deduxit, ut Pater sumtus ad continuandam studiorum telam, quam feliciter orsus erat Filius, suppeditaret. Fuit Vir hic Magnificus θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, rebus conclamatis τοῦ Μακαρίτου interveniens tempori, & impedimenta bono publico per hoc Patris consilium injicienda tollens. Accidit brevi post, ut Parens orbaretur sobole universa, grassante pestis ibidem contagio, Filio hoc unico sibi relicto, in quo paternum affectum pleno, quod dicitur, sinu effunderet. Inde filius factus animosior, & veluti virgula divina excitatus, ex quibus studiis gloriam aucupatur, in iis fuit totus & unus, amœnioribus scilicet, quibus severiora condiuntur, donec ex Gymnasio patrio satis celebri, bene jactis prius fundamentis, in Academiam concederet. Prius autem in matriculam hujus Philyreæ receptus est Rectore Magnificentissimo DN. DN. JOHANNE PHILIPPO, Saxoniæ Duce Illustrissimo, ProRectore cum honoris præfatione jam dicto, DN. LEOPOLDO HACKELMANNO, Juridicæ Facultatis tunc Ordinario, & Decretalium Professore Publico, studiorum suorum, quod fausti ominis loco semper habuit, veluti Phosphoro. Studio Medico se addixit præcipue, concessitque Jenam, junctis sibi tribus Concivibus Philiatris, ut studiorum suorum incrementa in isto loco caperet. Non otio marcuit, aut Vacunæ litavit ibidem, sed Medicis ac Philosophis οὐ πονηροῦ ὄμματος καὶ κόμματος, JOHANNI BRENDELIO, & ANTONIO VARO, indivulso nexu adhæsit. Huic vero Academiæ concorpor factus studiis Philosophicis, quæ noverat ansas Medici, totus incubuit, præsertim cum de prensandis honoribus in iisdem Consilium cepisset. Certus itaque solidam eruditionem non ex aëre captari, nec ex Præceptoribus duntaxat mutis addisci, sed ex viva docentium voce melius hauriri, ad pedes Dominorum Professorum indefessus sedebat, nec ab iisdem dimovebatur, donec anno currentis seculi vigesimo quarto primam, subsequente vigesimo quinto supremam in studio Philosophico lauream, summo cum Parentis gaudio & bonorum applausu deportaret. Interea tamen studii Medici, quod semel complexus fuerat, curam non abjecit, sed diversarum sectionum corporis humani à Medico celeberrimo, tum temporis Professore Anatomico, postmodum Archia-

tro

tro Electorali Saxonico Dn. D. JOHANNE RUPERTO SULTZBERGERO administratarum exercitiis interfuit; id agens, ut indies se ipso melior evaderet. Cum vero non omnis ferat omnia tellus; & cuique terræ suæ sint gemmulæ, cœlum imitari; & ad exteras quoque gentes excurrere cœpit. Ut genio loci sæpe respondent ingenia, Viros Excellentes passim locorum offendit, quorum non colloquium duntaxat, sed & visum magni æstimavit. Quomodo celebratissimas Germaniæ urbes oculis & animo usurpaverit, ligerum regnum perlustraverit, Britanniam penetraverit, Belgium intimius perspexerit, impræsentiarum commemorare longum esset. In eo se jactabat præcipue; quod Clarissimos Philologos, PETRUM BERTIUM; DANIELEM HEINSIUM & PETRUM CUNÆUM, nec non Medicos experientissimos, Lutetiæ quidem BELLI QVERCETANUM & ANTONIUM CARPENTARIUM, in Academia Batavorum ÆLIUM EVERHARDUM VORSTIUM, Professorem primarium; & Botanicum non obscuri nominis, OTTONEM HEURNIUM, & GILBERTUM JACCHÆUM; quorum omnium summam eruditionem & humanitatem prædicabat, sibi familiares habuerit, & ab iisdem profecerit. Quantumvis autem exteros admiraretur, ipsorumque memoriam Sacrosanctam haberet, NOSTROS tamen meliori semper loco habere solitus est. Ut ita redux domum factus inter honoratiores aliquando locum obtineret, & ad altiora sibi semper pararet aditum, Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in hac Academia sibi demereri studuit gratiam. Pro loco vero in eadem obtinendo duas Disputationes Philologicas eruditione varia refertas, de Pædogerontagogo; quibus etiam futuræ famæ vadum tentavit, habuit. Interea Civitati Imperiali Northusæ, cui per hæc egregia specimina innotuerat, suam operam locavit in triennium ad gubernanda juventutis studia in Gymnasio ipsorum haud ignobili; cui præfuisse aliquando scimus JOHANNEM REGIUM, SS. Theol. Licentiatum, Organi Aristotelici acutissimum Interpretetem. Exacto, ut pactum fuerat, triennio, rediit majore laude cumulatior; locumque prædictæ Facultatis anno trigesimo primo seculi currentis non difficulter obtinuit. Inde factum, ut officiis publicis paulatim adhiberetur, fieretque particeps honorum & dignitatum, quæ Ordinis istius propriæ sunt ac præcipuæ. Decanatus officium quater, anno trigesimo quinto, quadra-

gesimo primo, quadragesimo septimo, & quinquagesimo tertio cum insigni studiorum communium emolumento gessit. Procancellariatus munus in creandis novis Magistris bis anno scilicet trigesimo sexto, & quadragesimo octavo ἰσχυμόνως sustinuit. Ad Professoriam dignitatem, (quam locus in consilio perpetuo sequebatur) prævia Facultatis Inclytæ Philosophicæ denominatione subjectissima Sereniss. PATRIÆ PATRIS gratia fuit evectus anno trigesimo quinto, cum sparta Poëticæ Professionis, ipsi ornanda demandaretur. Ornavit hanc etiam scriptis & informatione studiosæ Juventutis dexterrima, quamvis ad altiora simul studia velis & remis contenderet. Honoratissimæ præterea Societati Collegiatorum adscitus est anno trigesimo sexto singularis benevolentiæ causa, & ut laborum suorum inde caperet honestam quandam remunerationem. Fasces Rectorales bis, anno trigesimo nono & quadragesimo quinto ad BEATUM nostrum RIVINUM fuerunt delati: quo ipso anno posteriori Dominorum Nationalium votis & suffragiis in locum Dn. M. CONRADI BAVARI p.m. Concivis & in Poëticâ Professione quondam Antecessoris sui Decemvir creabatur. Commemorare novimus τοῦ Μακαρίτου, quâ humanitate ipsum complexi fuerint Medici præstantissimi præter eos, qui supra nominabantur: Enchusæ, urbe Hollandiæ primaria BERNHARDUS PALUDANUS; Chiloniæ in Holsatia WENDELINUS SIBELISTIUS; Argentinæ JOHANNES ADOLPHUS Ringelstein; in patria LAURENTIUS Hofman & MATTHÆUS Unger/ & alibi plures alii, ut vel in Parisiensi, vel Patavina, vel Oxoniensi Academia titulos & honores summos sibi oblatos reportare potuisset. Verum ad hanc Philyream subinde respexit, in hac inclarescere cupiit, huic se reservavit, huic studia & vitam suam omnem consecravit. Quare quæ calculum album totius Collegii Medici hoc in loco merentur, conari cœpit omnia, cumque Lectione publica, disputatione gemina, & quibus poterat ac debebat modis suam industriam & profectus laudabiles dicto Gratiosissimo Collegio probasset, Licentiæ honorem anno trigesimo octavo, quem Doctoralis anno quadragesimo quarto excipiebat, non sine applausu fuit adeptus. Hic ipse gradus ad Professionem Medicam Physiologicam, quam anno superiore singulari Clementia Serenissimi nostri obtinuit, fuit accessus. In his sibi demandatis officiis talem se

gessit,

gessit, ut singularis eruditionis raræ & præclaræ specimina exhiberet plurima, suumque nomen immortalitatis albo inscriberet. Privatam vitam quod concernit, primam vitæ sociam sibi junxit CATHARINAM ELISABETHAM BERGERIAM, Virginem lectissimam, Dn. M. HIERONYMI BERGERI, Quæstoris Sceudicensis filiam, anno trigesimo secundo, cum qua jugum commune vix aliquot septimanarum spatio traxit. Exacto vero viduitate sexennio ad secunda vota transiit, sibiq; jugalem fœminam florentissimã, ANNAM ELINGERIAM, Dn. WILHELMI AVIANI, Phil. Fac. Assessoris & Scholæ Thomanæ Rectoris, Viri Clarissimi, viduam relictam adscivit, ex qua sex liberorum, quatuor masculorum; duarum sexus sequioris parens factus, CAROLUM THEDOSIUM novendialẽ ann. 39. ANNAM DOROTHEAM ferè bimulam, & CAROLUM HILDEBERTUM trimestrem anno quadragesimo secundo præmisit. Patri vero superstites ex secundo matrimonio in vivis agunt CLARA ELISABETHA, MARCUS ANTONIUS, & HEINRIC. JULIUS, quos divinæ gratiæ ac protectioni commendamus. Tandẽ anno quinquagesimo, viduitatis tertio, Virginem prosapiæ celebritate, virtutumq; laude commendatissimam CATHAR. ELISABETHAM, Viri perquã Rev. & Cl. Dn. M. TILEM OLEARII, Ecclesiæ in Salinis Saxonicis Symystæ fidelissimi filiam, Doct. JOH. OLEARII, Superintend. istius loci adhuc decantatissimi neptem, & D. TIL. HESHUSII, Theol. de Eccl. meritissimi, proneptẽ, sibi σύζυγον feliciter junxit. Inter hosce conjuges suavissima fuit animorum conjunctio, pignoribus quatuor, tribus filiolis; QVINTO SEPTIMIO FLORENTE, AUG. QVIRINO, TILEM. ANDREA, & una filiola EVA MARIA, (quos omnes paternæ & avitæ pietatis hæredes & usufructuarios exoptamus,) obsignata. Tota ipsius vita quotidianis pietatis exercitiis inprimis rerum sacrarum meditationibus, fuit destinata, prout olim etiam Theologi summi D. HEINRICI HOPFNERI, Collegiorum pars aliqua fuit. & quas reliquit, meditationibus piis 59. stylo partim Latino, partim Germ. confectis, nec non septem Christi verbis, septem petitionibus Orat. Dominicæ applicatis, testatum fecit. Ut bono publico velificaretur, & proximo καθδύναμιν inserviret, id vel inprimis sibi dictũ putavit. Vitę usurã prolixiorẽ intercepit catarrhus suffocativ9, quem ἀγρυπνία, viriũ defectus, asthma & prodromi similes antecesserũt. Licet a. nullis mediis & remediis hîc fuerit parsũ: ea tamen viriũ fuit prostratio ut morbo succum-

beret natura. Id quod factum proximo parasceves die post auditam octavam, cum prius à Domino Confessario vivis e rectus solatiis, à quibus se læsum putabat, ignovisset, domui suæ disposuisset, & misericordiam divinam, Salvatoris sui merito nixus indesinenter invocasset, completo ætatis anno quinquagesimo quarto cum semisse. PAX IPSIUS ANIMÆ. Dormitorio suo exuviæ inferentur hodierno die post auditam primam pomeridianam. Quarum conductui ut frequentes intersint Nostri, gratitudinem erga Præceptorem suum declarent, honoratissimæ familiæ dolorem quadantenus levent, & fragilitatis humanæ recordentur præsentibus jubemus. P. P. 9. April. anno M DC LVI.

EPITAPHIUM

Lipsiæ positum ad D. Pauli.

Ossibus in nostris quisquis transiveris ista
Sortem cerne tuam, quod sum eris; es quod eram;
Vita ut bulla fugax levis utque evanuit umbra;
Mens ceu stella manet sole corusca suo,
Est ab humo omnis homo, fumus aqua sorte proinde;
Sive premamus humum, sive premamur humo.
Hic cubo RIVINUS Vates Medicusque Sophusque,
Humana & Criticus si quis ab arte potens.
Hic cubo, cujus erat conceptio culpa parentum,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.
Hic cubo Iova cui Pater, estque Ecclesia Mater,
Frater IESUS, Herus SPIRITUS, Alma TRIAS.
Crux soror, obstetrix HALA, mundus & hospes & hostis,
Terra Domus, cœlum Patria, cuncta DEUS.
Proximus Agnatus genius bonus & malus adstes,
Conscia mens, uxor liberi erantque libri,
Posthuma spes Gnata & nutrix revocatio ab umbris
Sol utriusque obiens obses eratque Oriens.
Sero etiam sed ter socialia pacta subivi,
Septem habui hinc Gnatos, tres quoque filiolas.
Mentem, corpus, opes, genius, Vespillo, propinqui,
Fert operit, legant, atheri, humo, studiis.
Tu Lector, siquidem livor post fata quiescat,
Vivo aberat, si pax pace precare cubem.

Ab. A. D. M DC LVI. Prid. Non. April.
Vix. Ann. LIV. M. V. D. XVIII.
In pace dormiam & requiescam.

SCRI-

SCRIPTA.

Cœlum terrestre Poëticum septilingue. *Lipf.* 1631. in 12.

Anthologia Epigrammatum Veterum Græco Latina, è pluribus quam DC. Auctoribus Collecta. *Lipf.* & *Gotha* 1651. in 8

Pervigilium Veneris, seu Carmen priscum de Vere. *Francof.* 1644. & *Lipf.* 1644. in 4.

Cœna Cypriani dubia per Maturum Lotharii Cæsaris Ministrum. *Lipf.* 1650. in 4.

Vespæ judicium de primatu Coci & Pist. *ibid.* 1650. in 4.

Pædogerontagogus cum lyra Mercurii. 2. Mæcenas. 3. De Duello. 4. De Contributionibus. 5. Miscellanea. 6. Lanx satura. 7. De peste. 8. De Venilia Salacia item Malina & Liduna, seu de æstu marino. *ibid.* 1645. & 1650. in 4.

Diatribe Majana Exoterica de Panegyricis Majumis, Maicampis & Roncaliis, Majalibusque aliis. *ibid.* 1651. in 4.

Rei Hortensis & Botanicæ Scriptores metrici: Columella, Palladius, Walafridus, Macer, Sammonicus, Marcellus & Salernitani, cum variis variorum, sed veterum, eadem de re argutis Epigrammatis hinc inde congestis. *ibid.* 1653. in 8.

Duûm Victorinorum, Pictavensis & Afri, Sanctæ reliquiæ. *ibid.* 1653. in 8

Q. Septimi Florentis Tertulliani Opera Poëtica omnia cum Animadversionibus, junctis Poëmatis, quæ Cecilii Cypriani esse perhibentur. *Lipf.* 1653. in 8.

Florilegium Græco-Latinum diversorum Epigrammatum veterum è CCLXXVII. Auctoribus Græcis ab Agathia Scholastico & Maximo Planude jam olim Collectorum; recens vero à CCCXXX. Latinis Poëtis, Carminibus totidem translatorum. *ibid.* 1651. in 8.

S. Orientii Illiberitani Episcopi Versus Commonitorii floridissimi restituti & emendati. *ibid.* 1651. in 8.

Dracontii Hispani libellorum biga, quorum prior Hexaëmeri titulo pridem, sed mutilus, Heroico metro, al-

ter Elegiaco prodiit: Novis notis aucti & illustrati, *ibid.* 1653. in 8.

Damasi I. Pont. Max. carmina sacra, *ibid.* 1653. in 8.

Psalmi, hymni & carmina sacra Gallicorum Scriptorum & Episcoporum, Drepanii Flori, Theodulphi & Jonæ Aurelianensium, Moduini Hedui, Laidradi & Agobardi Lugdunensium, cum notis. *ibid.* 1653. in 8.

Dracontii & Eugenii Toletani Carmina sacra, *ibid.* 1653. in 8.

Accii & Aviani Centuria Apologorum Æsopicorum. *ibid.* in 8.


Fl. Cresconii Corippi scripta de gestis Justini Minoris Augusti. Hildeberti Cenomanensis opera omnia cum notis. *ibid.* 1653. in 8.

De Christi JEsu beneficiis & laudibus L. Cæcilii Lactantii, F. Merobaudis, Hispani incerti Constantino ævo Auctoris, Rustici Elpidii & Amæni Diptycha. *ibid.* 1653. in 8.

Paschasii Ratberti, Abbatis Corbejensis, carmen geminum cum notis. Cui accedunt Engelmodi Episc. ad Ratbertum versiculi, & Petri Damiani de gloria Paradisi, nec non Sibyllæ Erythrææ Acrostichi. *ibid.* 1653. in 8.

Quodnam ista per Folia proscriptio fuerit medium, quodque non magis civile quam Ostracismus Excellentissimos Viros in ordinem cogendi extiterit remedium, *ibid.* 1654. in 4.

De Pollinctura sive Balsamatione Cadaverum, *ibid.* 1655. in 4.



HISTO-

HISTORIA
VITÆ ET MORTIS
JOACHIMI JUNGII,
Mathematici Summi, cæteraque incomparabilis Philosophi.

Auctore

MARTINO VOGELIO,
Hamburg.

JOACHIMUS JUNGIUS M. NICOLAI, Scholæ Lubecensis Præceptoris, filius, ex BRIGITTA HOLOMANNIA, Viri Rever. JOACHIMI, filia, Pastoris ad Templum Cathedrale Lubecensium, natus est Lubecæ anno superioris sæculi cIↄ Iↄ LXXXVII. nocte inter XXI. & XXII. Octobr. media, præcise audito primo quadrante post primam, notabili charactere temporis. Insignis enim est hic annus MARIÆ SCOTORUM cæde.

cIↄ Iↄ LXXXIX. Pater ei matura nimis & violenta morte eripitur. Cum enim ex convivio lætus domum pergeret, gladio eum invitus quidam conficit, adversarium suum hunc esse ratus. JOACHIMUS vero Præceptoribus Scholæ patriæ in disciplinam traditus fundamenta jecit linguarum qualiacumque. Αὐτοδίδακτος potius jam tum grandes ingenii vires cœpit ostendere, cum propter domesticam rem tenuiorem ad Academias ei non continuo liceret transire. Uni tamen *Drinchanio* aliquid se debere aliquando fatebatur. Cum Rectori viro non indocto sophisma hoc, in *Logicam* quoque *Hamburgensem* transscriptum objecisset; *Si nullum tempus est, nox non est; Si nox non est, dies est; Si dies est, aliquod tempus est; Erg. si nullum tempus, aliquod tempus est*; Rector non statim quidem ad illud recte respondere valuit, (pro Sorite enim negativo hoc sophisma habebat, qui à nonnullis tanquam illegitimus argumentandi modus ex Logica ejicitur) postero tamen die deprehensa fraude, quam secunda sibi struxerat propositio, primam suam responsionem jure à JUNGIO repudiatam publice attestatus est. Repudiaverat autem JUNGIUS, quod nec prima nec secunda nec ultima propositio negantium nomine ap-

pellari possent, & inde Soriten negativum non redderent. Hujus rei memoriam commendando JUNGII ingenio Gissa postea præsens usurpavit, quamvis non existimaverim doctissimum virum, quod ex *Fonseca Instit. Dial. l. 8. c. 15.* sophisma hoc accepisset ignoravisse. *Tragœdias* etiam fecit valde adolescens, & condiscipulis suis *Rami Dialecticam* prælegendo explicavit.

cIɔ Iɔc V. *Orationem* conscripsit *adversus Artem Oratoriam pro vera & sana Eloquentia*, non ut solet fieri persona accusatoris assumpta.

cIɔ Iɔc VI. ætatis 18. cum dimid. XXI. Maj ad capessendam uberiorem ingenii culturam Rostochium venit. Cœpit *Suaresii Metaphysicam* impensius evolvere, diligentiæ notis etiamnum superstitibus, usus Præceptore *M. Ioanne Slekero Pomerano*, sub cujus præsidio primum de *Naturali Dei cognitione* eodem anno, deinde *de Potentia Activa*

cIɔ Iɔc VII. mense Nov. theses publicæ ventilationi exposuit. Sensim autem cum ad Mathematica præstantius iter pergeret, quantum scientiæ suis cultoribus Metaphysica promittat, sagaci industria subodoratus est.

cIɔ Iɔc VIII. Giessam X. April. ingreditur, ubi

cIɔ IɔcIX. ætatis 22. liberalium artium Magister factus una cum aliis, inter quos ipse primum locum habuit, *Stahlius* quartum. Apud hunc, ut obiter istud adjiciam, paucæ quædam JUNGII schedæ tantum faciebant pretii, ut eas non nisi cum intimis suis communicaret. Cujus tamen viri veneratio in Germaniæ Academiis satis magna est, ut philosophastris tam sinistre de nostro judicantibus merito obstruere os valeat. Sed redeamus, unde digressi sumus. Cum constitutum ei paulo ante fuerat, portum eum in quo semel ratem suam sacro morsu fixurus esset, recta tandem via petere, incitatum cursum paulum deflexit Academiæ Giessensis decretum, quo ipsum nihil minus cogitantem circa Martini festum in Professoris Mathematum *Nicolai Hermanni Franci* locum sufficiunt, qui ante mensem circiter supremum diem obierat, relictis (quod ὡς ἐν παρόδῳ) de ingenii sui monumentis *Arithmeticæ Practicæ libris sex*.

cIɔ IɔcXII. 14. Junii Francofurti solennitates in Electione & Coronatione MATTHIÆ spectavit.

VVolfgangus Ratichius Saxo circa hæc tempora XIII. fere annos in reperienda ratione linguas & artes expeditius addiscendi laboraverat, communicato suo proposito cum

qui-

quibusdam Proteſtantium Principibus. Ill. LUDOVICUS altius in fundamenta jubet inquirere *Chriſtophorum Helvicum* excellentem Theol. D. & πολυΐςορα, & *Iungium* Mathematicum, ut cum *Ratichio* Francofurti

cIɔ Iɔc VIII. coram conferrent. Natus eſt igitur Kurtzer Bericht von der Lehrkunſt *VVolfgangi Ratichii*, durch *Helvicum* & *Iungium*. Recuſa quoque *Lutheri* treuhertzige Vermahnung an die Bürgermeiſter und Rahtherren aller Städte in Teutſchl. daß ſie Chriſtliche Schulen auffrichten und halten ſollen / cum *appendice Helvici & Iungi Germanica*. Nihildum de admirandis *Vietæ* laboribus inaudierat. Quærit forte ex eo Mathematicus tum Marpurgenſis, poſt Jenenſis *Hofmannus*, an ſine numeris numerare ſciret. Quæ occaſio ita ejus animum affecit, ut *Vietam* à JCto quodam mutuo acceptum, & poſtero die reſtituendum noctu pervolverit, excerptis tamen neceſſariis, quæ reliquis proprio Marte inveniendis ſufficere putarat. Et parum ſane fuit, in quo à *Vietæo modo* abiit, ex paucis ſagaciter venatus pleraque. Non tamen hac parte ſtetit igneus Viri impetus, quo in *Vietæam analyſin* cum ſuis meditatis conferendam propendebat. Itaque per amicos *Vietæ* exemplar ut impetraret, omnem lapidem movit. Cum autem jam

cIɔ Iɔc XIV. impetrata miſſione ab officio profeſſorio Auguſtā ſe contuliſſet operatus ſtudiis potiſſimum Didacticis, *Vieta* Gieſſam ipſi miſſus Auguſtam transportatus eſt. Nulla ei potior cura quam ut deſcriberetur totus. Rarus enim erat eo tempore in Germania hic liber.

cIɔ Iɔc XV. 27. Julii Lubecam rurſus ſalutavit.

cIɔ Iɔc XVI. circa Auguſti initium Roſtochium transmigravit, & commenſalibus *HuſvvedelI* ſe adjunxit. Biennio ab hinc, id eſt

cIɔ Iɔc XVIII. peregrinandi amor & Medicinæ ſtudium ita eum incendit, ut ſummis Medicinæ honoribus Patavii ornari deſtinaret. Feliciter quoque 22. Decembris eos ibidem conſecutus *Sanctorio Sanctorio* Medicinæ Theoricæ ordinario Interprete in primo loco, duorum Profeſſ. Philoſoph. & Medicin. Præſide, Promotore *Cæſare Cremonino Centenſi* philoſoph. ordinar. in primario l. Profeſſore, viris ſatis celebribus.

Poſt peragratam Italiæ partem, & celebria quædam Germaniæ loca

cIɔ cIɔ XIX. ſub finem Auguſti Roſtochium appulit.

præsidendo disputavit. Unius disputationis ἐπίμετρον notari meretur, quod *Aristotelis locum l. 3. de cœl. t. 66.* de figuris locum replentibus partim illustrat, partim *Schegkii paralogismum* pro demonstratione venditatum exponit. Meditatus videtur fuisse sub hoc tempus & quod proxime hoc excipit rexisse SOCIETATEM PHILOSOPHICAM, cui nomina sua dedisse aliquos anno

XXXII. reperio, alios

XXXIII. quo Lubecam iverat Rostochio.

Cujus autem rei gratia præstantissimi aliquot viri coire in societatem voluerint, & nunc monstrare potest Scheda, quæ olim collegas colligere debuit. Et talis erat:

Sunt in Saxonia & ii omnes honestis vitæ studiis dediti, à quibus ratio est inventa vel abstrusissima quæq; sophismata apodictice refutandi, idque ea certitudine atque evidentia, quâ propositio aliqua Euclidea deducitur. Logicam quoque quæ nunc obtinet, tantis accessionibus locupletarunt, ut plane nova videri posset. His quasi armis confisi planissime se probaturos pollicentur, Philosophiam Iesuitarum quæ Europam pene omnem hodie occupavit, nonnisi sophisticam & meras imposturas esse, quibus illi incautis hominum animis illapsi, Pontificiæ superstitioni præsidium, sibi dominatum callidissime quærunt.

Deinde Nova permulta in Mathematicis partim affecta, partim etiam confecta habent, & inprimis, summum harum disciplinarum apicem HEVRETICAM; cujus ductu problemata amissa restituuntur, nova proferuntur, dubia firmantur; denique nobilissima hæc scientia tam copiose augetur, ut infinitis modis vitæ humanæ commodet.

Hoc amplius, viam longe expeditissimam pervestigandæ Naturæ se monstraturos profitentur, quam si quis ingrediatur futurum spondent, ut certo & absque errore ad rei propositæ metam perveniat.

Ea autem quia in permultis Observationum quasi quodam filo dirigitur, quæ sine instrumentis, operis, sumptibus constare nequeunt; adjumenta quædam ab hominum fortunatorum verique amantium beneficentia desiderat.

Verum enim vero non benigniora fata habuit ista Societas Ereunetica, quam quæ olim patrum nostrorum memoria in Anglia ab *Hugone Latomero, Grocinio, & Thoma Linacro* instituta fuerat ad illustrandam Aristotelis Philosophiam, & vertendos ejus libros, sed irrito omnino conatu,

cum

cum tamen illam Eleutherianam præ hac meliorem omnino successum meruisse, nemo libertatis Philosophicæ studiosus negaverit.

cIↄ Iↄc XXIV. 6. Februarii solenniter Rostochii Mathematum Professor renuntiatus, cum ante ut in locum *M. Ioannis Posselii* Græcas professi literas succederet, statutum fuisset.

10. Febr. Sponsam suam CATHARINAM, *Valentini Hasemanni* civis quondam Rostochiensis primarii relictam filiam domum duxit. Ex qua (sermonem omnem de ea hic absolvam) nullam suscepit sobolem, mortua Rostochii anno XXXVIII. 16. Junii, cum nec Hamburgi nec Lubecæ à melancholiæ ægritudine curari potuisset, ex quo tempore viduus semper mansit.

cIↄ Iↄc XXV. 21. Junii Helmstadii Professio Medica ei assignata. Sed vix consederat cum bellum Danicum Professores pelleret. Brunsvvigæ igitur aliquamdiu commoratus medicam artem fecit, donec anno

XXVI. Brunsvvica Lubecam, inde Rostochium secunda feria Pentecost. rediret, ubi Mathemata tum iterum publice docuit.

XXIX. Trium Regum festo Hamburgi ædes Rectoris intravit, die XIX mensis Mart. solenniter Gymnasii & Scholæ classicæ Rector designatus est.

XL. 16. Jul. Scholæ classicæ regimen deposuit, servata solius Gymnasii præfectura, & Logicæ, Physicæque Professione.

LVI. post Paschatos festum ex lapsu æger redditus claudicare quasi deinceps necesse habuit, ingruente simul senectute, nec minante sed trahente post se memoriam imbecilliorem, viriumq; ingenii decrementa, aliasque plurimas molestias. Accessit malum quod vocant hypochondriacum quod graviter sæpe senem nostrum affligebat, somniq; paucitas anno maxime

LVII. vel levissimo gallorum cantu non dicam turbati sed plane oculis excussi, ut ædibus ad tempus mutandis primam suggereret deliberandi rationē caniculari præsertim instanti tempore. Per vices tamen bene valuit, bene dormivit. Cum in ædes suas remissiore æstu iterum immigrasset, ex alio lapsu caput dolere conquestus, novum sibi impendere morbum sensit, & hunc fatalem. Ad Christum igitur spirabat unum, & huic Apostoli illo: *Dissolvi cupio & cum Christo esse*,

esse, animam suam haud semel & tunc & alias commendantem audivimus. Festinabat autem 15. Augusti nimiopere sacramento Eucharistico præmuniri, quod juxta morem nostræ Ecclesiæ magna submissione animi sui peccata confessus, ad languorem quoque se cui commodo Divina providentia daret agnoscens, cum debita veneratione suscepit. Sed Medicorum longe experientissimorum cura & singularis per omnem vitam victus temperantia cum jam morbum depulisse videretur, non ita multo post 5. scil. Septembris denuo à languore occupatur, memoria & phantasia per vices nonnihil à 10. die ejusdem vacillante, sani tamen animi indicia sub finem non pauca edens. Nec alius ei postea morbi quem apoplexia pridie mortis comitabatur, quam vitæ finis fuit.

Obiit autem 23. Septembris tertio undecimæ nocturnæ quadrante, & beate quidem, ut speramus de omnibus, qui alias pie probeque per totam vitam inter Christianos vixerunt. Et ne de hoc aliquis amplius ambigat, operæ pretium duxi pauca quædam superioribus adjungere documentis. Biblia sacra non minus diligenter atque Aristotelem suum legerat; instructus sane excellenti Græcæ linguæ cognitione, Hebrææ mediocri quidem sed vel magnis quandoque optanda Theologis. Nec legit tantum sed & vita, quantum quidem humanæ imbecillitati datum in summis viris maximè sæpius conspicuæ, diligentissime expressit. Famulis suis catechesin *M. Iusti Gesenii*, cum cura legendam non tantum dedit, sed & an intelligerent, pii œconomi officio subinde sciscitatus est. Præscripserat ei hos versiculos:

Such GOttes Reich vor allen Dingen/
So wird dir alles wol gelingen/
Machst du aber einen andern Anfang/
So geht dein Sach den Krebsgang/

Sæpissime etiam mecum questus paucitatem piorum, *Terentium*, ajebat, & *Ciceronem imitari discunt*, *Christum imitari non discunt*.

Ceterum omnis ejus conaminum eò pertinebat destinatio, ut *Divino honori & veritati contentius provehendis, Scientias Artesque rationi & experientiæ innixas epistemonice & Heuretice propagaret, atque ab opinionum & sophismatum tricis, quibus omnes fere scholas impeditas viderat, ad apodixeos expeditam firmitatem reduceret.*

Maxi-

Maxima sane posteritatis admiratione dignum judico, quod tantillo quo Philosophiæ se dederat tempore, aliis interturbatum studiis tantos errores Philosophiam occupasse jam tum perspiceret, cum Societati quam dixi præesset inventa ARTE PROTONOETICA; qua periculosis diexodorum anfractibus eductos in solem protraxit. Primæ enim mentis operationis omissa fere ubique mentio tantum abfuit, ut in protonoemata i. e. irresolubiles notiones usque resolutio fieret; infinita in rebus Philosophicis peccata pepererat: diexodica ubivis procedebatur via, & solus regnabat *modus docendi actu* (*vel Latinis reipsa*) *catholicus*; tum tegendis tum cumulandis opinionibus peridoneus: *ecthetico* plane non noscitato, quo Mathematici sua theoremata declarant & demonstrant actu catholice ante proposita.

DOXOSCOPIAS igitur exercuit numero plurimas, & opinionum vanitatem non Ramea periergia, sed ea evidentia detexit, qua Euclidea aliqua propositio demonstratur, quod non diffitetur Vir quidam summus, cum omnibus qui Aristotelem oppugnarunt hunc cum laude non parva & quasi de quibusdum Aristotelis dogmatibus dubitabundus antepo- nit; Impressæ sunt harum aliquot, multo plures in Physicis, pauciores in Logicis servamus. Atque in *Physicis* quidem affectas *Doxoscopias varias* Dialecticorum facile Principis *Aristotelis* & duarum Peripateticæ Physicæ sectarum, *Cramatitarum sive Alexandreorum*; *& Morphitarum sive Averroistarum*, inter quos *Zabarella* eminet; Illi præter primas qualitates sive potestates in elementis nihil agnoscunt, hi formas innominatas superaddunt.

Absolvit autem *Physicas definitiones & Assertiones* (vocabulo licet magno Vossio non probato, distinguendis tamen his ab hypothesibus & theorematis accommodato satis) *Prælectiones de anima*, *Theses Physicas Iacchæo & Burgersdicio & aliis oppositas*, *Exercitationes Physicas*, è quibus unam nuper desiderabam, unam mutilam inveni.

Fasciculus quidam *Doxoscopiam Sporadicam* complectitur opinionum scil. *I. C. Scaligeri*, *Schegkl*, *Havvenreuteri*, *Iavelli*, *Suaresii*, *Fonsecæ*, *Toleti*: de putredine *Claudini*, *Vallesii*, &c.

Alius *Fernelii*, *Magiri*, *Sennerti*, *VVichelmanni*, &c.

Referam huc *Doxoscopiam Galenicam* ob argumenti vicinitatem.

In *Galileum* itidem, *Cartesium* & *Gassendum* eximios

hosti‑

nostra ætate Philosophos *animadversiones* quasdam scripsit, sed paucas illas, quod cum ipso veritatem experientiæ & rationi Mathematica via superstruerent.

Ad *Logicas Doxoscopias* venio, quæ Logicæ naturam, præsertim nobilissimam ejus partem Epistemonicam à variis tricis expeditam nativæ majestati suæ reddiderunt. *Zabarella περιήγματι de notionibus secundis, demonstratione tritermina, definitionibus, & aliis* jam olim profligaverat: *Disputationes* aliquot in *Gymnasio* hac de re habuit, nonnullas *privatim* suis excutiendas dedit. Editioni quædam appendices jam dudum fuerunt paratæ, quædam in fasciculo cui titulus *Apodictica Zabarella*, indigesta reperies. *Iacobi Schegkl lib. XV. de Demonstratione examen* parantem & expectantem *Andreæ Planeri* SchegkI discipuli scientiam demonstrandi immatura nimis mors avocavit, territum hac cogitatione sæpius cum inchoaret.

Neque vero ex illo tempore quo *Logica Hamburgensi lima* defuisse existimata est, illa ut siderata vitis jacuit. Noluit sane, ut sæpe mihi dixit, tot bonas horas perdere longe sublimioribus occupatus negotiis. Retundendis tamen quorundam vanis jactationibus supersunt schedæ digerendæ eristico se oblectantibus certamine.

Scripsit præterea *epistolam Cartesii Logicam censentem* ad quendam suorum discipulorum, in Principis fæminæ inprimis obsequium, quæ Cartesium summo in pretio habebat.

Quid de *Verulamii Philosophia* sentiendum, integro quoque fasciculo nobis suam mentem aperuit.

Omnia hæc tacito quasi consensu *Logicam Hamburgensem* ceteris supervehunt, excellentius autem idem præstant

Examen Controversiæ inter duos celebres viros non ita multos ante annos agitata, an Theologus semper in forma argumentari debeat;

Examen syllogismi Tanneriani, qui extat in colloquio Ratisbon. circa fin. Sess. XI. Qui negat Articulum fidei aliquem, is solum est hæreticus; Sed hæreticus est qui negat Tobiam habuisse canem, ergo sequitur esse articulum fidei;

Censura Bertiana reductionis syllogismorum relative compositorum (qua fit transpositis propositionibus & Majore conversa.)

Pertinet huc fasciculus vel præcipue notandus, quo *Ari-*

Aristotelis Analysin non nisi recognitoriam, ut appellabat, *fuisse*, liquidis argumentis ostendit, falli omnes qui *Inventivam* seu *Heureticam* existimarunt.

Ille item non omittendus, quo *veram μεταβάσεως εἰς ἄλλο γένος notionem ex Aristotele* indagavit.

De *modalium conversione* absoluta est exercitatio, cui & illa, ut corollarii loco METAPHYSICOS labores subjiciam, *contra sententiam VVichelmanni de Metaphysica probante principia*;

Itemque à discipulo ejus elaborata de *probationibus eminentibus adversus M. Iustum Bravv.*

Et *Axiomata ex Aristotele* cum cura in unum collecta opusculum.

Fasciculi METAPHYSICI qui supersunt variis in Metaphysicam observationibus abundant.

Qui noverit quid sit Doxoscopias exercere, quanto labore constet tædiosos opinionum labyrinthos perreptare, quam studiosa cautione opus, ne vel adversario tuo alienam affingas sententiam, vel aliquam quæ sub ambiguis & obscuris latet, reticeas, de tantis Viri hujus laboribus recte demum sentiet.

An vero inquiat aliquis, nihil ipse invenit, qui tot opinionum monstra detexit? nihil ne nisi refutare didicit? Imo vero inquam satis rerum invenit ille, qui *Iemnosophistica* cavendi viam excogitavit exquisitissimam. Sed hoc non attendam. Quid iste non sperab.tur invenisse, qui summum Mathematicarum disciplinarum apicem, HEURETICAM *s. ANALYSIN s. ZETETICAM* signo, intentius excussit, *cujus ductu*, ut ante audiebamus, *problemata amissa restituuntur, ante non soluta solvuntur, quæ nova theoremata invenit, novos canones condit, dubia firmat*; qui eam tam copiosis auxit accessionibus, ut infinitis modis vitæ humanæ commodet? Eximius sane labor fuit *Apollonii* ut vocat *Saxonici*, sive *locorum planorum Apollonii restitutio*, cui perficiendo *VVoldetum VVelandum Verda Saxonem* socium adhibuit virum juvenem jactura irreparabili nobis ereptum, ni alios Deus ad hanc absolvendam Venerem suscitaverit. Videre quidem nuper nostro seni contigit quæ summus Analyticus *Franc.* SCHOTENIUS de eodem argumenti publici juris fecit, sed conferre *Analysin Cartesii* cum *Vietæ* & *sua* parum sustinuit ob imminutam judicii acrimoniam quam res

hac

hæc exigebat summam, quædam tamen ad *ejus Geomatriam* validior adhuc notavit.

Quid de *Cyclometricis* dicam *operis?* quid de *Conicis* & *reliquis Stereometricis?* quid de *compendio Geometriæ numerosa?* Quid de *Arithmeticæ augmentis; de Triga normali, de decimo Euclidis generaliter proposito, & in στοιχεῖα animadversionibus?*

Potius est ut attingam paucis PHORANOMICAM, *quæ magnitudinem ut motu implicatam considerat, vectionem, quæ* Ocheticæ *est peculiaris, pulsum, tractionem, connexiones, mistiones, compositiones, deflexiones, repercussiones, & inde exorientes orbitas h. e. motu signatas lineas, Motus item in Validitate & Debilitate, tum in Velocitate & Tarditate comparat, rursus motuum compositorum unius cum altero, sive in orbita sive in tempore æquipollentias speculatur.* Eam hactenus parte sua nobiliori partim prorsus ignoratam, partim aliis mixtis Mathematicis immixtam è primis suis principiis primus exstruxit, ordineque digessit, ut in eam amplitudinem excreverit, in quam Optica, nec minores ex illa quam hac ad humanam vitam redundent fructus. Docuit hanc olim Ill. Comitis Novi Castelli in Anglia fratrem, cum Hamburgi viveret, Generos. Baronem CAROLUM CAVENDYSSHE, qui in Angliam primus ni fallor Jungiani nominis gloriam intulit, in majus à *Slezero, Comenio, Hartlibio*, aliis auctam. Ex conjugio Phoranomicæ & Opticæ *Phoranomica* enascitur *Parallactica, quæ magnitudinem motu implicatam; visuque observatam expendit*, sine qua ne notionem quidem motus distinctam formare intellectus potest.

STATICAM *quæ corporum gravitatem contemplatur, pondera contendit cum ponderibus, eorum pro distantia à centro stateræ æquivalentias sive Isorrhopias & differentiam gravitatis ejusdem ponderis in diversis liquidis mediis scrutatur*, magno observationum cumulo locupletavit.

Loxostaticam ab *Hygrostatica* secernebat. In illa silentio præteriri non debet quod contra maximum *Galileum de Catena Loxostatica* observavit, sive, si clarius cupis, de catena ex duobus paxillis suspensa: curato enim Calculo deprehendit non facere catenam talem perfectam figuram parabolicam. Memoranda simul heic *Geometria Loxostatica* linearum. In *Hygrostaticis observationes* supersunt *de Triangulo, Rectangulo, prismate triquetro, &c. natantibus*. In

Cen-

Centrobarycis quæ in gravibus gravitatis centrum indagant *Geometria Centrobarycis inserviens.* Hypothesi quæ ad aliam reduci poterat in his omnibus studiose ut in ceteris deduxit, plura principia ad pauca, cavens ne cum *Stevino* hypotheses præter necessitatem multiplicaret.

Quod ad ASTRONOMICA attinet, *catalogum stellarum fixarum* egregie *emendavit*, ex quo Globis plurimæ adscribendæ sunt si omni numero absolutos optamus, etiam quæ ex serenis noctibus satis clare videntur. Similiter facilem monstravit artem *qua stellarum in planum projecti characteres commodius queant dignosci & retineri firmius*, ad Geographicarum tabularum instar excogitati, interque se mutuo cohærentes. Cæterum in schedas conjecit *observata varia, & item Sphærometricas lectiones.*

GEOGRAPHIAM ita curioso oculo perlustraverat totam, ut si pro lexico potuisse me illo uti dicerem Geographico, dicerem sane quod res est. Testes reliquit plurimos; *Tauri montis nexus accurate perquisitos*, *Colonias Græcorum*, *Romanorum*, *Africæ regna quatuor*, *Asiam*, *Palæstinam*, *Germaniam*, *Germaniam superiorem*, *Geographiam recentiorem*, *Geographiam denique generalem.*

Chronologica, *Chronologiam Romanam*, *Græcam*, *lectiones munitorias*, *Opticas*, *vel potius Photoscopicas Observationes* obiter tango, neque multum immoror HARMONICÆ *compendio* celebrando.

Specimina SCIENTIÆ SITUS in Texturæ contemplatione non possunt non esse admirationi omnibus, ubi præmissis paucis definitionibus aliquot subjicit theoremata.

MATHESEOS ATOMISTICÆ, CHYTORRHOPICÆ singularis in PNEVMATICIS latentis scientiæ, & LEIPTOTHICÆ præcipua si explicare vellem, nimis excresceret nostra historia.

MECHANICÆ scientiæ suppellectilem hanc habet;

Lexicon Mechanicum affectum ut & cetera quoque.

Mechanicam Quietis, ubi de *nodis*, & *laqueis*. De laqueis quidem Galenus, de nodis hactenus quod sciam nullus, ex quibus tamen sæpius hominum vita pendet.

ARTIFICIA, OPIFICIA VARIA, *Fullones*, *Vitriarios*, *Infectores*, *Cornifrangos* (Hornbrecher) & plurimos alios.

Chronodictica sive si mavis, Automataria.

ASTROLOGICAS autem VANITATES indignas quæ in Mathematicis numerentur, peculiari fasciculo detexit.

Atque hæc quidem omnia incomparabilem omnino nostrum reddendo sufficere valerent, ut non cum *Archimede*, *Apollonio*, aut *Vieta* conferendus, amplius longissimo hos omnes intervallo relinqueret.

Verum quid quæso ad *subtilissimas Logicas demonstrationes?* Alias ne attingam numero plurimas unico contentus exemplo, *Consequentiã* utilissimam & in omnibus fere disputantium congressibus obviam, quam *Hyphorismum* in *schedis*, in *Logica Hamb. à recta ad obliqua* dixit, demonstrare eidem in proclivi est Apodictica & Euclidea certitudine. *Notionum* vero tot venatus est *differentias*, tot indagavit *πάθη*. ut si lucem aliquando viderint, vel hæ solæ eruditos in JUNGI mentis admirationem plane incredibilem rapturæ sint. Quis Logicorum hactenus *Homonymiarum species* exacte numeravit? Quis *Adsignificationis Homonymia* amplissime se diffundentis verbo meminit? Quis *genuinam demonstrationis indolem* sua facie expressit? Inter inventa sua Logica sæpissime celebrantem cum gaudio audivi Notionem *contrariarum Differentiarum investigatam, promptamque differentias specificas indagandi methodum. Superfluorũ multitudinẽ necessariis suffectis tollit maximam. Orationem internam quam in Logicis potissimum observabat, ab externa ubique curiose & utilissime disjungit. Prædicamenta ex scholis relegat: Prædicabilia reformat ambiguitatibus denudans; Modalium inexplicabiles tricas cum Suppositionibus ejicit. Syllogismum solum non instituendæ Analysi recognitoriæ, non controversiis finiendis sufficere, advocandas esse alias dianœas æquè experientia interna, ac syllogismus est, superstructas.* Quid alia? *In Antisophistica plura ad pauca reducit. Artem disputandi facilimam reddit.* Augere licet quemlibet *Hamburgensis Logicæ* librum ex chartis ipsius in magnum volumen.

DIDACTICÆ item *Scheda & Hermeneutica Dianœa* inordinati adhuc labores in continuos facile mutari poterunt.

PHYSICUM vero *studium* stupebunt omnes qui versabunt aliquando *Logicam Physeoscopicam*, *Auctores Physica*, *Physicam καθολικὴν*, *Definitiones Reflexivas & Rectas Syndiacriticas*, *Syndiacrisin*, *Democritica*. Admirabilis est *Textu-*

rarum

turam ϑεωρία *modo sciendi Physico inserviens.* Adde *Observationes de corporibus similaribus*, *observationes Terræ, Aquæ, Aëris, Ignis, lixivii, muriæ, aceti, vini, fermenti, sebi, cretæ,* &c. *de Mineralibus generalia. Fossilia. Lapides in genere. Fossilium loca, Dictionarium Docimasticum Metallurgicum Chimicum.*

METEOROLOGICORUM *fasciculus* unus est.

Plures numero BOTANICÆ *rei: sc. Isagogen Phytoscopicam*, opus confectum, & huic addenda *generalia Botanica, de Plantarum speciebus, de differentiis plantarum, de generatione & propagatione, de generatione & immutatione earundem, de seminis & florum differentiis, Hortos Botanicos, lectiones Phytoscopicas, Disputationes Phytoscopicas & Botanicam Patavinam.*

Adsunt & GEOPONICA & AMPELURGICA.

ZOOLOGIÆ *tam generalis* quam *specialis* historiam aliæ schedæ suppeditant Creatoris ἀνεξιχνίαστον maxime prædicando tum sapientiam, tum potentiam, tum providum regimen collectæ. Impense autem præ ceteris suas *Meditationes de Insectis, de Tineis, & Scarabæis, de Erucis & Papilionibus generalia* æstimabat.

Ultimos inter labores Physicos *Alphabetum* fuit & *Introductio in Physicam*. Uterque sane præstans est, sed posteriorem mors mutilat. Alter Consonas contemplatur & profundius nonnihil quam magnus vir *Ioannes VVallisius*, cujus insignem *de Sonorum Formatione* tractatum cum *Alphabeto* nostri pridem mihi contigit conferre.

MEDICA nunc essent his subnectenda, sed vela contrahi oportet. Satis esto laudasse in iis *Logicam Medicam*, & *Historiam Medicam*.

Et CHIMICA transeant, quia sunt pauca & quædam sub Physicis observatis comprehensa.

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ vero vel exaugendæ utilem vel reformandæ necessariam opem afferent *Annotata de Philosophia practica*; *Theses Ethicæ generales adversus Aristotelis quædam, plura Peripateticorum*; *Ethica specialia*; *de Arte, Prudentia, &c.* singularia; *Platonis Ethica*; *Politica generalia & specialia*; *Politicæ theses adversus Aristotelem* (supremorum unũ est;) *Platonis Resp. Romana; Græca, Imperium Germanicum*; *Matricula imperii* (hanc be-

neficio Geographicæ suæ peritiæ collatis diligenter omnibus juris publici auctoribus multis in locis emendavit;)& postremo *in Hobbesii Politicam notæ*.

HISTORICA sunt ista: *Historia Philosophiæ antiqua*, *Historia Peripateticorum*, *historiæ recentioris* pauca, *Historiæ Ecclesiasticæ collectanea*, denique *Papæ regnum*.

Desinam si prius signavero *Analogiam Latinæ linguæ*, *item Germanicæ*, *Nomenclatores*, *Lexici Teutonici initia*, *Theses Grammaticas*, *Teutonica vocabula didactica*, *de Hebræa*, *Græca*, *Ægyptia*, *Armenia* pauca, & *Colloquiorum Possolii censuram*. Quibus affinia sunt *Poëtica*, *Rhetorica* & *de Monetis specialibus & Episcopalibus*, *de Mensuris & Ponderibus* non ubilibet obvia. *Hellenisticam*, quia *Salmasius* jam funus extulit & ossa legit, non resuscito.

Quid superest aliud quam quærendum stupentibus quæ tam capax omnium memoria, tam in omnem cognitionem versatilis indoles, tam industria cura, quod tam sagax judicium, tam vastum JUNGII ingenium fuerit, quod tantæ scientiarum moli, tot observationibus, tot novis tam feliciter excogitandis, tot historiis, tot linguis continendis, simul menti in se ipsam toties reflexæ, simul maximis rebus gerendis sustinuerit sufficere?

Nihil tibi deerat JOACHIME nisi Alexander aliquis, adeo grandibus ausis tuis & sine exemplo consiliis, ex tuo voto omniumque veri amantium latius porrigendis, & quaqua versus patet orbis, gloriose demonstrandis. Diximus paucis de JUNGII laudibus, & quem titulum præfert historia, soli fere ab omnium memoria competentem deprehendimus, elaboratius & cum ingenio aliis potius dicendi quam nobis intra præfixos reciso tempori cancellos scriptionem præcipitantibus. Nunc ex pollice gigantem æstimet qui potest.

Atque hæc omnia excitandis Viris summis quibus otium est & ex hisce volupe, ad indigesta JUNGII *Zetetica* ordinatius digerenda, alioque quam quo nunc pleraque jacent habitu induenda potissimum à me conscripta sunt, qui pro hisce solis timeo, cum paucissimi fiet qui τὸ θελγικὸν τῶν μαθημάτων attingere soleant. Impetrata autem facile, quod plurimis nominibus tanto Præceptori tantoque Amico, plurimis quoque obstringar ejusdem TESTAMENTI curatoribus. Noluit enim committere ὁ δεῖνα γέρων, ut mors inchoata sua abruptura eadem omnino aboleret. Ea re, dum vita ei suppetebat, ad exemplum *Petri Rami* non neglectis tamen

tamen consanguineis Testamento sancitum voluit, *ut illis quos Euclidis Elementis & Logica Hamburgensi veritatis amor addicit, de suis bonis stipendio qualicunque prospiciatur, pro conditione temporum inter pauciores pluresve distribuendo, longius autem profuturo his qui omnem vitam ad vera Philosophia studium conferre destinant. Selectiorem quoque Bibliotheca sua licet non magna supellectilem Philosophico istorum usui consecravit. A singulis autem hoc beneficii sibi reddi postulat qui suum sumserint, ut unum ad alterum, pluresve fasciculos in ordinem redigant, incepta extendant, & ab interitu asserere quantum quisque vel ingenio vel judicio valuerit, etiam annitantur.* Eo vero præcipue Voluntas hæc ultima valere debuit, ut fortunatiores sociatis præmiis ad Philosophica studia avidius amplectenda plures hortarentur, ne quam fere Germaniæ minantur ruinam, aliquando tristi fato videre contingat. Cæterum curabunt omnia rectissime pro ea qua sunt fide & diligentia ab ipso in hanc Administrationem rogati Viri Excel. & Experientiss.

ANDREAS CASSIUS, Med. & Phil. D.
CHRISTIANUS BUNCKIUS, Med. & Phil. D.
Viri Ampliss. & Consultiss.
DAVID PENSHORNIUS, J. U. L. & Reip. Hamb. Senator dignissimus.
CASPAR WESTERMANNUS, J. U. L.
Et Vir Doctiss. & Spectatiss. civis
JOACHIMUS BECKENDORFIUS,

omnes Jungiani nominis cultores, Mathematumque & solidioris Philosophiæ Fautores incomparabiles.

Nunc manum de tabula.

LEGES SOCIETATIS EREUNETICÆ.

I.

Cum omnis societas finem cujus gratia instituta est legum suarum principium, adeoque summam legem habeat: Scopus Collegii nostri unicus esto, veritatem è ratione & experientia tum inquirere, tum inventam commonstrare; sive artes & scientias omnes ratione & experientia subnixas à Sophistica vindicare, ad demonstrativam certitudinem reducere, dextra institutione propagare, denique felici inventione augere.

II.

Quilibet collegarum sibi certam aliquam materiam sumat ingenio & viribus suis congruam, quam à Præside ad id sufficienter instructus, optima methodo (qualem Protonoëticam esse spondet Præses) pertractet, & spudasma suum dein collegio offerat ceu symbolam, ut rursus reliquorum collegarum laboribus fruatur mutuis.

III.

Si quam novam demonstrationem, observationem, aliudve quodcunque inventum hactenus non vulgatum collegarum aliquis Collegio sub silentii fide obtulerit, quod quidem in libros commentariosve collegii relatum, & à Registratore consignatum sit; id in jure ejus maneat, qui sub silentii fide obtulit.

IV.

Quicquid laboris primo semestri ab eo tempore quo cum Præside de materia excolenda convenit vel meditando, vel observando absolverit, id omne in jus Præsidis transeat.

V.

Quicquid ita elaboraverit præterea, ut in eo continua quasi alterius collegæ manuductione & correctione opus habuerit, id in jure ejus esse reputetur, qui manuduxit.

VI.

Si quis collegarum spudasma aliquod Collegæ ex præscripto auctoris in ordinem redegerit, vel epitomen inde pro collegii usu extraxerit; vel indicem super id confecerit, aut secundum canonem ab altero collega traditum calculationem absolverit, omne id ordinatum, extractum, confectumve auctoris sit, non ordinatoris aut abbreviatoris, aut calculatoris. Neque opera ista ordinaria symbola loco numeretur, sed officii collegio debiti rationem habeat.

VII.

Liceat collegæ spudasma suum alteri collegæ quasi mancupio dare, sive permutatione sive quovis titulo id fiat, & petere ut Registrator in indicem referat, spudasma istud istius collegæ ad illum collegam utriusque consensu transiisse, si id factum fuerit, in jure posterioris habeatur.

VIII.

Si quod spudasma in jure collegæ alicujus secundum leges præmissas fuerit, id reliquorum collegarum nulli (sub collegæ nomine simul Præses in omnibus legibus comprehensus esto)

esto) sive directe sive oblique evulgare, id est cuiquam communicare fas esto, sive adhuc collegii membrum sit, sive è collegio quacunque occasione vel dimissus vel exemtus vel exclusus sit.

IX.

Si quis collega à collega Mathematicam Heureticam edoctus fuerit, idque sub silentii fide, & ope istius Heurecicæ problemata aliqua construxerit, licitum ipsi esto ea ipsa evulgare, modo ne artem ipsam, in quantum ea inedita est, vel exemplis Heureticæ Analyseos ob oculos positis, vel expressis canonibus, præceptis, monitis, h. e. vel oblique vel directe divulget.

X.

Si quis diexodos in liquidarum apodixeon formam traducere & apodictice examinare didicerit, apodixes quidem ipsas earumque examina sua industria confecta aliis communicandi potestatem habeat, modum vero reducendi & examinandi sedulo tegat.

XI.

Si quis collegarum à collega methodum machinas tam staticas quam spirituales. h. e. phoranomicen practicam edoctus fuerit, machinas quidem ipsas à se inventas juxta eam methodum cui voluerit communicet, methodum auctori suo sartam tectam relinquat.

XII.

Si quis collegarum scientiam è principiis & demonstratis constitutam, demonstrative extenderit & evulgarit, nondum evulgata parte priore istius scientiæ, quam à collega acceptam extendit: dum partem à se adjectam evulgat, priorem simul oblique evulgasse censeatur, cum principiis & propositionibus prioris ut præmissis sive sumtionibus posterior pars utatur.

XIII.

Si quis collegarum artem aut scientiam cryptice evulgatam ab auctore suo, sub silentii vero fide collegio communicatam omni crypsi liberam cuiquam in collegium hoc non recepto crypsi denudatam proposuerit, fidem collegio datam temerasse judicetur.

XIV.

Si quod spudasma collega ad collegam vel generali vel speciali jure transierit, (generali ex lege quarta & quinta, speciali ex lege septima,) idipsum in posterum nemo, nisi is ad quem transiit, divulgandi potestatem habeat.

XV.

Quicquid in collegio prolatum, propositum, traditum, explicatum, disputatum, demonstratum fuerit, quod Registrator in catalogum silendorum non retulerit, ad quamcunq; scientiam vel artem pertineat, cuivis evulgare aliisve communicare fas esto.

XVI.

Collega alterius collega symbolam non vilipendat. Sola enim ingeniosa spudasmata scopum nostrum non attingunt, requiruntur etiam industria.

XVII.

Quia sparsim novi collega accedunt, ii qui Protonoëtica methodi tyrocinia jam fecerunt, onere instituendi Prasidem sublevanto.

XVIII.

Registrator spudasmata sub silentii fide collegio oblata ordine consignet, & utrum recte in commentarios collegii relata sint dispiciat, & catalogum eorum singulis semestribus conficiat, adscripto die & ejus qui obtulit nomine. Idem in alio indice similiter officia collegio prastita annotet, quo commodius onerum aqualitas servari possit.

XIX.

Fiscalis sive Quaestor collegii fiscum accurate custodiat, & qua ex eo ad communem collegii usum, v.g. ad observationes, experimenta, machinamenta, instrumenta, &c. communi collegii consensu impenduntur, diligenter in rationū codicem referat.

XX.

Prases à contributione immunis esto. Reliqui quantum communibus votis, & quoties visum fuerit contribuant.

XXI.

Quicunque in collegium hoc recipi vult, annum integrum in eodem cum Praside loco dimoraturum se promittat, nisi peculiariter ob graves causas cum eo à Praside fuerit dispensatum. Quod si deinde prater expectationem quid ingruat, quod promissorem invitum à Praside abstrahat, excusatus habeatur.

XXII.

Si quis exclusione dignus videatur, quod utinam nunquam eveniat, communi reliquorum collegarum consensu excludatur.

XXIII.

Leges & instituta collegii temere iis qui extra collegium sunt ne divulgentur.

EPI-

EPITAPHIUM.

JOACHIMO. JUNGIO.
LUBECENSI.
PHIL. ET. MEDIC. D.
VIRO. SUMMO.
PHILOSOPHO. SUI. SECULI. INCOMPARABILI.
QVI. QVICQVID. EST. HUMANÆ. SIVE. MAGNITUDINIS. SIVE. VOLUPTATIS. SIVE. GLORIÆ.
PRÆ. UNA. VERI. SCIENTIA. ET. NUDA. VIRTUTE, BONOQVE. PUBLICO. CONTEMPSIT. GRATIAMQVE. EO. NOMINE. ET. INVIDIAM. CUJUSCUNQVE. EODEM. HABUIT.
LOCO.
VIR. ANIMO. MAXIMO. INGENIO. SUBTILISSIMO.
SPIRITU. ACERRIMO. DILIGENTIAQVE. NON. ALITER. QVAM. PER. SENECTUTEM. IMMINUENDA. PER. MORTEM. SOLAM. FINIENDA.
QVI. HUMANÆ. RATIONIS. MUNIA. AD. EXQVISITAS. REGULAS. REVOCAVIT.
MATHEMATICAMQVE. CERTITUDINEM. IN. PHYSICAM. INTRODUCERE. CONATUS. EST.
NIHILQVE. LIBERTATE. RECTE. SENTIENDI. PHILOSOPHICA. POTIUS.
DUXIT.
MAGNUM. EST. ALIORUM. MODUM. NOVISSE: ET. SUI.
DOCUIT. MATHEMATICA. GIESSÆ. ET. ROSTOCHII.
MEDICINAM. HELMSTADII. IN. HAMBURGENSI. DENIQVE. LYCEO. RECT. ET. PROF. MULTOS. ANNOS. AMPLISSIMA. CUM. LAUDE. EXTITIT.
UXOREM. QVAM. DUXERAT. ROSTOCHII. SINE. LIBERIS. IBIDEM. AMISIT.
DECESSIT. MORTE. PLACIDA. ET. SINE. ULLA. QVERELA.
NATUS. ANNOS. LXX. ANN. CHRIST. cIↃIↃcLVII. D. XXIII. SEPT. JUL. NOCTU. SEPULTUSQVE. IN. TEMPLO. DIVI. JOANNIS.

AMICO. BENEVOLENTISSIMO. ET. COLLEGÆ.
B. M. MERITO. POS.
MICH. KIRSTENIUS.
PH. ET. MED. D. IN. GYMN. HAMB.
MATH. P.P.

SCRIPTA.

Logica Hamburgensis, *Hamb.* 1638. in 8.
Geometria Empirica, *Rostoch.* semel & *Hamb.* bis in 4.
Doxoscopiæ Physicæ minores, seu Isagoge Physica Doxoscopica. *Hamb.* 1662. in 4.
Kurtzer Bericht von der Didactica oder Lehrkunst Wolfgangi Ratichii, durch Christoph. Helvicum und Joach. Jungium. Giessen. 1614. in 4.
Disp. de naturali Dei cognitione: De potentia activa: De loco Aristotelis lib. 3. de Cœlo t. 66. De figuris locum replentibus: De Relationibus: De notionibus secundis: De Demonstratione tritermina: De Definitionibus, &c.





MEMO-

MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, POETARUM, HISTORICORUM, ET PHILOLOGORUM

NOSTRI SECULI

CLARISSIMORUM

RENOVATÆ,

DECAS SEPTIMA.

CURANTE

M. HENNINGO WITTEN.



FRANCOFURTI,

Apud MARTINUM HALLERVORD,

Typis JOHANNIS ANDREÆ,

Anno CIƆ IƆC LXXIX.

M. TULLIUS CICERO

IN ORAT. PRO P. SEXTIO.

COGITEMUS DENIQVE, CORPUS VIRORUM FORTIUM, MAGNORUMQVE HOMINUM ESSE MORTALE, ANIMI VERO MOTUS ET VIRTUTIS GLORIAM, SEMPITERNAM.

VIRO
REVERENDO PLVRIMVM, AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DN. CHRISTOPHORO ARNOLDI,

PHILOLOGO PRÆSTANTISSIMO, POLYHISTORI SAGACISSIMO, LINGVARUM ORIENTALIUM ALIARUMQVE EXOTICARUM AD STUPOREM PERITISSIMO,

IN ILLUSTRI AC NITIDISSIMA NORIBERGA ECCLESIASTÆ AD D. MARIÆ DISERTISSIMO, PROFESSORI ITIDEM GRÆCARUM LITERARUM, ORATOR. ATQVE POESEOS FAMIGERATISSIMO,

DOMINO ET FAUTORI OPTUMO, MULTISQVE DE ME NOMINIBUS EGREGIE MERITO,

SINGULARI PROINDE OBSERVANTIA AD EXTREMUM VITÆ HALITUM MACTANDO,

QVEM IN EBRÆA ET ANGLICANA LINGVIS

DOCTO

DOCTOREM ALIQVANDO EXOPTA-
TISSIMUM,
AMICUM POSTEA
VEL EX MILLIBUS PRINCIPEM,
SUMMA BENEVOLENTIA,
PLURIMIS OFFICIIS,
FIDUM OMNINO ATQVE CONSTAN-
TEM NACTUS SUM,
EX CUJUS QVOQVE EPISTOLIS,
SVAVI OMNIGENÆ ERUDITIONIS
MELLE TINCTIS,
UBERRIMUM FRUCTUM PERCIPIO,
AMICITIÆ PER XV. ANNOS,
SINE FUCO, SINE OFFENSA
INTER NOS CULTÆ,
QVALECUNQVE HOC MONUMEN-
TUM JURE MERITISSIMO
D.D.C.
M. H. WITTE,
NEC TAMEN ABSQVE VOTO DEVOTO,
UT ECCLESIÆ AC REI LITERARIÆ,
QVIBUS PRÆEST AC PRODEST,
EMOLUMENTO,
SERIS TANDEM ANNIS SENESCAT,
AMOREMQVE MIHI CONSERVET
ÆVITERNUM!

SERIES



SERIES PHILOSOPHORUM, ORATORUM, &c.

SEPTIMÆ DECADIS.

Obiit anno

1657. Michaël Eiflerus, Log. & Metaph. Prof. Regiomont.

1658. Johannes Sperlingius, Phyſ. Prof. Witt.

1658. Georgius Philip. Harsdörfferus, Reip. Noriberg. Senator & Philologus.

1658. Caſpar Barthius, S. R. Imp. Eques & Polyhiſtor Lipſienſis.

1659. Simon Dache, Poëſeos Prof. Regiom.

1659. Andreas Tſcherningius, Poëſ. Prof. Roſtoch.

1660. Joh. Freinshemius, Honorarius Prof. Heidelberg.

1660. Laurentius Eichſtadius, Philoſ. Prof Dantiſc.

1660. Henricus Nicolai, Phil. Prof. Dantiſc.

1660. Auguſtus Buchnerus, Poëſ. & Eloq. Prof. Witteberg.



HONOR-

HONOR EXEQVIALIS,

Viro Spectabili, Excellentissimo, atque Clarissimo,

D. M. MICHAELI EIFLERO,

Logicæ ac Metaphysicæ P. P. celeberrimo,
Facultatis Philosophicæ Amplissimæ nunc Decano,
Alumnorum Electoralium Inspectori
primario,
Collegæ ac Amico nostro Honoratissimo,
nunc desideratissimo,
Cum inter publicum Academiæ, ac bonorum omnium,
luctum, efferretur,
Exhibitus
à

RECTORE ET SENATU ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

ET ita est! ita est, BEATISSIMA ANIMA, prout eodem fere, quo, placidissima emigratione, à mortalitate, ad cœlitum felicitatem, proficiscebaris, momento, plena tuo DEO, lætans atque ovans, exclamabas: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*; *In reliquo, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die, justus judex, non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Imo, quia strenuus DEI miles, legitime, pro DEI honore, intemerataque verbi sui veritate, certasti, nunc triumphas; quia non segnis, & vitæ, & vocationis, & pietatis stadium, decurristi, nunc quiescis; quia in paucis iis, quæ sub miseram hanc mortalitatem, tuæ fidei commiserat, æternus bonorum diribitor, fidelis fuisti, super multa jam constitutus, in gaudium Domini tui intrasti, & mansuro æternum, prælii, cursus, fidei, præmio, gloriæ corona redimitus, sine termino, felix effulges. Neque ullum, dicta à nobis, aut negaturum, aut in dubio saltem positurum confidimus, quisquis EXCELLENTISSIMUM, CLARISSIMUM, ATQVE AMPLISSIMUM VIRUM, DN. M. MICHAELEM EIFLERUM, LOG. ET METAPHYS. P. P. CELEBERRIMUM, SPECTABILEM AM-

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ nunc DECANUM, & ALUMNORUM ELECTORALIUM INSPECTOREM PRIMARIUM, COLLEGAM ET AMICUM NOSTRUM HONORATISSIMUM, NUNC DESIDERATISSIMUM, cui, non absque iterata, eaque gravissima, Reipubl. literariæ, jactura, mortalibus subtracto, hoc die exequiæ fiunt, exactius noverit. Is namque cum omnino, è communi, miseræ hujus vitæ, conditione, pugnandum sibi nosset, id maxime curavit; ne inani pugnæ suscepto labore, victoriæ triumphique privaretur honore; sed ut tandem postquam depugnatum olim esset, brabreion & ipse reportaret. Quo fine, & inoffensam conscientiæ sanctitatem, & constantem veritatis propugnationem, & illæsam fidei integritatem, & indefessam, in peragendis, ordinis sui, laboribus, alacritatem, DEO non minus, quam bonis omnibus, immortali sui cum laude, probavit. Neque hinc avocari, variis illis, quæ hinc imminebant ei, molestiis, se passus fuit: quin, quod familiari Symbolo, VERITAS ODIUM PARIT, profitebatur, idem illud, quotidiana Praxi, confirmare studens, sat felicitatis se obtinere statuebat, si DEO, supremo veritatis, & fidei Patrono, amico uteretur. Et felices eas mentes, quæ cum inevitabile illud mortalitatis subeunt prælium, illud ante omnia procurant, ut DEO Imperatore ac Duce utentes, hujus divinis monitis informentur, hujus sapientissimo regimine ducantur, invictoque tandem robore muniantur; non profecto eas; aut violentissimus impetus cujusvis terror exanimabit; aut insanus furor prosternet, quin integris semper fidei viribus, invictæ perstant, felicesque vincunt. Non ignotum est, quantum sæpe fiduciæ, in unius Imperatoris, sive prudentia, sive fortitudine, omnis collocet exercitus: Et tamen, cum homo & ipse sit, omnique proinde, cum humani nihil alienum à se putare possit, casui obnoxius agat, quam indubium magis animi robur; exercituum Dominus Deus, cujus & sapientiam nemo potest perscrutari, & potentiam omnis mundi dominatio adorare jubetur, atque tremere, militum suorum pectoribus addet. Quod si vero tanto etiam cordatior militis virtus esse solet, quanto spectatiorem sui, in se, Imperatoris amorem novit, cujus quippe instinctu, omnium accuratissime, quæ depellendis periculis, promovendoque honori, servire possint, subministrari

nistrari sibi credat: ecquis non, DEO Duce ac Imperatore, animosus atque fortis, in hostes eat, cujus tantus amor in nostrum genus exstat, ut, quem unicum, coævum coæquumque habet Filium, non modo, prælium omne, quod sustinendum nobis erat, subire nostra causa, atque hinc omnem, conficiendi ejus, rationem docere nos; sed &, fractis, sævissimorum hostium, viribus imbellem nunc, ac impotentem eorum dominatum, devincendum, relinquere nobis voluerit. Hinc jam, hoc Victore triumphante, omnis, à parte nostra, victoria est, modo, ejus exemplo dictoque obsequentes, constanti fide, ac perpetua constantia, cum hostibus congrediamur. Memorabile omnino est, quod de Antiocho, qui ΣΩΤΗΡΟΣ, seu Salvatoris, cognomentum, arroganter satis sibi sumsit, Historia refert, quod cum adversus Galatas, fractis militum animis, parum feliciter pugnasset, novo invento istos animaturus, per quietem, Alexandrum Magnum, sibi visum salutis Victoriæq; quoddam symbolum, triangulo triplici invicem inserto, lineasque & angulos quinque continente, constans, verboque ΥΓΕΙΑ, quod Salutem notari nostis, inscriptum dedisse, ac, ut eam Tribunis tesseram daret, jussisse, finxerit. Fabulosæ hujus superstitionis fidem, non operose hoc loco adstruimus, quin illusisse, his præstigiarum artibus, pullo suo, vaferrimum ex inferis impostorem, non negamus: ast si quid tamen, sive ex Pentagono dicto, sive è Salutis inscriptione, quod commodo nostro, & prælio præsertim, felicius conficiendo), prodesse queat, conjicere velimus, magnum profecto mundi SALVATOREM, qui, æternum è Styge hostem, pro nobis expugnans, quino Sacrosanctorum vulnerum numero, ΥΓΕΙΑ, & Salus nobis factus est, cognoscere liceat. Sane his sanctissimis JESU stigmatibus, omnem nostram contineri Panopliam, qua & ipse peccatum, mortem ac Diabolum, debellaverit, & nobis debellandi hostes istos, vera fide, potestatem dederit, nemo equidem pie credentium facile negaverit. Quod pie non minus, quam amœne, non nemo, antiquorum Doctorum, expressurus, Christum ait, in cruce, fuisse instar equitis armati; coronam illi spineam, galeæ; cruorem, toto corpore, perfusum loricæ; clavos gladii; crucem equi loco fuisse: neq; lanceam defuisse, neq; scutum, sacra scilicet quinque vulnera, atq; hac armatura, mundum, carnem, ac Diabolum esse profligatos.

Vide-

Videtis, credimus, ergo, omnem eam, mysticæ pugnæ victoriæque rationem, quam quisquis, immota fiducia, rite tenuerit, ipso eventu, Bonum se certamen certasse, cursum feliciter consummasse, fidem sancte servasse, cognoscet. Innumeras artes, quinquertionibus istis, qui Pentathlo quondam prisco exerceri solebant, propositas Historia refert: Sed quorum omnium vanitas parum, aut nihil verius, nostrum hunc, Deo sacrum, militem juvat. Neque enim hic corporis, sed animi lucta est: nec proinde corporis, sed animi armis, opus est, si animum impugnantes hostes subjugare velis. Ast vide omnium præsentissimam armaturam, in æterni Salvatoris Tui, patiendo vincentis, moriendo triũphantis, sanctissimis vulneribus, apparatam. Non possumus, quin, id confirmaturi, incomparabilẽ, illum Hipponensium, imo Antistitũ omniũ, Antistitem potius, quã balbutientis linguæ nostræ, infantiam proponamus. Ita ergo ille: *Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum, Domini mei, resurgo. Cum Diabolus parat insidias, fugio ad vulnera amoris ac misericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri, Filii Dei, extinguitur. In omnibus adversitatibus, non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus.* En vobis instructissimum armamentarium! En vobis armamenta, omni luctæ, inexpugnabili virtute, profutura, quæ, divinâ copia, Sacrosancta hæc Christi vulnera suppeditant. Habes hic, pia mens, cœleste illud balsamum, quod felicius longe, quam Quinquertionum Ceroma, omni conflictui superando, te præparabit. Habes hic, si certandum tibi sit, salvum illud, ac omni telo stygio, impenetrabile scutum, cujus munimine, tutissima securitas tenetur. Habes hic, si molestissimo adversitatum æstu fatigatus, cursum vitæ pietatisque segnius conficis, amœnum eum, ac medicatum fontem, cujus dulcissimo refrigerio, animatus, novo cursu valebis, ac recte eum perages. Habes hic intemeratum asylum, quò, si malignæ, perfidi hostis, insidiæ, fidei tuæ constantiam solicitare incœperint, confidenter fugere licebit, nec ullius, infestissimi tametsi, hostis, injurias, sub hoc misericordiæ patrocinio, timebis. Habes hic, uno verbo, omnia: ut bonum certamen certare, ut cursum feliciter consummare, ut fidem servare possis, vulnera Christi, meditari.

tari, nunquam cesses. Et ne falli te metuas, BEATISSIMUM cogita, qui & ipse, quantum luctæ sustinuerit, quantumque subsidii sublevandæ eidem, à Sacrosancto eo, quem veneranda hæc vulnera distillarunt, sanguine impetravit; ipsum, in vitæ curriculo, manu sua scripto, audi profitentem. *Vitâ meâ eam semper inii rationem, ut DEUM Creatorem, Redemptorem, Sanctificatorem meum, sanctum & illæsum pietatis cultum, supplex quotidie oraverim: conatus quoque, quantum ipsius gratia adjuto licuit, opere atque re id probare; verum, quà mea infirmitas fuit, non satis ex debito, & voto, præstare illud potui. Et in me namque, hoc est, in carne mea, non habitat bonum: & ego venundatus sub peccato, forti nimis, peccati originalis stimulo, ad peccata actualia impellor. Verùm enimvero, non modo serio, horum me omnium pœnitet, sed etiam, universali Dei misericordia, universali Christi merito, fretus, indubia fide scio; quod Sanguis IESU CHRISTI, FILII DEI, me quoque mundet ab omni peccato; quodque ipse me etiam dilexerit, & se, pro me, tradiderit.* Vide prælium & luctam! vide subsidium & victoriam! Imo recte, imo vere: Luctam Tibi, BEATISSIMA ANIMA, & avita, & propria delicta movebant; victoriam & triumphum Christi Tui vulnera concesserunt. Atque hæc præmittere BEATISSIMI VIRI Historiæ voluimus, quam paucis ita subjungimus. Natus est 1601. 13. Maji st. n. in oppido hujus Ducatus, Zinten / PATRE, PRUDENTISSIMO, DN. FRANCISCO EIFLERO, VIRO EJUS LOCI CONSULARI, ET CAMERARIO, de Ecclesia Scholaque ibidem meritissimo: MATRE PIISSIMA ET HONESTISSIMA, GERTRUDE Wittin / pie jam defunctis. Renatum initiationis Sacramento, ad annum usque VI. domi, solertissima cura, educantes piissimi Parentes, Catechismi, & piarum precum, cognitione, initio imbuerunt, dehinc Scholæ ejus loci, publicæ informandum tradiderunt, pro cujus conditione, juxta rudimenta Latinæ, Græcæque Linguæ, Musicam, Arithmeticam, & Calligraphiam, cœpit exercere: & tanto solertius hæc exercebat, quanto fortiori impetu, insita naturæ vis huc ipsum impellebat. Jactis ita, in patria, fundamentis, 1616. Regiomontum accessit, & confirmaturus eadem, sub manuductione CLL. VIRORUM, DN. ADRIANI DE WENT, RECTORIS, & DN. M. JOACHIMI BABATII,

TII, PRORECTORIS, tunc in Schola Lœnicensi, exorsam telam, summa cum laude, quam indefessa solertia mereretur, triennio fere integro, strenue pertexere pergit. Post feliciter vero operas triviales absolutas, in Academiam, valedictoria primum, de studiis ritè tractandis, dicta, 1619. 8. Aprilis, dimissus, publicis, in ea, Lectionibus, & privatis Exercitiis, tam fideliter, feliciterque interfuit, ut, post biennium exactum, 1621. 20. Nov. publica, sub præsidio, DOCTISS. DN. M. PAULI SAGITTARII, Disputatione defensa, egregia profectuum suorum, indicia, produceret. Neque cessavit omne reliquum tempus, singulari studio exigere, quod non modo gratiam ipsi, ac addictissimam benevolentiam, passim conciliabat, sed & summam, futuri emolumenti, quod Academiæ collaturus esset, spem excitabat. Cujus prima specimina, Schola, inter nos, Cathedralis vidit: in hac enim, cum Pro Rectoratus officium vacaret, huic vero id, interprete, AMPLISSIMI SENATUS CNIPHOVIANI, vocatione solenniter transmissa, committeretur, obsecutus divinæ voluntati, 1627. 11. Aug. eam Spartam sustinere incepit, sed &, insigni cum juventutis incremento, annos fere tres, pulcherrime exornavit. Quandoquidem autem Academiæ interea operas suas non subtrahebat, diu de præmio, spectatissimæ ejus solertiæ, decernendo cogitaverat: hinc cum PL. REVER. atque EXCELL. DN. LEVINUS POUCHENIUS, EBR. LING. tunc P. P. SPECTABILISQVE FAC. AMPL. DECANUS, post S.S. THEOL. D. P.P. ET ECCLESIASTES AULICUS PRIMARIUS, supremos Philosophiæ Honores conferendos, intimaret, BEATISSIMUS HIC, solenni invitatione, ad eosdem suscipiendos, expetebatur: Cui petitioni locum concedens, 1627. 30. Sept. Laurea Philosophica coronabatur. Hac occasione, Studia Philosophica, quæ SS. Theologiæ hucusque cesserant, multo etiam solertius continuans, privatim publiceque legendo ac disputando, Academicæ juventutis commoda literaria promovet. Ipse vero id inde fructus habuit, ut, cum 1630. mense Mart. Publica Logices Professio, inter nos, vacaret, præ aliis omnibus, eidem præficeretur: qua, cum solennem, pro constitutione, & more Academiæ, Disputationem, de Princip. Demonstrat. 25. & 26. April. præmisisset, 6. Maji fungi cœpit, &, ad vitæ usque terminum, excellenti cum laude, qua &

quod à PLUR. REVER. ac EXCELLENTISS. DOMINIS, DOMINO ABRAHAMO CALOVIO, & DN. DORSCHÆO, S.S. THEOL. DOCTORIBUS, undique celebratissimis, magnis Orthodoxæ Ecclesiæ columinibus, ad supremos THEOL. HONORES, non semel fuerit invitatus: quamvis benevolo ei affectui, ob causas, quas domi secum habebat, subscribere nec voluerit, nec potuerit. Atque hæc, quæ publicam BEATISSIMI vitam absolvunt, potissima fuerunt: quibusjam, si laudem subjungere, pro meritis VIRI, vellemus, & tempus, & spatium nos destitueret. Tametsi bona ejus pars, ex iis, quæ passim, per operam hanc sparsa occurrunt, apparet: Uno saltem verbo; fuit BEATISSIMUS, COLLEGA nobis, & dilectissimus, & nunc, post inopinata fata, desideratissimus. Et merito quidem: Erat namque in eruditione, solidissime doctus; in consiliis dandis, caute prudens; in religione asserenda, serio sincerus; in labore sustinendo, strenue diligens, in dirigenda, Oeconomiæ Academicæ, ratione, dexterrime accuratus; in colendo Deo, pie devotus, in fovendo amore, aperte candidus. Et quid videtur, an desiderio digna sit VIRI virtus? Imo faxit Deus, ne ea Academiæ tempora incumbant, quæ, quod vanum aut exiguum, jam nonnulli putant, nimium ejus desiderium creent. Sed Dei amori, ac curæ, ista committimus: nunc ad privata progredimur. Quorum ut justior constaret ratio, 1631. 22. Januarii, ad nuptias animum applicans, VIRGINEM tunc, ORNATISSIMAM SEXUS SUI VIRTUTIBUS, ELISABETHAM, VIRI VENERABILIS, AMPLISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI, DN. M. SIGISMUNDI WEIERI MATHEMATUM olim, nunc HISTORIARUM P.P. QVINQVAGENARII & ultra, ut & BIBLIOTHECARII ELECTORALIS EMERITI, ACADEMIÆ SENIORIS, (quem intra decrepitæ ætatis infirmitatem, acerbo hoc funere oppressum, Dei virtus sublevet) FILIAM, VIDUAM nunc MOESTISSIMAM, sibi despondet: quam &, 28. Aprilis, solenni nuptiarum festivitate, arctius sibi jungens, optatissimum ac tranquillissimum conjugium, FILIORUM duorum, totidemque FILIARUM, (è quibus FILIAM, FILIUMQVE superstites, cum moestissima Vidua Matre, Dei curæ, ac patrocinio, fideliter serioque commendamus,) Parens, cum

SCRIPTA.

Methodologia Particularis, synthesin & analysin Thematicam, quæ Praxis Logica vulgo dicitur, sistens. *Regiom.* 1643. 1653. in 8.

Angelognosia Theologia. *ibid.* 1634. in 4.

Comes Agonisticus Lectionum Metaphysicarum. *ibid.* 1643.

Politicus bonus & malus. *ibid.* 1642. in 4.

Intelligentia subtilitatum. *ibid.* in 8.

Primordia Philosophiæ. *ibid.* 1645. in 4.

Frontispicium Logicum. *ibid.* 1648. in 8.

Primordia Pansophiæ, naturam & culturam ejus explicantia. *ibid.* 1654. in 8.

Gnostologia. *ibid.* 1653. in 8.

Gaudium magnum, quod nato Servatore Mundi Curiæ cœlestis Præco Pastoribus Bethlehemiticis, omni populo futurum, annunciavit. *ibid.* 1654. in 4.

Disputationes Philosophicas multo plures publice habuit, quam ut nos hic recensere possimus. Ex ingenti numero, quæ nos tantum vidimus sunt: De Anno Seculari: De Attributis simplicibus subjecti primæ Philosophiæ: Triga Problematum Philosophicorum.



PROGRAMMA,

In Obitum
MAGNIFICI RECTORIS,
VIRI
Amplissimi, Excellentissimi atque Praclarissimi,

D. M. JOHANNIS SPERLINGII,

Physices Professoris Celeberrimi,
Propositum à
PRORECTORE ACAD. WITTEBERGENSIS,

MICHAELE SENNERTO,

Anatom. & Botan. Prof. Publico.

QVod sine gubernatore navigium, sine Duce exercitus, orbatum anima sua corpus; id sine capite, sine Rectore Academia est. Debet ludibrium undis cymba, cum nemo, qui moderetur & flectat adest: Inutilis est exercitus vis, nisi ad unum omnis conferatur potestas, jacetque exangue atque immotum corpus, unde discessit spiritus, qui diffusus per omnes partes hactenus, vigorem ac vim membris singulis dederat. In non dissimilem itaque sortem Academia incidit, cum nudius quartus JOHANNEM SPERLINGIUM, Virum & Professorem consummatissimæ laudis haud tantum, verum Rectorem etiam in præsens, hoc est, gubernatorem & ducem, & animam denique suam Academia nostra amitteret. Magnum profecto, quod patimur, est; & patet latius hoc vulnus nostrum, quam ut magnitudo ejus colligi statim, aut plaga ejus sanari ex facili possit. Ad Academiæ quidem quod attinet regimen, quadrare hic fortean possit, quod Poëta princeps, de aureo illo Junoni infernæ saeratæ arboris fœtu, dixit

-- primo avulso, non deficit alter.

Ita enim provisum legibus nostris est, ut mori quodammodo Rector nobis haud possit: cum in incerto nunquam sit, qui clavum suscipiat vacuum, & regat navim, ne undis det latus,

latus, aut tempestatibus pateat; sed qui in cæteras partes SPERLINGII succedat, ubi & quando inveniemus parem? Ut assit ingenium, non tanta statim tamen & tam parata eruditionis vis adest; & licet hæc quoque non parum præstet, non usque quaque judicium tamen respondet in omnibus, quod regat ingenii vim, quod eruditionis copias, tanquam bene ordinatam aciem, produeat auspicato in campum. Nihil horum mediocre in SPERLINGIO erat: magna atque eximia omnia: quo accedebat, quod quas acceperat partes tractaret solas, non in secundis haberet curis, & quibus post alia vacaret. Quid nunc de disertissima hominis facundia dicam, qua ita & ab ingenio, & ab eloquentissimorum auctorum lectione valebat, ut quas præclaras cogitationes secum concepisset in animo, eas quam promte, tam eleganter atque venuste exprimeret? Longe enim à secta illorum aberat, qui tum philosophari se putant maxime, cum sordidum maxime atque inconditum sermonem afferunt. Nolebat deformia atq; inculta esse, quæ de pulcherrimis & maximis rebus dicenda essent. Existimabatque efficacius prodesse, quæ cum venere quadam honoreque verborum animum subirent. Difficilis æmulatio est, cum in ejus locum successeris, in quo summa omnia fuerint: & quem imitari quidem liceat, non æque exprimere. Quid faciemus tamen? Cedamus fatis, sequamur Deum, & ei committamus Academiæ statum. Hic providebit, hic in medium consulet: nos interim subjiciamus animis, nihil magnum nasci statim, sed fieri: & in fastigium ac summum verticem per declivia laterum ascendendum. Quare exequamur nunc ea, quæ nobis feralis scripturæ necessitas in præsenti imponit. Natus SPERLINGIUS itaque est Zeuchfeldi in Thuringia prope Laucham oppidum, A. cIↃ IↃc III. d XII. Julii. H. X. ad meridiem. Patrem sortitus fuit, PAULUM SPERLINGIUM, Lauchanæ Ecclesiæ Pastorem, & Ephoriæ Friburgensis Adjunctum, Virum reverendum & perquam doctum. Matrem habuit Ornatissimam fœminam DOROTHEAM, PAULI KINDLERI, Friburgensis Civis filiam. Cum primis annis statim bonitas indolis exereret se, non aliis applicandum artibus puerum censuit pater, quam maximæ omnium & præstantissimæ quæ essent. Cumque traditus scholæ patriæ mira celeritate Latinam ac Græcam literaturam arripuisset hausissetque, usque adeo ipsi

cteret, atque diversam sibi figeret metam. Deliberantis æstum explicuerunt duo summma auctoritate ac sapientia viri, FRIDERICUS BALDUINUS Ecclesiæ nostræ Antistes, cognatus noster, & M. ERASMUS SCHMIDIUS, ambo Professores publici, qui facile persuaserunt, ut à Theologia ad Medicinam animum suum transferret. Quo magis enim illa Philosophiæ parte captus delectatusque hactenus esset, quæ causas naturasque rerum vestigat & contemplatur, hoc se libentius quoque in illud studiorum genus dedit, quod fundamentum sibi Physicam & basin veluti habet. Quod ut tractaret rectius, feliciusque continuaret, plurimum sibi parentis mei monita assiduamque consuetudinem profuisse semper professus est. Quod non referrem, ne ex parentis laudibus, meas captare videri possem; nisi ingenuo Viri candori suum reddendum fuisset testimonium. In eo itaque cum esset, ut adipiscendi summi gradus licentiam peteret; non sine fato quodam accidit, ut ex decessu Viri Clarissimi Amplissimique GEORGII WECKERI, Med. D. Professio Physica vacuefieret. Tum enim recludi videbantur carceres, unde ad metam illam procurreret, quam Deus ipsi præstituerat ad summam gloriam ac laudem. Communibus enim & Philosophorum ordinis, & reliquorum Patrum suffragiis, cum maxime vero auctoritate Serenissimi Electoris suffectus in illum locum est, quem hactenus WECKERUS tenuerat. Ad quem tuendum implendumque, quam industriam, quod studium, quam fidem, quem acerrimum atque invictum animum attulit? Non ignorabat, quid Aristoteles, divino ingenio vir, quid alii in hoc genere prodidissent literis; quorum viam, ut non deserendam existimabat; ita si propior planiorque aperiretur, hanc calcandam putabat, hanc muniendam. Non occupavit omnia antiquitas: multa & juniorum industriæ reliquit. Veneranda magna nomina sunt; sed ante auctoritates habenda est veritas. Quæ nemini tota patuit: per partes conspiciendam se præbet: nec pauciora, quam prodita dederit abscondit semper ac tegit. Non obstent igitur inveniendis inventa: *nec ulli nato post mille secula præcludetur*, ut ille ait, *occasio aliquid adhuc adjiciendi*. Non hoc Philosophari existimabat: hæc Socrates dixit; ergo verum est: hoc effatus est Plato; amplectendum igitur. Hæc Aristotelis est sententia; itaque dissentire non licet. Non qui dicant, sed

quid

quid dicant, considerandum: nec quod præscriberet sibi magnum nomen; sed quod invicta ratione niteretur, id optimum statuebat. Non deerant ipsi, qui reprehenderent, & novitatem vocarent veritatis studium: quorum alios, qui immodestius videbantur agere, dignis modis excepit, alios suo irato reliquit Genio, & volutari sivit in tenebris, donec eluctarentur in lucem. Non enim cogenda veritas, persuadenda est. Tantus amator & inquisitor veritatis cum esset, ejusmodi etiam sectatus perpetuo vitæ est genus, quod conveniret proposito suo & sectæ: hoc est, quietum & placidum, & rerum illarum vacuum curis; in quibus sudare tantopere alias magna mortalium pars solet; quo liberum animum, & sui plenum, impendere cogitationibus egregiis, pulcherrimaque naturæ opera sine impedimento scrutari & contemplari accuratius posset. Unde & illud Senecæ (cujus lectione mirum in modum tenebatur, copiosissimum ingenium hominis, & singularem sapientiam admiratus) *Compositæ mentis signum est, consistere posse, & secum morari*; pro Symbolo habuit veluti, & plurimorum hactenus inscripsit libellis, testaturus quasi, quid peteret maxime atque probaret. Quid est, *Composita mens?* non perturbata distractaque incondite, sed ordinata intus bene & sibi suaviter acquiescens. Quid est, *consistere ac morari secum?* Manere scilicet intra se, & velut habitare secum, nec evagari foras, & in diversa vota ac cupiditates externas dispergere se; quod illud erat, quod optabat noster assidue, stupebatque ac præ se ferebat. Ac inde factum, quod tot præclaras dissertationes, tot libros tractatusque egregios, quibus vivet perpetuo, & ediderit hactenus in publicum, & inchoatos affectosque in scriniis suis reliquerit. Decanatu Collegii quaternis vicibus functus est: Rectoratus munus bis obiit: in utrisque partibus ita versatus est, ut plurimum semper laudis reportarit. Jam publicas operas & proprii perpetuique officii partes ita tractavit, ut nemo majorem industriam, fidem, assiduitatem afferre præstareque posset. Matrimonium iniit An. cIↃ IↃcXXXV. Octobri mense, cum lectissimam virginem ELISABETHAM, PETRI MULLERI, Senatorii viri filiam (quæ utroque parente orba, tum apud vitricum suum, Excellentissimum atque Clariss. Virum, WILHELMUM NIGRINUM Practicæ Philosophiæ Professorem publicum, degebat) sibi conjugem nec-

cteret. Ex qua suscepit liberos septem, masculos omnes, una ELISABETHA excepta: quam florentissimam virginem superiore anno extulit, & acerbissime hactenus luxit. Ex pueris quatuor reliquit superstites: JOHANNEM PAULUM, PAULUM GODOFREDUM, PAULUM CHRISTOPHORUM, & DANIELEM adhuc infantem. JOHANNEM NICOLAUM, & GODOFREDUM jam dudum composuit ætate prima ereptos. Amavit omnes impensissime, ita ut nulla alia in re, quæ inter bona haberi soleat, aut lætari uberius, aut delectari voluptuosius videretur. Adversus cæteros etiam, quibuscum agendum ipsi versandumque esset, & humanissimus semper & plenus officii fuit. Collegas amavit, coluit, respexit summopere: & eadem ab ipsis plenissime recepit officia. Qui sequerentur scholas suas Juvenes, aut extra eas adirent se consulendi caussa, liberaliter juxta & comiter habuit; aversatus neminem est, libenter & prompte admisit omnes, & gestiit quasi res atque studia eorum juvare ac promovere quantum posset. De Pietate ejus erga Deum, quæ summa maximaque virtus est, & cæterarum omnium fundamentum, nihil dum diximus. Quam præter documenta alia, loquuntur clarissime atque abunde testantur preces, quas manu sua reliquit scriptas, quæ non honores, dignitates, opes ambiant, in quibus plurimi sua consumunt vota; sed bonam sanamque & integram mentem quæ optent à Deo, quæ acrem intelligendi vim, quæ judicandi de rebus sincere copiam, quæ facultatem clarè dilucideque explicandi cogitationes suas, efflagitentque ac impetrent, non tam ut clarus & celebris fieret ipse, quam fructuose ut fungi munere, ut plurimum iis prodesse posset, qui quærunt verum, scientiisque præclaris imbuere animum non sordide cupiunt. Fuit maximam partem sano & valido corpore: sed annis proximis tentari calculo renum cœpit. Quod mali genus mox per occultũ eas sumpsit opes, ut immedicabile redderetur. Hebdomas tertia ipsa effluxit, ex quo id denuo ita ipsum afflixit, & inauspicata sabuli mole opplevit oppilavitque vias omnes, ut saccati illius (liceat ita cum Lucretio verecundius loqui) humoris corporis aut nihil aut parum admodum excerni posset. Accessit imbecillitas stomachi, cibum omnem ac potum rejicientis: accesserunt vigiliæ ex acerbissimis doloribus, quibus excruciabatur. Profligatis itaque atque dejectis

viri-

viribus omnibus, quid aliud restabat, quam quod imponit vitæ finem, & esse homines amplius non finit? Quod cum non vanus prævideret, Dominica proxima verendis mysteriis expiavit animam, simulque præcepit liberis, ut pro solutione sui allegarent Deo preces. Sequentes dies inter orationes ac hymnos, quorum nonnullos incepit ipse, maximam partem consumpsit. Inde remedium dolorum, inde præsidia & firmamenta in ultimam illam & decretoriam horam sibi petens. Ac inter ea, nunc de fragilitate vitæ humanæ atque miseria; sæpius de futura conditione nostra memorabat; subinde dulcissimum Salvatoris nomen repetens; atque in eo spem omnem atque fiduciam collocans. Nudius quartus, ut prædicebamus, acquievit leniter, post decimam ad meridiem, cum LV. annos fecisset vivens. Magnum omnino est, ut repetamus priora, magnum ac grave; quod patimur; est: sed quod humana ope averti non potuit; cum immineret; nec nunc mutari ullo ingenio potest; ex quo oppressit. Lamenta; querelæ; lacrymæ, planctus hic nihil valent. Consilium turbidæ res, non fletum expetunt: nec cogitandum; quam alta ac ingens plaga nostra sit: sed quam obduci mature sanarique utcunque possit, respiciendum. Non omnis SPERLINGIUS obiit; multa & melior superat pars. Ingenio; libris; fama perdurat. Nostrum nunc est curare exequias, & dare operam, ut honor supremus cumulatissime mortuo exhibeatur. Agite igitur, ACADEMICI CIVES, & longa decentique pompa prosequimini postea, cum efferretur ex suis ædibus post horam primam, in oppidanum primum, arcis deinde, ubi humabitur, templum. Rectorem vestrum, pro potestate commissi muneris; Magistrum, auctoritate docendi publica; Patronum studio; affectu & pietate parentem communem. P. P. Dominica X. post Trinitatis anno recuperatæ gratiæ MDCLVIII.

Funebrem magno huic Naturæ Mystæ, SPERLINGIO, *concionem* habuit, ex *Rom.* VIII, 18. *Abrahamus Calovius*, SS. Theol. D. Prof. P. Past. & Superintendens generalis, cujus titulum fecit: *Philosophia Passionum saluberrima.*

EPICEDIUM.

Qui modo pandebat docto, SPERLINGIUS, ore
Naturæ secreta sagax. Qui mente capaci

Hosti-

Hostileis superare strophas, nodosque solebat
Solvere. Quem candor morum, Suadaque Venustas
Ornabant: Nunc morte quidem surreptus acerba est,
Vivet at in scriptis, quibus in velut altera Phœnix
Surgit, & æternâ florebit laude superstes.

CHRISTIANUS KLENGEL,
D. & P. P.

ALIUD.

Eheu! nocte jacet Magnus SPERLINGIVS *ille*
Hîc pressus, jacet hîc gloria, noster Amor:
Hujus quique fuit Parnassi, RECTOR APOLLO,
Qui Candor, bonitas, qui fuit ipsus Amor,
Qui fuit in vita veri præsignis Amator,
Victor perpetuus, proh! Sopor urget eum.
Ast non ut victus jacet hîc; sed ut inclytus heros,
Hoc ceu Virtutis splendida signa docent.
Fama perennis erit SPERLINGI, *vertice Cœlum*
Qui tetigit: scriptis fama perennis erit.

ARNOLDUS LENDERIGK.

SCRIPTA.

Tractatus Physico-Medicus, de Morbis totius Substantiæ, & cognatis quæstionibus, pro D. Daniele Sennerto, contra Jo. Freitagium. *VVitteb.* 1633. in 8.
Oratio Auspicalis, de Physica Lugente. *ibid.* 1634. in 4.
Tractatus Physico-Medicus, de Calido Innato, pro Daniele Sennerto, contra Jo. Freitagium conscriptus. *ibid.* 1634. in 8.
Defensio Tractatus, de Origine Formarum, pro D. Sennerto, contra J. Freitagium. *ibid.* 1638. in 8.
Tractatus Physicus, de formatione hominis in utero. *ibid.* 1641. 1655. 1661. in 8.
Institutiones Physicæ. *ibid.* 1638. 1645. 1653. &c. in 8.
Dissertatio de Principiis corporis Naturalis. *ibid.* 1647. in 8.
Anthropologia Physica. *ibid.* 1647. in 8.
Antiparasceve pro Traduce. *ibid.* 1648. in 8.
Synopsis Anthropologiæ Physicæ. *ibid.* 1650. in 12.
Dissertatio de Semine. *ibid.* 1651. in 8.
Synopsis Physica. *ibid.* 1645. 1666. *Hardervici* 1651. in 12.
Perturbatio Calumniatoris contra J. Z. *ibid.* 1651. in 8.
Meditationes in Julii Cæsaris Scaligeri exotericas Exercitationes de Subtilitate. *ibid.* 1656. in 8.

De Principiis nobiscum natis Dissertatio. *ibid.* 1657. in 8.
Defensio Synopseos Physicæ. *ibid.* 1658. in 8.
Carpologia Physica posthuma. *ibid.* 1622. in 8.
Exercitationes Physicæ. *ibid.* 1663. in 8.
Zoologia Physica posthuma. *Lipsiæ.* 1662. in 8.

Disputationes, si quisquam, frequenter admodum, in publico Lycei Auditorio, instituit, ex quibus sunt: De Physicæ natura & constitutione: De Elementis: De Aqua: De Aëre & Igne: De Sole: De causis corporis naturalis in genere: De Homine: De Mundo: De Cœlo: De causis corporis humani: De erroribus naturæ: De Magia: De Magia naturali & Dœmoniaca: De Sanguine: De Auro: De Sermone: De generatione & corruptione rerum naturalium: De Somno & Somnio: De Stellis: De Fulmine: De Viribus Imaginationis: De Uva, Musto ac Vino: De occultis naturæ qualitatibus: De insectis: De Phantasia ejusque viribus admirandis: De Vita & Morte: De Hirundine: De Calore: De Actionibus Magneticis: De Virgula Mercuriali: De Minimis Naturæ: De Spectris: Decas quæstionum Anthropologicarum: De materia & Forma: De Meteoris in genere & in specie: De Somniis: De Monstris: Theoria univocæ viventium generationis: De essentia vitæ & mortis: De causis vitæ & mortis: Decas Axiomatum Physicorum: De Formis Materialibus: De materia, forma & privatione: De sensibus in genere & in specie: De eductione Formarum: De Traductione Formarum in hominibus: De Traductione Formarum in brutis: An Natura senium patiatur aut languorem? De Anima: De Anima rationali: De Anima humana: De Anima vegetativa: De intellectu in Homine: De generatione Hominis: De Speciebus sensibilibus: De Capite humano: De Principiis Chymicorum: De formis materialibus & immaterialibus: De generatione: De creatione formarum. De traductione formarum in plantis: De Mistione: De Subtilitate ex Scaligeri Exercitationibus Exoticis: De ordine, veritate & efficiente Mundi: De raritate & densitate: De Materia & Va-

& Vacuo: De elementorum loco; De Vacuo & Loco: De anima Mundi: De Anima Mundi Platonica: De Deo & Ideis Platonicis: De formatione corporum.

MEMORIA
ERUDITÆ NOBILITATIS
Viri Magnifici, Nobilissimi, Perstrenui, Amplissimi ac Prudentissimi
DN. GEORGII PHILIPPI HARSDÖRFFERI,
Inclutæ Reip. Norimbergensis Senatoris laudatissimi,
ORATIONE PARENTALI
Publice in Alma Noricorum Academia celebrata
Die 23. Mensis Martii,
Anno M DC LIX.
A
VITO GEORGIO HOLTZSCHUHERO,
à Neuburg.

Illustris Reip. Noribergens. SENATORES & PRÆFECTI bene merentissimi, Magnifici, Nobilissimi, Perstrenui ac Prudentissimi Viri, Domini & Patroni submisse honorandi. Magnifice Dn. Rector, Viri admodum Reverendi Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi & Excellentissimi Dn. Professores: Vosque in lætam spem Patriæ subolescentes Iuvenes Studiosi, Fautores & Amici honoratissimi.

QVem arctiore spiritu intra pectora vestra coarctat longa temporis mora paulum detepescens, nunc vero apparatu ferali denuo ex cineribus evocat luctus sermonis lamentorumque usum, cum, ego, justæ pietatis officio incitatus, mihi vindicare sum ausus, juvenis confidentissimus; de eo verba hoc die facturus, quem plerique omnes, qui aut fortunæ, aut animi magnitudine, hac tempestate nostra præeminent, non suspiriis tantum aut salsis lacrymis, quorum necessitatem vulgo etiam suis injungit cujusvis privati fatum;

sed ipso saguine suo ac spiritu, vitam ejus redditam restitutamque vellent; *Harsdörfferum*, inquam, non ita pridem naturæ legibus concedentem laudare institui: Cujus nominis quamprimum aures vestras feriit memoria, non potest non luculentissima imago, absolutissimæ, quam sors humana recipit virtutis & eruditionis examussitatæ oculis animisque recursare vestris. Nam cum moriturum se aliquando cognosceret, vitam, quod paucis contigit, contingetque paucioribus mortalium, vivendo post mortem extendit: unde non debuerat mori, nisi & illi morerentur, qui in vita nil nisi laudandum admisere: Quin tantum urbi suæ decus attulit ornamentumque tantum, ut *Noribergæ* invideret totus terrarum orbis. Quicquid enim magnarum rerum geri poterat exsequutus, quicquid sciri poterat complexus, domi, foris, ubique, clam, palam, apud omnes, etiam bonarum artium obtrectatores in pretio ac exquisitissimis deliciis habitus, maximique æstimatus. Adeo, ut cum inter privata exempla non sit, ad tanti operis molitionem, venia vel maxime opus sit: Qui enim *Nostrum* à quoquam etiam disertissimo (qualis fuit *Noster*) exhiberi posse arbitratur, næ ille magnitudinem & sublimitatem virtutum ejus nondum habet exploratam; Et qui eum à nobis satis laudari posse existimat, næ ille tenuitatem ingenii nostri ignorat. At enim vero etsi styli nostri humilitas, ad majestatem tantæ virtutis assurgere non valeat, nec vitio tamen quisquam bonus vertet, *Nostrum* publica voce celebratum, ad imitandum proponere, cujus inusitatam ac prope cœlestem humanitatem & merita, nemo non expertus est, nisi qui ipsum non novit; Qui omnes hac ætate nostra, fortunæ suæ, cultu illustrissimarum artium post se multis parasangis reliquit, publicaque voce laudare. Hæc itaque oratiuncula *Harsdorfferi* honori destinata professione pietatis aut laudata erit, aut certe excusata. Quandoquidem autem vitæ illius, à Natali, ad emortualem usque decursus, jam alibi haud perfunctorie est descriptus, nunc quidem serie ista omissa, ad *Viri* eruditionem auspicatissimo pulcherrimarum quarumvis virtutum nexu, copulatam, animum advertemus haud parum in admirationem *Tanti Viri*, in prædicationem nostræ felicitatis, in æmulationem *Eruditæ Nobilitatis* collapsurus, si hujus imaginem sim repræsentaturus. *Vos Auditores* qui ad *Celeberrimi*, & omnibus vobis singulariter *Culti Viri*

no-

nomen, ora vestra spectatius convertistis, date quæso hoc gratæ illius memoriæ, & attentas aures ad finem usque æquis animis præbere perseverate.

Quod si limites præfinitos transire luberet, Patriam, Parentes longa serie more vulgo recepto, recitare copia esset; At quem fugit, Illustrissimam, inter sidera caput jam condentis Urbis *Noricæ*, jamque & temporis antiquitate, & magnitudine meritorum se ipsam commendantem familiam, *Nostrum* orbi terrarum concessisse, quæ nisi fuisset talis, sola hujus virtute prima jam inter omnes extaret. Potioris itaque officii est ea oculis subjicere ornamenta, quibus *ipse* familiam mactavit, quæque nascendi felicitate inde retulit. Ac quidem indolem singulari quodam benignissimæ matris naturæ favore, noster, nactus erat longe benignissimam; Ingenii ad inveniendum expeditum acumen; Memoriam meminisse potentem, quæque quicquid magnum supponeret, cum res posceret promptissime suppeditaret. Imprimis vero judicii, quod sal & condimentum cæterorum omnium est, tanta valebat acie, ut vel abscondita naturæ omnia solerter penetraret. Sic nempe factum, ut nihil memoria ejus amplecteretur, nihil ingenium sibi fingeret, quod non ratio judicii approbaret. Sic juvenem didicisse quibus virum indueret, sic privatum quibus publicam dignitatem post ornaret, quis mirabitur? Adjuvabatur miranda indoles paterna disciplina, cum enim non nisi sanctæ incorruptæque vitæ domestica omnia adolescenti sese offerrent exempla, ad virtutes omnes, eas imprimis quæ istam perficiunt ac absolvunt ætatem, modestiam, raramq; quandam, & mansuram seni sicuti mansit morum verecundiam, præcipuum cujusvis ætatis ornamentum adjunxit. Quo magis abominamur, quæ hic in contentionem veniunt nostri seculi consuetudines & mores, dum cerea illa & in vitium prona ac flexilis ætas, paterno in gremio, tum parentum perversis judiciis, tum corruptis eorundem exemplis, ita fere flectitur, ac fingitur, ut lascivia & indulgentia bonæ etiam indolis semina, quæ natura ipsa insevit, extinguantur. Longe sane aliter formatus & compositus erat *noster*, qui positis pietatis in *urbe patria*, ut & bonarum artium & disciplinarum tyrociniis, magistrum studiorum suorum *Altdorffinam* nactus est: Mirum & incredibile dictu, quam tum latenti

de se constituto *Divini Numinis* decreto responderit, quam cum ingenii felicitate, quam cum industria certaverit, quam *Parentum* vota, Commilitonum æmulos ausus, omniumque bonorum excitatam de se expectationem superaverit, dubium an ingenii felicitate, an industria Præceptorum, an concitati laboris ardore. Naturæ felicitatem fovebat imprimis, omnis ille humanæ eruditionis promus condus *Philippus Carolus*, cujus informatione, & in orationibus conscribendis, & in carminibus pangendis, & in historia Sacra æque ac prophana, & in omni eruditionis genere grande decus sibi & incrementum comparavit.

Ei operam surrogarunt Philosophi & JurisConsulti celebratissimi, quorum lectionibus publicis pariter ac privatis interesse, auditas calamo excipere, exceptas in locorum communium forulos digerere, publicis privatisque Disputationibus & Orationibus, animum, memoriam & linguam exercere atque incitare, inter præcipua *Nostro* oblectamenta fuisse, ab æmulis & æqualibus ejus accepimus. Profecto vel præcipuo calculo, ista felicitatis pars est numeranda, si cujus ætas & diligentia incidat in præceptores, prudentes non minus, quam doctos, quibus eruditio non tam in ore natet, quam penitissimos animi sinus occupet. Etenim si ambo ista, ingenium fœcundum discentis, & sinceritas, promptitudo ac dexteritas docentis, amice concurrant, & ille quidem proficere, hic prodesse & possit & omni animo velit, tum videlicet operæ sit pretium & ultra vulgarem gradum doctrina provehitur. Tales contigisse *Nostro*, & ipse haud raro prædicabat, & nisi prædicasset, sane accuratæ Eruditionis copia, quam ab illis hauserat, & amabilibus vitæ præceptis, luculenter esset testatus. Sic igitur per triennium hic versarus, ut per nullum non Eruditionis genus, ingenii felicitatem & industriæ acrimoniam diffuderit, musarum suarum sedem mutare, *Argentoratumq;* transferre, animum induxit. Admonet me hic quaque juventutis tam præclare actæ, & tam egregii exempli memoria, ne indicta etiam nunc & intacta transeam, præcipitata eorum studia, qui tanquam trossuli aut levis milites armaturæ, paucis, & satis quidem frigide, annis in hisce musarum castris exactis, jam tanquam veterani, tanquam post multas hyemes, ac exercitas æstates, nescio quo titulo, vel sperare, vel petere etiam audent,

audent, missionem. Miseret me profecto & Ecclesiæ pariter ac Reipublicæ, quarum tribunalia & ambones, nisi obtorto veluti collo, meliora Majorum, ac *hujus* quoque, quem nunc laudamus (liceat enim ad imitandum optima quævis proponere) exempla, tanquam à fuga retrotrahamus, brevi profecto, non nisi cruda studia & inscitia implebunt. Neque vero eò ista dicamus, quasi intra angustias paterni agelli, compingi juventutem, ad foci familiaris ignem incalescere, blandoque matris gremio ætatem indormire, velimus. Longe alia mens nobis, alia longe probis sedet, qui, uti impotentem, imprudentioris & ne quidem privatis commodis consulere gnaræ ætatis, luxuriem frenis cohiberi; ita ignaviam calcaribus excutiendam, & in maria, in urbes, in aulas, sæpe etiam in campos & militiam propelli volumus. Quæ enim sit indignitas, animum, quem vix cœlum capit, in sesquipedali terræ frustillo captivum teneri? Quæ sit iniquitas, passerculum, liberrimo per infinitos terrarum tractus frui aëre, & hominem cæterorum animalium dominatorem caveæ unius agelli aut urbeculæ includi? Etsi enim arcano quodam vinculo patriæ obstringi videamur, meritoque istam amemus terram, quæ prima nos excepit in lucem editos, in qua infantia nostra vagiit, pueritia lusit, juventus exercita est & educata, cujus hausimus aëra, ubi familiare oculis cœlum, flumina, agri, ubi longa serie cognati, amici, sodales, & tot gaudii illecebræ, quas frustra terrarum alibi quæramus: Provida tamen natura, omnibus cupiditatem cognitionis variarum rerum ingeneravit, nosque non tantum mentis oculos circumferre, sed & maria transmittere, lustrare Provincias, Insulas cum Columbo & Magellano investigare, cognoscere urbes, instituta earum perscrutari, mores, ritus, leges, denique gentium penetrare jussit. Liberalium igitur scientiarum, bonarumque artium commeatu abunde instructus *Harsdörfferus*, probe callens quanti intersit, magnæ illius Patriæ partes nobiliores, pedibus & oculis usurpasse, atque cum judicio penitus cognovisse, quantumq; utilitatis publicę privatimque cum maximo sæpe numero gloriæ & existimationis fœnore secum trahat, induciis ad tempus cum laribus paternis, & jucunda amicorum consuetudine factis, admiranda variarum nationum scrutari, domesticos mores asperiusculos, lima peregrinationis emollire, paternamque rusticitatem extero civilitatis cultusque

sale fricare & macerare constituit; consensuque *Nobilissimi DN. Parentis Philippi Harsdörfferi*, Gallicas, Belgicas, Anglicasque terras, harumque regionum urbes, & loca nobiliora obeundo, corpus exercitiis, Nobili homine dignis, animumque linguis acuendo, in re præsenti, quod ajunt, æstimavit, quibus nexibus, vinculis, rotis, ingens iste vasti Europæi orbis volveretur: Quæque sidera quibus regnis quid promittant, quæ in Germaniam & res nostras Germanicas studii, voluntates & consilia versentur, in animis hominum, in aulis Principum, in ore nationum, solerter penetrabat. Provinciis hisce satis feliciter peragratis, alterius Græciæ, omniumque quondam artium liberalium q; scientiarum Reginæ, Dominæ ac Matris Italiæ penetralia, mentis oculorumque acie penetrare, memorabilia omnia, quæ vetustas, temporumque iniquitas spectanda reliquit, inquirere, eniti denique, ut cuncta quæ audiret, videret, animadverteret, laudabilia, in succum & sanguinem convertere, dataque occasione Reipublicæ suæ negotiis cum fructu & gratia attemperare possit. Sic igitur per quinquennium, peregrinis in oris ingenti progressu vitam cum egisset *Noster*, jussu tandem *DN. Parentum* patrios lares repetiit, alio longe fructu alio successu, quam hodie fieri amat: Bene multi siquidem ex peregrinatoribus nostris, vix è conspectu patriæ telluris in oras digressi peregrinas (liceat *Lansii* verba mea facere) si Galliam limis oculis aspexere, gallica omnia, si Italiam intuiti sunt Italica omnia, si alterum pedem in Hispaniam intulerunt, Hispanica omnia, si in Anglia pernoctarunt, Anglica omnia, & undecunque tandem peregre rediêre, peregrina omnia, mores, gestus, ceremonias, vestitum, linguam, histrionica quadam temeritate ac ineptia probant, jactitant, extollunt, paternis omnibus fastiditis, neglectis, rejectis: Unde quoque domum reversi serium nihil pariunt, sed ut tumidi tantum utres, austro blandientium opinionum gravidi, nil nisi ventos & vapores fabularum & mendaciorum evomunt, & evaporant. Aliter ut dixi, *cordatus & prudens Noster Germanus* peregrinabatur: Fulgebat in reduce sincera ac incorrupta patrii moris gravitas; quam nec diuturna peregrinatio, in pravam exteri ritus imitationem deflexerat, aut in Vanitatis ac Versutiæ amorem distorserat, nec ipsi tanti erat exoticum vitrum, quanti domesticum aurum. Quamvis vero *Noster* viarum, itinerumque mo-

molestiis & laboribus exantlatis, dulcissima amicorum domesticorumque consuetudine ac conjunctione frui potuisset; Animus tamen, nihil unquam abjectum, nihil unquam vile spirans, & de fama ac gloria semper cum majoribus contendens, plura quotidie ac majora cernere, comprehendere & cognoscere ardebat. Accendebant *Generosum Pectus Majorum Avorumque PHILIPPI & PETRI HARSDÖRFERORUM ut & GABRIELIS, ALBRECHTIQUE SCHEURELIORUM*, imagines, quorum memoria tanta *Nostro* in pectore crescebat flamma, ut denuo flagrantissimo & invicto desiderio proficiscendi inflammaretur. At cum discendi cupidis nulla unquam occasio desit, ultro quoque *Nostro* jam diu iter novum meditanti, jamque comitatum instruere, sarcinas componere, ocreas calcaribus armare, penulam sumere, equoque insilire dudum parato, sese non incommoda obtulit. Tempus erat, quo *Germania nostra*, à multis jam annis, quasi aliarum nationum sepulchretum, & publicum Martis macellum, sanguinolentis gurgitibus, & concisarum legionum sanie taboque ut & urbium ruderibus ac ruinis late horrebat, & nil nisi officina luctus, portusque calamitatum erat. Ardebat bellis patria, non grandis illa & communis solum Germania, sed peculiaris etiam, cui arcano quodam vinculo ac nexu propius obstringimur; natale nostrum *nostrique Harsdörfferi* solum bello affligebatur, infestabatur, opprimebatur. *Patres* igitur *Patriæ* de Reip. suæ salute conservanda, & ex ærumnis utcunque eripienda solliciti, *Nobilissimum virum IOHANN. IACOB. TETZELIUM* grande decus ac munimentum seculi sui, Francofurtum expediendorum gravissimorum Reip. negotiorum ergo, ablegebant: Huic comitem se *Noster* addere flagrabat, & voti facile compos factus, ea raræ eruditionis & singularis prudentiæ specimina exhibebat, ut in juvene Virum nemo prudens non agnosceret; intrante subinde animum majoris gloriæ cupidine, ingrata equidem temporibus illis, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, quippe non minus periculum ex magna fama quam ex mala est. Hinc in Urbem patriam ex itinere regressus consilio tam amicorum, quam *Nobilissimæ Matris* consensu (*Parens* enim jam naturæ debita exsolverat) *Susannam Fürerianam* splendidis natalibus ortam sibi junxit. Idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit.

Vixerunt mira concordia, per mutuam charitatem, & invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpæ est. In thalamum intrabant certissima florentis conjugii omina pudicitia & fœcunditas, quarum illa intaminatum amorem, hæc suavissima amoris pignora, *quinque masculini, tria fœminei sexus conciliabat.* At quæ rerum humanarum vicissitudo, quæ terrenæ felicitatis inconstantia? Immite fatum, ter geminam dulcissimis dulcissimi conjugii floribus stragem dedit, & ad duos *Carolum Theophilum, & Iohannem Sigismundum*, Paternæ spei, & hanc excipientis felicitatis complementum transtulit, non solum, sed & rupto sinceri Amoris Connubialis vinculo, florentissima lectissimaque *Nostrum* orbavit conjuge; Quos tamen casus, septem quamvis domesticis vulneribus confossus, neque per nimia lamenta, ac mœrorem muliebriter, nec, ut plerique fortium Virorum, ambitiose tulit. O Summam moderationem, & raram horum temporum animi infracti constantiam! Videres hic quam vere pronunciatum olim sit, à Romano Oratore: Studia Adolescentiam ornare non solum, sed & in rebus adversis solatium, perfugiumque præbere. Sic igitur privatus adhuc major privato erat, & illustrissimæ dignitatis capax, priusquam obtineret. Nemo repente factus est summus Imperator: Ætas suas requirit illustrium dignitatum fortuna, & summam rerum evertunt, qui eam in inexpertos transfundunt. Itaque & *Noster* non uno saltu, non ambitione, cui locus nullus est ubi tantum ardor de Rep. bene merendi occupat animum, non præsidio & favore amicorum, magnus hic animus, qui amorem in patriam, pretiumque sui undiquaque circumgestabat, ad Reip. fastigium ascendebat: tunc enim demum tempestive maximis admovemur, ubi magna feliciter sumus exsequuti. Ergo *Dicasterii* magistratum capessens, campum nactus est, sic satis amplum, in quo exercita per dubios casus, perque itinerum difficultates, & ad justam maturitatem provecta virtus, altius de publico merendi auspicium sumeret. Dividebat primum, ancipitem animum, cura veterum amicarum Musarum, quas deserere, aut certe non nisi partita industria colere eo ægrius ferebat, quo sanctiore fœdere ætatem ei omnem suam addixerat. At enim vero intelligebat *Vir Patriæ Amatissimus*, Vir boni partes ex asse non impleri, si quis luce hominum vitata inter Musæi Clathros

thros

hros delitescat, si profundis contemplationibus, alto veluti omnino immersus, sibi suisque Musis cantitet. Præclarum quidem, rerum humanarum, causas, motus & principia noscere; laudabile, rerum divinarum penetralia ingenii acie consequi & intrare: At nisi horum omnium cognitionem ad publicam utilitatem referas, nisi civium sive singulorum, sive Universorum, salutem procures, animum tantum imbues & exornabis, jucundissima rerum cognitione, & docti nomen occupabis, & fortassis Viri, non Civis boni, qualis & esse & audire voluit *Noster*, & cum summo publici egregii bono, emolumento, ac splendore extitit. Interpunctis igitur, non repudiatis nec sepositis omnino studiis, Reip. se devovebat totum, deque ejus incremento & promovendo bono, ardore animi indefesso & ingentibus curis cotidie contendebat. Aderat enim constans & inexcitata quædam vis mentis, qua quasvis actiones, litiumque difficultates facile superabat, quaque contra impedimenta omnia, omnesque molestias, audentior semper invehebatur: Observabat acriter & legum fori Patrii, & institutorum urbis nostræ severitatem, nec prece nec pretio in deteriorem partem flecti se patiebatur. Pauci sane ita in Judiciis publicis versantur administrandis, Multi equidem adferunt ad illa incorruptum animum, quia hactenus corrumpi non potuere, pauci servant, quia jam possunt corrumpi. Instar autem omnium, & fidem verbis meis facere, & laudis veritatem adstruere poterit, gloriosissimum *Senatus Nobilissimi Noribergensis* judicium, quo *Nostrum* idoneum judicavit, consortem imperii eligere, cujus singularem sapientiæ cognitionem, suavissimam eloquentiam, rerum agendarum promptitudinem, dexteritatem, fidem, laborem, industriam, per ipsos octodecim annos (quibus dicasterio præfuerat) luculentissimis argumentis adprobatam, jam in sinu foveret. Hic vero omnium attenderes virtutum certamen, videres contendentem cum obsequio verecundiam, dimicantem cum lætitia modestiam, quarum illæ animum & vires Reipublicæ administrandæ suggerebant, hæ eripiebant. Restitantem quantumvis impellebat *Nobilissimi Senatus* electio, reluctantem invitabat, non flagitata, sed oblata, non extorta, sed obtrusa, non pretio aut precibus empta, sed meritis *Nostri* debita dignitas Senatoria: Unde Divinam *Divini Numinis* voluntatem, ex tot bonorum votis & suffragiis, popu-

populique desiderio ac applausu, tanquam ex certis ominibus haud obscure colligere poterat. Quod si felicissime Magistratus ab iis geritur qui inviti eum susceperunt, & si inviti, non ambientes in Remp. collocandi, cui quæso alii amplissima Senatorii ordinis sparta, ornanda, augendaque melius committeretur, quam ei, qui cum omnium judiciis dignus haberetur, ipse solus dignum se vix agnosceret? Unde *Noster* difficilius juxta ac gloriosius ratus, provinciam retinere quam facere, quasi melius & altius laborum suorum initium adventasset; id omni conatu agebat, ut non majorem splendorem à novo honore sibi, adferri, quam ipse eidum conciliare intelligeretur: unde vigilantia ejus Tituli Tanti honore, quasi validiore spiritu inflammata, omnes ad Reip. pomeria & pulcherrimum ejus corpus ampliandum vires convertit. Quo factum ut occasionem nullam Reip. conducentem, & qua uti debebat, prætermitteret. Cum vulgo ita fieri soleat, ut præpostere non tam utamur præsentibus, quam uti velimus postquam effluxere. Quid vero, *Auditores*, dicam auctoritatem, cum publicam personam indueret, quid humanitatem? Rara profecto morum & ingenii mixtura, ita privatum esse, ut publici cura, ita publicum ut privatorum desideria non negligantur. At *Noster* & adhuc privatus apud privatos bona Reipublicæ, jamque publicus privatorum commoda promovebat. Quid eloquentiam prædicem? Quæ si suadendum erat modestiam, quoties dissentiendum concordem pro Republica animum, quoties probandum, quod alii bene suaserant, candorem exprimebat: Adeo ut Optimi Oratoris Imaginem, in se ipso, omnibus exhibuerit: Non qualem vulgo in umbra discimus, ubi specie inutilium verborum decipimur, sed qualem insita naturæ bonitate sublimis ille animus ex usu rerum sibi finxerat. Hinc ex Senatore, Consul, ex Consule, Scabinus, ex Scabino, mechanicarum controversiarum Arbiter & judex factus, ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus; ubi officio satisfactum, humanitatem, facilitatem, familiaritatem resumebat: Nec, illi quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto Viro referre, injuria virtutum fuerit: Nec in famam quidem cui etiam sæpe boni indulgent, gestis exultabat, eamque nec ostentatione virtutis, nec per artem quæsivit: Procul ab

æmu

æmulatione adversus Collegas, procul à contentione, & meritis atteri sordidum & vincere inglorium arbitrabatur. Ita continuis pro Rep. laboribus animum fatigabat, si fatigari dicendus sit, qui innata ingenii facilitate & experientia difficillimorum operum, publica jam tanquam domestica, & intricatissima tanquam quibus impar esse non poterat, exsequebatur. At, ne studia tantum delicatæ juventutis condimenta esse putetis, adolescebat cum annis, & in ipsam usque senectutem porrigebatur, literarum amor, ut omne etiam quod à Reipublicæ negotiis liberum dabatur, in cultu optimarum artium, & amplexu illorum, qui eas profitebantur, liberaliter occuparet, ut non immerito *Musarum Pater, Oraculum Sapientiæ, doctorum omnium deliciæ & amor* passim celebraretur. Nec patriæ muris se continebat late sonans fama, quin omnes cultioris Europæ aulas, urbes omnes, omnia Lycea, denique Eruditorum ora ac calamos implebat diffusa passim gloria *Eruditi Harsdörfferi*. Evenit hinc, ut multi non tam urbis nostræ monumenta & ornamenta oculis usurpare, quam visendi *Nostrum*, dulcissimaque ejusdem colloquia degustandi animo, peregre adventarent, ita late famam sui circumtulerat: Quin quotidie multi, tanquam ad Oraculum Delphicum confluerent ejusdemque verba tanquam Deorum Sybillinumque responsa exciperent, altaque mente reponerent. Exercebat sese quotidie Divinus animus in monumentis veterum inspiciendis, ex quibus sapientiam omnem, & bene Imperandi artes hauriri posse merito existimabat: Et tanto quidem magis quia usum eorum quotidie experiebatur. Quid hic dicam tot myriades literarum, quibus initam cum Eruditis ubique gentium amicitiam perpetuo sancte servabat & fovebat, quæ solæ incredibilem ingenii promtitudinem, in tantis Reip. negotiis, quibus quotidie vacandum erat, satis superq; omnibus possunt testari. Non illa fuco & fallaciis, quæ vitia olim, nunc mores esse cœperunt, sed heroico & plus quam humano affectu se comendabant; adeo ut ipsum qualis esset, & legeres simul & videres; legeres, sicut vivebat, videres sicut scribebat: Nimirũ eundem & stylum & animũ præstabat. Sunt in omnium jam manibus eruditissima, *Nostri*, scripta, prope infinita, sacra pariter atq; profana, quorũ multitudinem & magnitudinẽ, si quis cum annis *Nostri Harsdörfferi* conferat, ætatem ultra putet: Volvuntur sane illa omnium eruditorum in mani-

bus

bus, nec minori aviditate leguntur & releguntur, quam eà, quæ à privatis nunc teguntur parietibus, ingenti desiderio expectantur. Abeant nunc fortunæ pusiones, qui opinionibus suis ad ineptias, otio ad voluptates, dignitatibus ad arrogantiam, & gentis suæ splendore, ad contemptum literarum & odium eruditorum abutuntur. Quos non minori animo nos contemnimus, dum pretium nostri ex conscientia, & usu præstantissimarum artium metimur. Discant vero hic ex cultu illustrium studiorum splendorem Reipublicæ & æternitatem nominis comparari. Et ipse quidem, quanquam in medio ætatis spatio; proh dolor ereptus, ad gloriam tamen longissimum ævum peregit. Quippe cum & vera bona quæ in virtutibus sita sunt, implevisset, & consularibus ornamentis prædito, haud facile aliquid amplius fortuna adstruere posset; Angelorum, in sui amplexum effusorum obvio applausu; & sanctorum cœlitum festivis gaudiis & gratulationibus exceptus est. Finis equidem vitæ Tuæ, *Vir Immortalis* nobis luctuosus; amicis tristis, extraneis etiam acerbus fuit. Vulgus quoque, & semper aliud agens populus, audita morte *Harsdörfferi* tristabatur. At *Tu* in sinu *Servatoris* tui; quem à primis cunabulis; ad extremum usque halitum sanctissime coluisti, placide quiescas; nosque ab infirmo desiderio, & muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangi fas est; Admiratione *Te* potius temporalibus laudibus, & Civium decorabimus encomiis. Is verus honos, eâ conjunctissimi cujusque pietas. Quicquid ex *Harsdörffero* amavimus, quicquid mirati sumus, manet, mansurumq; est; in animis hominum, in æternitate temporum, in fama verum. *Semperque Harsdörfferus posteritati narratus & traditus superstes erit. Dixi.*

Lugubrem consignavit atque habuit concionem Nobilissimo HARSDöRFERO *Ioh. Michaël Dilherrus*, Pasto: ibidem ad D. Sebaldi Primarius & Prof. Publ. ex *Psalm.* XXXI, 16, Defuncti Symbolum fuit: *Miseri Mortales*; *nisi quotidie invenirent, quod discerent.*

In Effigiem

Celeberrimi Viri,

GEORGII PHILIPPI HARSDöRFERI:

HARSDöRFERI *animus Docto pate t eminus orbi,*

Tanti miratur qui monumenta Viri.

Ora

Ora etiam posthac Ejus Vultusque tabella
Hac pateant. Similem quæ mihi secla dabunt?

J. M. DILHERRUS.

In Ejusdem Obitum.

Induit infelix luctu se doctior orbis,
atque HARSDöRFERI *nobile funus agit,*
Quem pietas atque Eunomie Musa, Charitesque
Commendant toto; munera rara, solo.
Teutonici reparator erat sermonis, & auctor,
è tenebris quod nunc clarior ille nitet,
Ingenioque sagax varias effingere formas,
quæ vitæ nostræ sint simulacra proba.
Quicquid & Historia, & quodcunque Politica monstrat;
HARSDöRFERE, *animus calluit omne tuus.*
Prosequitur lacrumis ergo tua funera, Musas
Cultoresque almos quuquis amore fovet.

ANDR. KRANNöST.

Noridos in gemitus Pastores pectora solvunt,
Oraque Castalidum luctibus agra silent.
Contremuit Pindus, nec Pegnesus arva rigabit,
Per loca multivago murmure verna strepens.
Cur? Cecidit, cecidit Magni pars magna Senatus,
Stemmatis antiqui stella corusca ruit.
Pieridum columen, Pastorum insigne levamen,
Aonius quotquot conciliavit Amor.
Germanæ dextræ, patriaque hic cura loquelæ
Carpoferumque decus morte soluta jacent.
Ast quæ Cæsareos defessa erexerat arcus,
Atria pro requie mens petit alta Poli.

JOH. HELWIGIUS.

Adeste MVSÆ! & ite, funus exequi:
Is; ille vestri gloria ingens ordinis
Effertur. HARSDöRFERUS *occidit: dolor!*
Flos ille Vatum, Gratiarum Corculum,
Medulla Suadæ; Vera Siren Teutonum,
Et aureum omnis literaturæ jubar;
Terras reliquit, atque inerti urgebitur
Sopore posthac perpetis silentii:
Quis insequens hoc farciet damnum dies?
Sed justa, MVSÆ! justa si molimini
Apollini vestro alteri; absint lachrymæ

Nil

Nil profutura: inanis absit nania:
Sat plorat orbus orbis amissum decus,
Bene ominatis pausibus Senatui
Celebre nomen Ejus Immortalium,
Axique Stellarum inseratis, quasumus:
Vt semper orbi, harens Olympo, fulgeat.
Hoc prisca cultu prosequi voluit Viros
Antiquitas, quos censuit Diis pares.
Mactare fas est non minore gloria
Nostrum, Vetustis non minorem Heroibus,
Vt laude crescat usque & usque postera:
Dum litera atque literatorum decus
Perenni verna permanebit Laurea.

CHRISTOPH. Fürer von Haymendorff/ uf Wolckersdorff.

SCRIPTA.

Memoria Christophori Fureri ab Haymendorff. *Norib.* 1640. in 4.
Porticus Augusti Ducis Brunsuicensis. *ibid.* 1646. in 4.
Specimen Philologiæ Germanicæ. *ibid.* 1646. in 12.
Sophista, sive Logica & Pseudo Politica. *ibid.* 1646. in 12.
Arcus Triumphalis, in honorem Invictissimi Imperatoris, Leopoldi, Archiducis Austriæ. *ibid.* in fol.
De Quadratura circuli. *ibid.*
Fortpflantzung der Fruchtbringenden Gesellschafft. Nürnb. 1671. in 4.
Frauenzimmers Gespräch-Spiel 8. Theil. *ibid.* 1642. in 8.
Der schönen Dianæ 3. Theil. *ibid.* 1646. in 12.
Hertz-bewegliche Sonntags-Andachten / das ist/ Bild-Lieder- und Bett-Buch/ nach Veranlassung der Sonntäglichen Evangelien-und Episteln-Texten verfasset. *ibid.* 1649. 1652. in 8.
Poetischer Trichter 3. Theil. *ibid.* 1650. in 8.
Nathan und Jothan/ das ist/ Geist- und Weltliche Lehr-Gedichte/ sambt einer Zugabe/ genennet Simson/ begreiffend 100. Rähtsel. *ibid.* 1650. 1659. in 8.
Grosser Schauplatz Lust- und Lehr-reicher Geschichte. Franckf. 1651. in 8. Hamb. 1669. in 8.
Belgicè. Utrecht 1670. in 8.
Grosser Schauplatz der jämmerlichen Blut- und Mord-Geschichten. Hamb. 1650. in 12. 1660. in 8.

Belg-

Belgicè. Utrecht 1670. in 8.

H. von Belley Historisches Fünffeck / nebst Jos. Halls Kennzeichen der Tugenden und Laster / gedolmetschet. Franckf. 1652. in 12.

Heraclitus und Democritus, das ist / 200. fröliche und traurige Geschichte. Nürnb. 1652. in 12.

Deliciæ Mathematicæ & Physicæ, der Mathematischen und Philosophischen Erquickstunden Danielis Schvventeri Fortsetzung 2. und 3. Theil. *ibid.* 1651. 1653. in 4.

Göttliche Liebeslust / das ist / die verborgene Wolthaten Gottes entdecket von Aloysio Novarino. Diesem sind beygefüget: Pauli de Barry heilige Meinungen oder Vorträge mit Gott / übersetzet. Wolffenbüttel. 1652. in 12.

Mr. du Refuge kluger Hoffmann / das ist / nachsinnige Vorstellung des untadelichen Hofflebens / mit vielen lehrreichen Sprüchen und Exempeln gezieret. Nürnb. 1654. Franckf. 1655. in 8. 1667. in 12.

Geschicht-Spiegel / hundert denckwürdige Begebenheiten / benebens XXV. Aufgaben / von der Spiegel-Kunst. Nürnb. 1654. in 8.

Ars Apophthegmatica, das ist / Kunst-Quelle denckwürdiger Lehr-Sprüche und ergetzlicher Hoffreden *ibid.* 1655. in 8.

Artis Apophthegmaticæ Continuatio, Fortgeleitete Kunst-Quelle / durch Quirinum Pegeum. *ibid.* 1656. in 8.

Teutscher Secretarius. *ibid.* 1656. & altera parte auctior recusus 1659. in 8.

Die Hohe Schule Geist- und Sinn-reicher Gedancken / vorgestellt durch Dorotheum Eleutherum Melethephilum. *ibid.* in 12.

Der Königliche Catechismus, aus dem Frantzösischen gedolmetschet. *ibid.* in 12.

Der Mässigkeit Wolleben und der Trunckenheit Selbst-Mord. *ibid.* in 12.

Groß Trincir oder Vorleg-Buch. Item von Taffeldecken / Schaugerichten / &c. *ibid.* 1657. in 4.

Conf. de hisce G. Neumarck in dem Neu-sprossenden Palmenbaum. cap. XII. p. 464.

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS,
ad exequias

Viri Nobilissimi, Strenui & incomparabili eruditione præditi

CASPARIS BARTHII,
Sac. Rom. Imp. Equ.
Polyhistoris, Critici & inter eruditos Luminis ingentis, &c.

Cives Academicos invitat.

INgentis beneficii loco ducendum, quod hac ultima mundi canitie non tantum Christiana religio puritati suæ, detersis erroribus Pontificiis, fuerit restituta, sed & literæ sub quisquiliis barbariei prius quasi sepultæ revixerint, & incrementa tanta, ut majora vix spe præcipere liceat, ceperint: Cum ante ducentos annos, & quod paululum excurrit, Typographiæ defectus in claustris Monasticis manuscripturis frequentioribus sarciretur, præterquam quod inter blattarum & tinearum certamina Scriptores optimi in iisdem (præsertim vetustioribus Benedictinorum & Canonicorum in cathedralibus Ecclesiis, unde pleraque ad nos prodierunt, Bibliothecis) obsolescerent, variis etiam additionibus, detractionibus, immutationibus, suppositionibus, memoriæ lapsibus inter describendum, ut fieri amat, corrumpebantur. Verum, inventa Typographia, & ex tenebris istis in apricum productis bonis Autoribus, ingenia quædam heroica (quis enim sine afflatu divino magnus extitit?) & Reip. literariæ Atlantes in theatro nationis eruditæ se stiterunt, qui succollarent oneri, diversas lectiones notarent, depravata restituerent, prætermissa complerent, supposititia obelo configerent, errata in citando corrigerent, asterisco digna indice digito commonstrarent, obscuris facem prælucerent, versiones incongruas emendarent, ritus priscos edocerent, hallucinationes memoriæ indicarent, uno verbo, rem literariam collapsam instaurarent. Isthmum Criticis istis fregisse videntur Doctores Synagogæ magnæ, (his enim potius, quam Judæis Tiberiensibus Criticam sacram Buxtorfius

fius rationibus non ficulneis motus adscribit) cum stupendo prorsus labore singulas literas, singula puncta numerarunt, suo quælibet ordine disposuerunt, à lectione variantem scriptionem annotarunt, & ita corruptioni præcaverunt, ne minutissimus apex inposterum de lege perire possit. Non in disciplinas duntaxat amœniores, sed & ipsas Facultates Juridicam, Medicam, Philosophicam, inprimis Theologicam, sub limam Criticam revocatis Scriptoribus Ecclesiasticis Græcis pariter & Latinis per incuriam & injuriam mire depravatis, ab istis heroibus, Reip. literariæ Statoribus, emolumenti quam plurimum redundavit. Funem inter hosce quondam duxerunt Erasmus, Melanchthon, Camerarius, Rhodiginus, Politianus, Victorinus, Manutii, Stephanus, Muretus, Scaliger, Lipsius, Casaubonus, Gruterus, Heinsius, Salmasius, Meursius, Vossius [citeriores & in vivis etiamnum existentes commendabit posteritas] quorum nomen non nisi cum literis ulla sepelire poterit oblivio. Luminibus his & primæ magnitudinis stellis accensemus πολυμαθέστατον & in literis heluonem CASPARUM nostrum BARTHIUM, gente ac mente nobilissimum, quem scripta partim in salivam publicam dudum emissa & omnium applausu avide arrepta, partim adhuc ἀνέκδοτα vetabunt mori. Non sufficiebat huic Semoni ad Majores εὐγενεῖς καὶ γενναίους, quorum quidam sub Carolinorum temporibus ante annos octingentos claruerunt, literis & armis inclytos ortum retulisse, nisi & ipse propria luce per literas quæsita fulgens plus adhuc splendoris in familiam alias satis celebrem intulisset;

Nam genus & proavos, & quæ non fecerat ipse
Vix sua censebat.

Solis, quam Lunæ maluit esse æmulus, lucem aliis potius impertiens, quam ab aliis precariam accipiens. Quod quæsivit, etiam invenit, cum propter eruditionem edecumatam & multiplicem μουσεῖον ἔμψυχον domi forisque audiret, & nominis sui famam ultra limites Europæ proferret. Hic ipse cum septuagenario major adulto mense Sept. naturæ debitum persolvit, hodie in templo Academico (Lipsiæ enim vivere, mori ac sepeliri pulchrum sibi duxit) ceremoniis solennibus dormitorio suo venit inferendus. Epitaphium ære perennius scriptis, & monumentum ingenii sui monumentis dudum sibi paravit, ut soli lumen inferre videremur, si demum post Homerum Iliada scribere, famæque posthu-

mæ tanti Viri laudatione funebri velificari vellemus. Quo tamen solenne vetus observetur, natales, studia, peregrinationes, vitæ genus, Conjugia & vitæ pausam hoc exequiarum die rudi penicillo adumbrabimus, &, selectis potioribus, ὑπὸ μίαν ὄψιν agemus.

Lucem hanc Vir Nobilissimus, Strenuus & eruditione propemodum incomparabili præditus CASPARUS BARTH, S.R.I. EQ. adspexit Cüstrini in Neo-Marchia 10. Cal. Quintilis anno 1587. ex antiquissima, quam supra quadantenus attigimus, in toga & sago celebri familia, ex Bavaria in Saxoniam superiorem ante seculi spatium, & quod excurrit, translata progenitus. Patrem coluit Virum Nobilissimum, Magnificum & Consultissimum Dn. CAROLUM BARTH in Passendorff/ JCtum celeberrimum Serenissimi Electoris Brandeburgici JOHANNIS GEORGII Consiliarium, tandemque Cancellarium meritissimum, anno seculi superioris vergentis 97mo rebus humanis exemtum: Matrem generis, sexus & ævi sui Phœnicem MARIAM ex antiquissima familia nobili Juliacensi HACKELBUSCHIORUM oriundam, anno currentis seculi 22do ex syrtibus hujus mundi ad æternæ tranquillitatis portum præmissam, & in Salinis Sax. sepultam. Avum paternum habuit Virum itidem Nobilissimum, Magnificum & Consultiss. Dn. CASPARUM BARTH, Duorum Marchionum, Archipræsulatus Magdeburgici Administratorum JOHANNIS ALBERTI & FRIDERICI Cancellarium. Aviam raræ virtutis ac pietatis exemplar CATHARINAM, fortunatissimæ quondam GOLDHAHNIORUM familiæ hic Lipsiæ natales debentem, cujus Soror natu minima ELISABETHA jugalis Viro per Imperium Romano-Germanicum decantatissimo LAMPERTO DISTELMAYER Lipsiensi in Melsdorff & Reudersleben/ Consiliario Brandeburgico intimo cessit, ita ut Comitissa de LINAR, nata DISTELMAYERIA itidem 71. ætatis anno ante sexennium fere denata, proximo consanguinitatis gradu τὴν Μακαρίτην attigerit. Proavus paternus Ipsi fuit Vir manu Strenuus, nec minus nobili loco natus JOHANNES BARTH, qui primus una cum agnato ex Bavaria (ubi superest adhuc arx hæreditaria Schwartzbach/ familiæ BARTHIANÆ titulus) in Saxoniam Superiorem concessit, & cum esset in bene aucta parte constitutus, coëm-

tis

tis bonis immobilibus pluribus fortunarum sedem ibidem constituit. Proavia vero SOPHIA nata CRESSIA ex antiquissima & apud Norimbergenses nobili familia sata. Proavus ex altera parte in linea Paterna fuit Vir omni bonorum genere, præsertim fortunæ, & hic apud Lipsienses cumulatissimus CHRISTIANUS GOLDHAHN, qui vivus septem filias hic Lipsiæ feliciter elocatas splendidis familiis intulit, ita ut Neptis ex filia ELISABETHA Comiti de LINAR contubernalis addita fuerit: proavia ELISABETHA ex nobili CROSTEWITZIORUM familia sata Viri magni nominis CHRISTOPHORI à CROSTEWIZT alias TURCÆ dicti, Seren. Sax. Electoris MAURITII Cancellarii soror germana. Ex linea materna τοῦ ἐν εὐλογίᾳ fuit Avus Vir Nobilissimus & Strenuus JOHANNES HACKELBUSCH, castra diu secutus, qui tandem Solquellis in Palæo Marchia domicilium fixit: Avia URSULA ex veteri & jam ante trecentos annos celebri Nobilium à CHUDEN familia, sed quæ penitus quantum ad φύλαξ οἶκων intercidisse videtur. Proavus maternus ex parte dextra fuit CHRISTOPHORUS HACKELBUSCH. Proavia CHRISTINA BARTENSLEBIA: ex parte sinistra proavus fuit ANDR. de CHUDEN: proavia DOROTHEA VINTZELBERGIA. De majoribus ulterioribus, utpote HERM. BARTH jam certe quadringentos annos Magistro Teutonici ordinis, quæ summa ante dignitas) deq; iis, qui nexu affinitatis hoc mundi cymbalum attigerunt, ut sunt in historiis non exigua occupans spatia Elector Moguntinus DAN. BRENDEL, HEINR. à KURTZBACH Baro Liber in Trachenberg & Militsch & alii, dicere supersedemus impræsentiarum. Cum sacro baptismi lavacro tingeretur ὁ ἐν ἁγίοις, Sponsores fuerunt Celsissimus Marchio Brandeburgicus Byruthinus CHRISTIANUS adhuc infra pubertatis terminos tunc constitutus, filius Electoralis, Generosissimus Comes in Hohenstein MARTINUS, susceptrix Elect. Ser. Brandeb. JOHANNIS GEORGII Conjux Illustrissima. Educatio fuit accurata per decennium sub inspectione privata Præceptorum privatorum, donec anno 97. superioris seculi Parens morte nondum satis matura quinquagenarius scil. impuberi subtraheretur. Cum vero ad studia videretur εὐφυέστατος, suisque fratribus in studiis, commilitonibus, sed natu majoribus quoad memoriæ & judicii dona plane stupenda mature palmam

mam interverteret, Mater una cum proximis pie defuncti agnatis Tutoribus MAURITIO & ALBERTO Musis Eundem destinarunt, & ne ab iisdem avelleretur, quoad ejus integrum, prospexerunt. Tyrocinia per biennium posuit Isenaci sub VALENTINO WEINRICHIO & Gothæ sub famigeratissimo ANDREA WILCKIO, ubi συγχολάστης ipsi fuit THOMAS REINESIUS inter Medicos & Philologos summis nominibus hodie accensendus. Ingenium, imprimis memoriam divinam ex eo colligere licuit, quod puer novennis non sine Domini Parentis adhuc superstitis & assidentium admiratione omnes Terentii Comoedias à capite ad calcem memoriter sine lapsu recitaverit. Duodecennis cum fratre quindecenni, num ille prius institutiones juris memoriæ mandare, num ipse ὁ Μακαρίτης noster Psalterium Davidicum integrum versibus omnis generis exprimere posset, contendit: sed Noster pensum suum intra spatium paucorum mensium absolvens fratrem in hoc stadio antevertit; sicut & eodem anno versus à se conscriptos publicis typis descriptos edidit. His amoenioribus, imprimis tamen PRUDENTII carminibus, adductus hymno funebri suavissimo, in puerilibus annis delectabatur. Antequam adhuc ex ephebis excederet, Academica studia orsus progressu temporis Academias Germaniæ varias Jenensem, Wittebergensem, Lipsensem, (quam tandem præ omnibus sibi domicilium legerat) Juliam, Coloniensem, Marpurgensem, Heidelbergensem, Argentoratensem, Basiliensem, accessit; ex vivis & mutis Præceptoribus θησαυρίζων. Hoc enim ubi commorabatur ὁ ἐλλογιμώτατος agebat, ut convictu & conversatione Virorum celebrium gaudere posset, quorum & conspectum magni semper æstimavit. Sic Heidelbergæ DIONYSIO GODOFREDO, Lugduni Batavorum (cui, dum peregrina loca viseret, non dies, sed annos aliquot dedit) JOHANNE MEURSIO hospite fuit usus, in Gallia Belgica reliqua HERIBERTI ROSWEYDI de Soc. JESU, JOHANNIS PETRI NUNNESII, à quo Bibliis ROBERTI STEPHANI donatus fuit, & aliorum Virorum summorum conversatione fuit usus. Cum non omnis ferat omnia tellus tum quoad frugum, tum ingeniorum proventum, per annos quamplures excursiones in Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Belgium instituit, non tamen vagatus, ut multi faciunt, sed vere peregrinatus est, ad scopum

pum præfixum, Sui per literas perfectionem, semper colligeans. Ubi pedem in Academiis exteris fixit, ibi ad tempus substitit, ut Romæ, Paduæ, Parisiis, Genevæ, imprimis Lugduni Batavorum præsentissimis interdum vitæ discriminibus ut Genevæ, ubi JOHANNES RUDOLPHUS à DUSBACH, Bernas in ipsius complexu pestilentia moriebatur, expositus. Ex itineribus variis domum redux vitam quietam, à strepitu alienam, locum tamen in oculis & luce hominum positum, sibique magis sufficientem, in quo quicquid superesset vitæ, tranquillus perageret, Lipsiam nim. ubi 30. præter propter annos, maximam partem ædium Paulinarum inhabitator commoratus est, sibi legit. Ibi DEO suo, Musis, amicis (sed, ut erat homo perpaucorum hominum, non nisi eruditis & ὁμοτέχνοις) peregre advenientibus hospitibus, visum ipsius magno æstimantibus, sibique suaviter vixit. Tranquillitas enim studiorum causa fuit Princeps, quod ante & post Conjugium, divisis domiciliis, hic Lipsiæ vixerit, cura domesticarum rerum Collateralibus suis suavissimis & ad nutum præsentibus relicta. De monumentis ingenii hujus divini plurimis, quæ late sparsa manibus eruditorum teruntur & auro contra, præfiscini! habentur, non est cur plura dicamus, cum opera commendent artificem, & plus adhuc commendatura sint, si soli & aprico etiam adhuc ἀνέκδοτα & in scriniis latentia exponerentur. Ne tamen in utraq; sorte vitæ adjumento destitueretur, primam sibi σύζυγον Virginem nobilissimam AGNETEM à SCOLEN, Viri Nobilissimi ac Strenui BALTHASARIS à SCOLEN in Beutschlig / inter copias Electorales Equitum Magistri filiam, anno 1630. & hac illiberi defuncta & anno 1644. 3. Jan. in Salinis Saxonicis sepulta, exacto viduitatis tempore, Virginem itidem genere ac virtutibus hunc sexum decentibus nobilissimam MARGARITAM CATHARINAM à SCHLADEN Viri Nobilissimi ac Strenui ALBERTI à SCHLADEN in Staßfurt / relictam filiam 13. Febr. anno 1645. Sociam sibi junxit, ex qua etiam quatuor utriusque sexus liberorum CASPARIS FRIDERICI, AGNETIS EMERENTIÆ, MARGARITÆ ANASTASIÆ, CATHARINÆ LUCRETIÆ parens factus, de quibus filia natu maxima AGNES EMERENTIA fatis anno 1647. 19. Decemb. concessit in sæpius dictis Salinis terris mandata, reliquis Parenti τῷ Μακαρίτῃ superstitibus Deus ex alto benedicat. Icon

vitæ ipsius Christianæ esse possunt ante annos non ita multos publici juris facta confessio Germanica, ut & soliloquia rerum divinarum, quibus se peccatorem pœnitentem, in solo CHRISTI merito fiducia sua recumbentem se satis hac de re Curiosis videndum exhibuit. Sicco pede prætereimus sacros ipsius labores in scriptores Ecclesiasticos insumtos, qui nobis gustum pietatis & devotæ mentis non obscurum faciunt. Hospitem epuli sacri dictæ Salinæ sæpius viderunt: affecta vero ætate per quadriennium in suo Muséo Lipsiensi ambrosia ista Dominici corporis & nectare vivifici sanguinis ad vitam æternam pasci voluit, id quod etiam pride Cal. Sept. præsente jugali suavissima, & aliisdomesticis magna cum devotione ab ipso factum. Vitæ pausam quod concernit, præterquam quod senectus ipsa est morbus, ante triennium die ascensionis Dominicæ hemiplexi tactus fuit ὁ ἐν ἰυφημίᾳ noster, ex eo, ad beatam analysin sensim spectantibus omnibus, ad excipiendum Salvatorem suum lampade fidei, quam precibus ardentissimis luculenter satis declaravit, stetit in procinctu. Advenit iste post preces publicas proximo die 17. Sept. audita prima antelucana, secumque Beatissimum BARTHIUM nostrum εἰς τ' ἀνώπεᾳ χαλκίω transtulit, cum 71. annos, addito fere trimestri spatio in hac scena mundana personam suam decenter egisset. Vale ac plaude literarum decus ingens:

In scriptis vivas, dum fortia robore tellus
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.

Exuviæ post auditam I. pom. dormitorio suo in æde Paulina inferentur. Ut vero exequiis frequentes intersint nostri, tum ut benevolum affectum erga hoc lumen eruditæ rationis declarent, tum ut humanæ conditionis recordentur, præsentibus jubemus. P.P. Cal. Octob. anno LIIX.

Parentalia Memoriæ Honoribusque posthumis summi Herois & Assertoris literarum, CASPARIS BARTHII, post annuum à morte spatium instituit *Matthæus von der Lage*, ac in ipsa funeris deductione, concionem sacram, ex I. Timoth. I, 15. habuit *Ioh. Hulsemannus*, D. Profess. & Superint. Lipsiensis.

IN OBITUM
Nobilissimi Seculi nostri Polyhistoris,
CASPARIS BARTHII,
EQ. MISNICI.

BARTHIVS ergo FVIT? Romana Poëtria lessus
Incipe, funebres quisque Poëta modos.
BARTHIVS heu VIXIT! Romana Poëtria pausa,
Et melicæ cantor desine quisque lyræ.
Vt factum hoc, desit, res lugendissima Musis!
Qui viduis doctas aptet APOLLO fides.
Æternam deinceps miseris incumbere noctem
Atra facit semper-flebilis una dies.

TH. REINESIUS.

Portentum ingenii, nullum quo vastius æquor;
Ille animus capere & cuncta tenere potens:
Cui Musarum omnes scopulos superare, & in ipso
Vertice Parnassi sistere posse datum;
Atque omnem doctrinæ absolvere, quam patet, orbem;
BARTHIVS hic tandem versus in ossa jacet.
Phœnicem orba suum Germania plorat ademtum,
Et novus ex cinere hoc an mihi surget? ait.
Vera times, Mater: tamen haud intercidit omnis
BARTHIVS: ingenio nulla ruina venit.

AUG. BUCHNERUS.

BARTHIVS hic situs est, Germanæ gloria gentis
Tanta, in SALMASIO Gallia quantam habuit.
Pœne puer libros componere cœpit uterque;
Regum hic & ille animis æquiparavit opes;
Ambo obiere senes; livor surrexit in ambos;
Invidia ac fato major uterque tamen.
Verum Salmasio noster felicior hoc est,
In patria tumulum quod regione capit.
Imo Teutoniæ sortem hinc jactare decebit,
Quod tantæ sobolis Lipsana cara tenet.

TOB. MOEBIUS.

Hic situs interpres Vatum dexterrimus ille!
Humani ingenii BARTHIVS altus apex;
Clarus Avis, summa doctrina clarior ausis,
Teutoniæ Phœbus, Nobilitatis honos.

Scriptorum repulit qui de tot noctibus umbras,
Iussit & obscuris rite redire diem.
Non tenebris jacet in tetris. Tumulum aspice! Lux est:
Ipsaque mors vitâ cessit inoccidua.

CHRIST. DAUMIUS.

SCRIPTA.

Juvenilia Sylvarum, Sermonum, Elegiarum, Lyricorum, Epigrammatum & Jamborum. *VVitteb.* 1607. in 8.

Panegyricus in obitum Laurentii Rhodomanni, Histor. Professoris Witteberg. *ibid.* 1608. in 4.

Virgilius cum Commentario, *Amberga & Francof.* 1608. in 8.

Opuscula Poëtica. *Hanoviæ* 1612. in 8.

Cave Canem, de vita, moribus, rebus gestis, Divinitate Gasperis Scioppii Satyricon, Auctore Tarræo Hebio, Nobili à Sperga, Germano, *ibid.* 1612. in 12.

Scioppius excellens, in Laudem ejus & Sociorum, pro Josepho Scaligero, & omnibus probis, Epigrammatum libri III. *ibid.* 1612. in 12.

In Monarchiæ Romanæ Cœsareæ Vindices à Melchiore Goldasto editos, Panegyricus *ibid.* 1612. in 12.

Amphitheatrum seriorum jocorum libris XXX. Epigrammatum constructum: Amphitheatrum gratiarum libris XV. Anacreonte modimperante constitutum: Amphitheatrum sapientiæ, quæ ex libris hauriri potest, cujus X. libri puris Choliambis scripti: Sub ejusdem Tarræi Hebii nomine *ibid.* 1613. in 8.

Petronii Arbitri Satyricon cum Notis. *Helenopoli* 1610. in 8. *Lugd. Batav.* 1618. in 8.

Amabilium libri IV. Anacreonte decantati. *Francof.* 1612. 1623. in 8.

Galli Confessoris Christianæ doctrinæ compendium, seu Sermonem Constantiæ habitum, C. Barthius recensuit, & Animadversionum librum adjecit. *ibid.* 1623. in 8.

De fide Salvifica libri duo, & de Constantia libri duo. *ibid.* 1623. in 8.

Claudii Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, addita variarum Lectionum annotatione, cum notis, *ibid.* 1623. in 8.

Epi-

Epidorpidum, ex mero Scazonte, libri III. in quibus bona pars humanæ ſapientiæ graviſſimo metro ſuaviter explicatur. *ibid.* 1623. in 8.

Soliloquia rerum divinarum. *ibid.* 1623. in 8. *Cygnea* 1655. in 4.

Phœbadii liber contra Arianos, cum Animadverſionibus. *ibid.* 1623, in 8.

Paraphraſis Poëtica Fabularum Æſopicarum. *ibid.* 1624. in 8.

Zodiacus vitæ Chriſtianæ, Satyricon, pleraque omnia veræ ſapientiæ myſteria ſingulari ſuavitate enarrans, *ibid.* 1623. in 8.

Parnoboſcadidaſcalus Latinus, de lenonum, lenarum, conciliatricum, Servitiorum Dolis, Veneficiis & machinis plus quam Diabolicis, ex lingua Hiſpanica, in Latinam transſcriptus. *ibid.* 1624. in 8.

Adverſariorum Commentariorum libri ſexaginta, quibus ex univerſa Antiquitatis ſerie, omnis generis loci, tam Gentilium, quam Chriſtianorum ſcriptorum illuſtrantur & emendantur, cum XI. Indicibus. *ib.* 1624. 1648. in fol.

Erotodidaſcalus ſeu Nemoralia. *Hanov.* 1625. in 8.

Philippi Cominæi Commemorationum rerum geſtarum dictarumque Ludovi XI. & Caroli VIII. Regum Franciæ libri IIX. ex Gallico tranſlati. *Francofurt.* 1629. in 8.

De Latina Lingua, & Scriptoribus Latinis, commentatio, inſerta J. M. Dilherri Apparatui Philologico. *Ienæ* 1632. *Norib.* 1660. in 12.

Claudii Claudiani, quæ exſtant, cum Commentario Grammatico, Critico, Philologico, Hiſtorico, Philoſophico & Politico. *Francof.* 1650. in 4.

Æneæ Gazæi Dialogus, de Animorum Immortalitate, cum Zacharia Mitylenæo, Philoſopho Chriſtiano, additis C. Barthii notis & animadverſionibus. *Lipſiæ* 1654. in 4.

Claudiani Ecdicii Mamerti, de Statu Animæ libri III. ut & Hermæ Paſtor, itemque Paciani paræneticus ad pœnitentiam, cum Animadverſionibus. *Cygnea* 1655. in 8.

Guil. Britonis, Angli, ſpeculum boni Principis, cum commentario. *ibid.* 1657. in 4.

Animad.

Animadversiones ad Papinii Statii Thebaidem. *Lipsiæ* 1660. in 4.

Notæ in C. Plinii Cæcilii secundi Epistolas, editæ primum cura Jacobi Thomasii. *ibid.* 1675. in 8.

Responsio ad epistolam Jacobi Kelleri, sub nomine Jacobi Hailbronneri scripta, ex Bibliotheca Christiani Daumii, à Johanne Frid. Hekelio edenda, non adeo pridem in Nundin. Lipsiensium Catalogo promittebatur.

HONOR EXEQVIALIS, VIRO

Amplissimo, Excellentissimo atque Clarissimo,

DN. M. SIMONI DACHIO,

Poëseos Professori Publico, Poëtarum nostri seculi facile Principi,

Dn. Collegæ hucusque honoratissimo, nunc æternum desiderando,

Exhibitus à

RECTORE ET SENATU ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

NOn Theseo ergo soli Oschophoria sua, misto plangentium plaudentiumque clamore resonantia, celebranda erant; sed & nostræ proh dolor Academiæ ea infelicitas est, ut inter medios, solennissimorum LUDORUM, plausus atque jubila, næniam adornare, atq; gravissimo luctui, omnem solennitatis splendorem, submittere jubeatur. Quemadmodum enim celebratissima, Viri Excellentissimi, Amplissimi, ac Clarissimi, DN. M. SIMONIS DACHII, Poëseos P. P. & inter Seculi nostri Poëtas facile PRINCIPIS, Domini Collegæ ac Amici Honoratissimi, nunc æterno desiderio requirendi, eruditione ac Virtute, ita in sinu hucusque gavisa fuit, ut læta ac gratulabunda, caput, inter quamplurimas alias Musarum sedes, efferre, ac, de incomparabili, tanti viri, splendore potuerit gloriari: ita nunc, justo mœrore depressa, lachrymis atque luctu squalet, dum insigne

gne adeo sui ornamentum, undique quærit, ast nullibi valet invenire. Neque id immerito: cum namque omnis bene beateque vivendi ratio, viris, literarum disciplina, præclaris, accepta, juxta sapientes, sit referenda; facile hinc apparet, quam & feliciter agant Respublicæ, copia Doctissimorum abundantes, & quantum detrimenti, ex obitu & jactura eorundem, iisdem accedat. Et quis adeo rerum nostratium expers est atque ignarus, ut quantum ornamenti atque Illustritatis, ACADEMIÆ nostræ, DACHIANA MUSA, attulerit, ignoret? Ecquis fere, Europæi Orbis, angulus adiri potest, quem divinum ejus ingenium, non oblectavit solum, sed & illustravit? Neminem quidem, è, literarii Orbis, proceribus, nominare licebit, qui non, admirandum Viri Genium, & in eo, Academiam Albertinam, admiratus, felicitatem utriusque, communi, publici elogii, consensu, celebrarit. Imo in excelsissimas, Regum Principumque, penetrans arces, ita summorum Mundi Capitum, animos & voluptate, & graviori quovis motu perfudit, ut, quantum ab aliis laudis, tantum ab his Clementiæ reportaret. Sed fuit heu nobis! illud tempus, quo illustres, Magni Viri, nomine resplenduimus, nunc, cum ipso, cœca mortis caligine, obruto, multum caligare Athenarum nostrarum claritas videtur. Quæ proinde cum ita sint, ac, juxta Stoæ principem, damnorum omnium maximum sit, amicum perdidisse: quo tandem luctu damnum illud, quod ejus Viri jactura, qui non modo bonis omnibus, candida amoris integritate, ac sanctissima fide, conjunctissimus amicus, sed publicum, rei literariæ, ornamentum ac delicium fuit, patimur, æstimandum videtur? Et testatur id quidem, communis ille, quo, summi pariter, ac imi, Virum desiderant, dolor, ita ut leniendo potius, quam exaggerendo, opera nostra sit locanda. Neq; sane, sine modo, inconsulto dolori, est indulgendum, nisi, in Virtutem, adeoq; Musas ipsas, quæ, dignum adeo laude Virum, mori vetant, injurii esse velimus. Vel an omnino omnium mentibus excidisse putemus, quæ nudius quartus, sub publicam Ludorum Philosophicorum, festivitatem, de admiranda, nobilissimæ Palmæ, vivacitate diximus, qua non modo, æterno foliorum, nunquam deciduorum, vigore amœna viret; sed etsi, externa violentia, resecta sternatur, ex semetipsa suscitata, succrescit. Scilicet domi habent veri Musarum cultores, quod vanissimæ temporis fugacitati & mor-

& mortis ruinam interitumque minantis, tyrannidi opponant. Ipse namque è limpidissimis Musarum fontibus, promanans liquor, ea virtute pollet, ut postquam semel pectus ipsorum rigavit, non modo amplissima, nobilissimorum fructuum, ubertate fœcundat, sed novas insuper subinde sufficiens vires, vivaci ita semper vigore animat, ut nulla vi, nulla sævitie, lædi unquam possit. Ita videas, sitientem ardentemque humum, inter flagrantes cœli ignes, benigno reficientis pluviæ, affluxu, saluberrimis frugibus ferendis, & præparari, & confirmari. Non aliter de sapientum statuas animis, qui, post centena, & millena, fati sui secula, eo vigore nobiscum vivunt, ut efficacissima operantes Virtute, non minus Commodi nobis, quam dulcissimi delicii, pariant. Adeo non Orphei tantum sanguis, semper vocalem Herbam, Cytharæ nomine, si fabulis fidem adjiciamus, produxit: Sed omnium, quotquot literis clarent, ea felicitas est, ut, supra omnem temporum injuriam eminentes, celebrata æternum nominis memoria, atque laude, cantentur. Atque hinc est, quod commune, celebriorum Virorum, effatum reperiatur, se quia exegerint monimentum, ære perennius Regalique situ Pyramidum altius; quod non imber edax, aut Aquilo impotens, possit diruere, aut innumerabilis annorum series & fuga temporum, non omnes morituros, sed multa sui parte, Libitinam vitaturos; & usque recentes postera laude accreturos. Ita vero dum colligunt, non emendicata, ab aliis, monimenta, requirunt, sed pulcherrimas sibi ipsis, non Corporum, sed animorum, statuas ponunt, ac æternos, quamvis sine voce, Virtutis statuunt præcones. Qui sane immortalitatis honor, tanto certius Beatissimo NOSTRO contigit, quanto felicius, elegantioribus, profanarum Musarum, deliciis, religiosam, colendi Numinis pietatem conjungens, eas Odas, revera Deo suo, ast vero ac æterno; plenus, Christiano orbi dedit, quæ certissime, cum DEUS has, juxta cultum suum, perennare sit jussurus, æternitate pariter vatem suum donabunt. Est hæc privata Magni Dachii laus, ea gloria patriam mactasse, ut cum Vernaculorum hymnorum, & elegantia, & devotione, & numero, plurimas alias Germaniæ provincias longe superet, cui concedat, occurrat nulla. Et quis dubitet, quin hac regia ad veram cœli immortalitatem, provectus, nunc Sacrosancto, divinorum vatum, Choro admixtus, quos hic, sub-

missa

missa humilique voce, tentavit, plena ibi voce, æternos Deo hymnos decantet? Eas nunc,& eum mortuum esse dicas virum, qui & nominis æternitate in terris, & animæ felicitate, in cœlis est immortalis. Imo non; si oculis subtractus, mentibus quoque subtractum putemus: quod quo minus fiat, laudatissimam ejusdem memoriam, omnium bonorum animis, semper obversaturam, nunc porro proponamus; Natus is est, in fortalitio Memenlensi, 1605. 29. Julii, Patre Spectatissimo, integerrimo atque Doctissimo Viro, Domino SIMONE DACHIO, interprete, prout incultior ejus temporis; quoad Linguæ Germanicæ usum, ratio requirebat; Linguæ Lithvaniæ; Matre Lectissima ac Pudicissima Matrona; ANNA LEPLERIN; cujus beatissimus avus Consul Memelæ Meritissimus, seculum vivendo integrum transgressus, satur tandem vitæ, fato suo cessit, secutusque post, suo tempore, BEATISSIMI NOSTRI Parentes, reliquosque suos, inter beatos excepit. Renatus initiationis Sacramento, tanto solertiori cura, ab optimis Parentibus educabatur, quanto sublimius, elegantiusque ingenium, prima statim ætas ostendebat, illustrissimis ita prorumpentibus igniculis, ut & à Piissimo Parente, & Doctissimis, quibusvis viris, Musarum sacris dedicandus, judicaretur; Quo fine Scholæ Patriæ instruendus committitur, inque ea, juxta Pietatis, ac literarum fundamenta jacta, tanto in Musicam (qua post omni vitæ tempore,& multum oblectatus, & plurimum valuit) ferebatur amore, ut absque ullius fere informatoris ductu, egregium ejus usum sibi acquireret. Annum ætatis agens XIV. studia continuaturus, Regiomontum mittitur ac intra ædes Pl. Rev. Clariss. ac Doctissimi Viri, DN. JOHANNIS VOGLERI, Diaconi Cathedralis meritissimi, b. m. cujus beatissima Conjux matertera Nostri hujus erat, receptus, in Schola Cathedrali, sub ductu Cl. DN. M. JEREMIÆ NIGRINI, cui ob nativam in Poësi promptitudinem apprime clarus erat, laudatissime in literis progredi incipit, ast sævissima Contagione, quæ 1620. horrendum grassabatur, sufflamen objiciente, domum regredi jubetur. Repetito tamen Regiomonto, post remissum luis furorem, pristino hospitio utitur, dum eodem anno, circa Paschalia solennia, commodum fieret, ut Vir postmodum Pl. Rev. Excellentiss. ac Clariss. DN. MARTINUS WOLDERUS, Pastor Ecclesiæ Parochialis, eximiis meritis, plurimum

timum famigerabilis, ut &, Venerandi Consistorii Sambiensis, Assessor dignissimus, ad exteras Academias hinc discederet; Hunc ergo, post obstrictam famulitii fidem, comitatus Noster, per Pomeraniam, Witebergam accessit, & ibi confirmaturus, quæ solidissime jecerat, fundamenta, Scholæ primum Civicæ, Triennium solidum, magna cum solertia impendit. Dignus hic & Patrono suo laudato, & aliis videbatur, qui ad Academicas lectiones admitteretur, ast, quia ipse defectus, non exiguos, in Logicis, Rhetoricis & Græcis deprehendebat, deprecatus id honoris, supplere istos (ô si ita plurimi, implumes, inter nos, ICARI, qui revera, ante alarum usum, magno suo cum præcipitio, sublime evolare annituntur, agerent) ante malebat. Ut ergo voti hujus compos, ex asse, redderetur, ad Celeberrimum, quod Magdeburgi florebat, Gymnasium dimittitur, hicque hospitio quidem Pl. Rev. Cl. ac Doct. Viri DN. M. CHRISTIANI VOGLERI, Archi-Diaconi ad D. Johannis, informatione vero Excellentissimi EVENII, & reliquorum informatorum, Dn. M. BLOCII, & MÖSERI utens, tam feliciter profecit, ut præter alia publica specimina, Disputationem, Græco idiomate, conscriptam, eodem Respondente, cum applausu, defenderet. Anno 1626. cum & peste, & bello, affligi urbs ea inciperet, securitati suæ consulturus, post egregiam, mirandorum profectuum, laudem obtentam, non absque maximorum periculorum, à milite Wallensteinii & Mansfeldii imminentium, metu, salvus ac incolumis, per Marchiam, Lüneburgum, Hamburgum, inde Gedanum, ac tandem Regiomontum, DEO Duce ac Comite feliciter est delatus; Hic 21. Julii, Civibus Academicis, adscriptus, ita post omnẽ, inter eos, vitam exegit, ut publicis privatisque, in re Philosophica ac Theologica, exercitiis institutis, magnam undique, de se spem excitaret. Vices enim, & Respondentis, & Opponentis aliquoties sustinens, non modo applausum semper meritus est, sed & continuatum DNN. Professorum favorem, confirmavit. Et quandoquidem, Theologiæ studio, totum se mancipaverat, Homileticis etiam exercitiis occupatus, sæpius, in concione sacra, verba fecit; quod tamen institutum suum, Deus ipse immutasse videbatur, cum 1633. Scholæ Cathedralis, constitueret Collaboratorem, Gravissimum tunc sane onus imponi sibi videbat, sed Deo obsecutus, promptus & suscepit, & tanta cum fide gessit, ut initio,
quarti

quarti ordinis, discipulos informans, gravissimum animi deliquium, ad linguæ usque deficientem usum, pateretur. Atque hoc primum, mali morbique omnis, initium, quod neglectum, perpetuoque labore vires sumens, omnis subsecutæ infirmitatis, mater fuit: Cui cum graviores Con-Rectoratus curæ, quas 1636 subibat, succederent, majus subinde valetudinis, succedebat detrimentum. Accidit interea, ut vere Nobilis ac Consultissimus DN. ROBERTUS ROBERTINUS, Supremi tandem in Borussia Regiminis Secretarius meritissimus, exactissimus optimorum ingeniorum censor, à diuturna, variæ peregrinationis, molestia, redux, patriam hanc suam reviseret: Qui cum in varia, Latino pariter atque Vernaculo idiomate, conscripta, à Beatissimo, Carmina forte incidisset, primus ipsi Dux & Autor exstitit, ut quas, Natura largiente, dotes, in tractanda Poësi, obtinuisset, digne impenderet eidem, ac, solertiori cultu, perficeret. Cujus consilio non modo tunc locum dedit, sed & quod salutare, sibi, omni vitæ tempore, idem fuisse experiretur, post terminum etiam illius, petiit prædicari, Magni eum Amici affectum. Primi illi stimuli fuerunt, quibus actus Beatissimus, ita Romanam Germanamque Poësin expolivit, ut merito, restitutam eam pristino splendori, eidem, cum reliquis, non minoris nominis, Viris debeamus. Jam innotuerat 1638. Divo Georgio Wilhelmo, & cujus imperio (fax it Deus diu & feliciter) nunc regimur, Serenissimo Principi Electori, FRIDERICO WILHELMO, &c. &c. &c. Domino ac Nutritio Nostro Munificentissimo, auspicatissimum, in Borussiam, adventum gratulans DACHIANA MUSA: & ita innotuerat, ut nulla eandem oblivio, Clementissimæ Memoriæ, subtrahere posset.

Hinc porro factum, ut vacanti Poëseos Professioni, 1639. hic unus dignissimus, qui præficeretur isti, judicaretur: Et profecto, dignissimum eum fuisse, res ipsa postmodum est locuta. Et quidni rem quoque ipsam, laudes Beatissimi loqui potius patiamur, quam ut nos easdem, hac præsertim temporis angustia, minus rite enarrando, imminuere audeamus. Sed salva sunt omnia: Loquitur eas, Clementissimus, Serenissimi ac Potentissimi Nutritii, una cum Serenissima Conjuge Electorali, affectus, quo DACHIANAM MUSAM & aspexerunt, & munificentissime compensarunt. Loquuntur eas, tot dissitæ Provinciæ, quæ suo honori &

oblectamento augendo, DACHIANAM MUSAM instantissime expetierunt! Et quid multis? Ipsi dicite, si ulla, celebriorum Nuptiarum, exequiarum, aliarumque solennitatum, festivitas, per universam provinciam, absque DACHIANA MUSA, potuerit celebrari. Summa hæc Viri laus, quam tamen ipse, modesta humilitate, deprimens, in imis semetipsum collocavit, eminentiorem eam putans; quæ à Pietate in Deum, à fide in Principem, à solertia & dexteritate in officio, à candore erga amicos, à promptitudine in aliis juvandis, enasceretur. Harum itaque, & aliarum Virtutum, sanctissime semper studiosus, id felicitatis obtinuit, ut ubique largissimam, Dei benedicentis, gratiam experiretur. Omnium tamen certissime, hanc sensisse, ipse fatetur; cum, Deo pronubo, 1641. 29. Julii; Ornatissimam Sexus sui Virtutibus tunc Virginem, nunc Viduam Mœstissimam REGINAM, Viri quondam, Consultissimi atque Amplissimi DN. CHRISTOPHORI POHLII, Advocati, in Nobilissimo Judicio Aulico, Ordinarii, ac Venerandi Consistorii Sambiensis Assessoris æquissimi, filiam superstitem, solenni nuptiarum ritu, sibi sociaret. Et exoptatissimam, hujus conjugii, tranquillitatem Beatissimus ipse expressurus, dulcissimam conjugem, unicum suum, juxta Deum, in adversitatibus, solatium, refugium, refrigerium, atque portum, appellat. Neque parum ejusdem felicitati, à fœcunditate, cum V. filios, III. filias, è quibus Filii, natu maximus & minimus; cum filia unica, defuncti jam mortalitate, quiescunt, susciperet; accessit; quæ vero, cum turbata mortis tyrannide, omnino recesserit, illud unum, ut superantibus liberis reliquis; cum afflictissima Matre Vidua, bene esse jubeat, ac Ducem se, in sectandis, Beatissimi Parentis, vestigiis, præbere Supremus Viduarum Orphanorumque Præses, dignetur; serio precamur. Habuistis hucusque Beatissimi Vitam, quam dum tanta laude illustrem auditis, illud vestra sponte cogitabitis, nec laboris parum eidem adfuisse: quin credite, laborem unum fuisse, qui & vires magis magisque infirmaverit, & tandem, fatali imminente termino, omnino prostraverit. Annus quippe jam secundus, supra vigesimum, labitur, cum malo Hypochondriaco oppressus, proxime à morte abesse videretur; ast Dei asserentis Virtute, ac solertissima valetudinis cura, ad hoc usque temporis, quamvis laborante fere perpetuo corpore superfuit. Accedebant varii alii pulmonum

monum defectus, cum Asthmate, & aliis Symptomatibus, quibus impedientibus, nunquam fere rebus suis gerendis sufficit; neque tamen defuit, sed, reluctantibus etiam viribus, strenue, quantum poterat, suum peregit. Tandem sub anni elapsi terminum, omnino lectulo affigebatur, ac quamvis varie morbus luderet, jam liquidam satis restitutionis spem ostendens, jam decollans omnino, vires tamen omnes, adeo, contra pretiosissimorum Medicamentorum Virtutem, prolabebantur, ut fatalis terminus indiceretur. Huic ergo rite obtinendo animam, iterato aliquoties, Divini epuli, usu confirmavit, atque hinc, pro spectatissima sua pietate, Deo omnia committens, orando, suspirando, gemendo, incredibili patientia, novissima exspectavit. Hæc vero cum adessent, eadem animi constantia, 15. Aprilis post I. matutinam, intra LIX. ætatis annum, Spiritum, placidissima morte avocatum, DEO, ut æterno gaudio refectus, in patriis manibus quiesceret, reddidit. Adstat ille hunc, adorando, æterni Agni Triumphatoris, throno, ac palmis laureisque non marcescentibus, ornatus, vero Divinorum Vatum fruitur honore. Quem uti, non exprimendum, honorem, ipsi gratulamur, ita vos, Cives, Celeberrimi Vestri Professoris, Viri undiquaque Magni, funus, hodie post XII. tumulandum, citra monitum, ultro deducturos confidimus. Sed & illud monemus, ut pro digno, tantis Viri Virtutibus, Successore, DEO pie supplices fiatis. P.P. 1659. d. 20. Aprilis.

SCRIPTA.

Dachiana Poëmata Germanica æque ac Latina, prout quam plurima, diversis annis formisque sigillatim prodierunt; ita longe dignissima, ut aliquando justæ molis volumen junctim constituant. Interea si quis nonnullos perpolitos stupendi ingenii hujus versus, vernacula lingua fusos, legere cupiat, poterit, promulsidis loco, libare, quæ haud parca manu *Henrici Alberti Ariis* inserta sunt *Regiomonti* 1651. sqq. in fol. ut & *Christophori Caldenbachii libris duobus, de ratione conscribendi carminis Teutonici, Norib.* 1674. in 12.

❧ (o) ☙

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,
JOH. GEORGIUS DORSCHEUS, D.
& Professor Theologus,
Ad exequias
Excellentissimi & Amplissimi Viri
DN. M. ANDREÆ TSCHERNINGI,
Philologi elegantissimi, & Poët. Profess.
Publ. Clarissimi,
XXVII. Septembr. A. Chr. 1659. beatissime mortalibus exemti,
Omnes omnium ordinum Literatos & literarum fautores, Cives inprimis Academicos,
Peramanter & officiose invitat.

A Suavissima commemoratione eorum, quæ circa myriades angelicas meditari jubet pietas nostra, redimus ad seculum, in quo serenum illud angelicæ puritatis infinitis tempestatibus turbatur. In eo occurrunt ANGELI pacis amarissime flentes, Esaiæ 33, 7. Hieronymus Stridonensis h. l. per angelos pacis accipit angelos præsides templi Salomonis, qui, quamvis passionum nostrarum incapaces, sua tamen quadam ratione acriter doluerunt, videntes, illud esse in periculo tantæ cladis. Illos ipsos Angelos putat, qui Titi Imper. tempore clamarunt, Migremus hinc. Rectius intelliguntur nuncii, quos Ezechias Rex ad Rabsacen ducem Sennacheribi Assyriorum Regis misit pacis componendæ causa, scil. Eliakim, Sobna & Joahe, qui, cum pacem à tyranno non impetrassent, adeoque extrema omnia in præsentissimo urbis excidio metuerent, fleverunt scissis vestibus, Esa. 36. Gabr. Alvarez Comm. h. l. ita scribit: Adumbrat Isaias illam oppressionem & afflictionem Jerosolymitanorum & aliorum contribulium, vastante Sennacheribo Judæam & obsidente Jerosolymam: sed ita adumbrat, ut sub ea umbra veritas eluceat adumbrata, nempe oppressio humani generis sub Diabolo tyranno. Non satis concinna est

istæc

iſtæc interpretationum conglomeratio. Poſſet quidem fortaſſis aliquo modo dici, illam oppreſſionem & affictionem Jeroſolymitanorum & aliorum contribulium, vaſtante Sennacheribo Judæam & obſidente Jeroſolymam, eſſe typum & umbram, quæ oppreſſionem generis humani ſub tyrannide Diaboli adumbret: Sed quod Spiritus ſancti ea fuerit intentio, ſub Sennacheribi malis, quibus populum Dei ille obruit, tunc oppreſſionem generis humani ſub Diabolo, tanquam ab ipſo intentam veritatem, repræſentare, id nullo indicio liquet. Et mirum, qua ratione Alvarez inducatur, ut videntes & angelos pacis eodem loco interpretetur, tanquam in rei veritate eſſent Angeli provinciarum ſaluti procurandæ à DEO præpoſiti, qui clamarunt foris & fleverunt amare, cum pacem promiſſam, præmonſtratam, petitam & miris votis expetitam protrahi viderent. Ben. Arias Montanus h. l. ſuam interpretationem continentiorem & ſequentibus conſequentiorem eſſe putat, quam eſt illa, quæ hos videntes & angelos pacis exponit Apoſtolos, dolentes Judæorum obcœcationem & Judææ vaſtitatem. Nihil enim vel de illo vel de hoc à Spiritu Sancto intenditur. Poteſt quidem ex circumſtantiarum ſimilitudine talis fieri collectio: Si angeli pacis è Republ. Iſraelitica ad Sannheribum miſſi fruſtra, amariſſimas profuderunt lacrymas, cum omnia pacis conſilia fruſtranea eſſe deprehenderunt, quanto magis Angeli provinciarum ſaluti procurandæ à Deo præpoſiti clamabunt foris & dolebunt flebiliter, cum pacem promiſſam, præmonſtratam, petitam & miris votis expetitam protrahi viderent. Vel ſi angeli pacis è Rep. Iſraëlitica ad Sannheribum miſſi & fruſtrati amariſſimas lacrymas profuderunt, quanto magis videntes & Angeli pacis dolebunt Judæorum obcœcationem & Judææ vaſtitatem? quanto magis iidem dolebunt & effuſiſſimis proſequentur lacrymis, cum meditantur oppreſſionem generis humani ſub Diabolo tyranno. Sed hæc ratiocinatio eſt & accommodatio, non typus divinitus intentus. Atque ſic noſtris proh dolor temporibus angeli pacis flent amariſſime. Nemo mihi comparationem imponat, quaſi per Sannheribum, per Rabſacen, per Ezechiam quoſdam noſtri ſeculi deſignem aut diſtinguam ſummates. Unumquemque ſua conſcientia prodet. Unumquemq; tribunal JEſu deſignabit. Interim Angeli pacis per Germaniã facti ſunt ſuperioribꝰ annis plurimi.

Tot annorū bellis exonerati efficacissimo pacis instrumento, Angelica lætitia passim pacem prædicavimus. Sed ut nunc sunt tempora, pax submota est eo loco, in quo tot summi numinis obtestationibus roborata fuit. Etiam belli furores ibi insolescunt, ubi nulla pacis rumpendæ causa data est. Monumentum atrocitatis immeritæ sempiternum DUCATUS noster esto, cui justi Principatus opes eripuit belli nuper furor. Cur non fleant amarissime, qui fuerunt Angeli pacis, PRINCIPES IMPERII, cum vident eversionem innoxii Principatus? Cur non fleant sapientes seculi, cum animadvertunt tam fortiter constricta convelli? Cur non fleant Angeli Pacis in congressu sanctorum, cum deprehendunt, tot suspiria precesque suas tanta ferocia conculcari? Cur non fleant tot pia pectora, quæ ex cœtu Angelorū pacis excludere, nefas; imo in eum includere, decus est, cum cernunt, nil nisi impietatem turbulentis seminari temporibus. Excidit cum gemitu non ita pridem vox ea Amplissimo & Excellentissimo VIRO, DN. M. ANDREÆ TSCHERNINGO, Antecessori Philologo in Universitate nostra meritis & famæ gloria cumulatissimo, cum, ut fuit perspicacissimus conversionum publicarum, dijudicator, has calamitates, quibus nunc mergitur orbis, præsagiret, fore sc. Angelis pacis flendum amarissime. Confluxerunt exercitus, ultro citroque minaces excubuerunt acies, terræ, quas insederunt, exhaustæ fuerunt, intolerabile erat exercitibus, ultra audire vagientes plorantes, ad cælum deferentes injurias sibi illatas. Festinandum fuerat longe ab istis ululatibus & exprobrationibus. Mutandæ sedes. Jure ne an injuria, malitia seculi non attendit. Exhauriendus Principatus innoxius, & adhuc vix dimidiam partem à vibicibus ac vulneribus tyrannidis anterioris belli restitutus. His intentus optimus Vir, cum præsertim oneraretur corporis molestiis multiplicibus, mundo sibi excedendum esse, accusata mortalitatis perversitate, ratus est. Equidem qui meliora optarunt seculo, qui annos viri æstimarunt, quibus adhuc pluribus prodesse possit, qui perpenderunt, non excedendo, sed obnitendo consuli posse seculo, qui in numerosam Amicorum seriem, quibus TSCHERNINGI nomen fuit amabile & venerandum, introspexerunt, qui juventutis Academicæ desideria, quibus TSCHERNINGUM inter primos coluerunt, trutinarunt, qui ipsam denique Academiæ salutem sollici-

tudinum

tudinum suarum caput censuerunt, TSCHERNINGUM perennare gavisi sunt, & ut diu gaudere liceret, optarunt. Sed vis major juvare desideria ejus visa est. Major inquam vis non ea tantum, quæ omnibus viribus humanis superior est, sed ea, quæ bonitate major est, ut melius de rebus ejus disponeret; quæ sapientia major est, ut incomparabiliter felicitati ejus consuleret; quæ divitiis major est, ut perennia cumulare possit: quæ gloria major est, ut immarcessibilem coronam largiri queat. Vixit ergo DEO, bono publico, sibi Clarissimus. Mortuus est iisdem vestigiis. Curriculum vitæ manu ejus designatum legite, ô mei, & ad vestros usus transferte. Ita ille. *Editus in lucem est anno cIↄ Iↄc XI. d. XVIII. Novembris, incunabula nactus BOLESLAVIAM Silesiorum, fœcundam magnorum & eruditissimorum virorum genetricem. De qua OPITIVS ὁ πάνυ ejusdem oppidi filius vere atque eleganter:*

BOLESLA grande SLESIÆ decus nostræ,
Et hortulorum fontiumque amœnorum,
Nec non virorum fœta alumna doctorum,
Quos censeat fors, non recensert quisquam.

Patrem habuit ANDREAM TSCHERNINGIVM, virum honestissimi nominis, Matrem MARGARITAM RVTHARDIAM, integerrimæ famæ & rarissimi exempli fœminam. Avum paternum sortitus fuit CASPAREM TSCHERNINGIVM, Civem Boleslaviensium Spectatissimum, qui anno cIↄ Iↄc XXXII. d. XV. Iunii cum septuagesimum tertium ætatis annum ageret, grande mortalis ævi spatium, repentino obitus genere oppressus exspiravit. Quale magnum illum Cæsarem sibi exoptasse, Suetonius refert. Sed erat ille paganus. Quanquam nec apud Christianos quoque repentinis mortibus quicquam inesse vitii potest, nisi quatenus imparatos aut male agentes opprimunt. Aviam paternam VRSVLAM Albrechtin/ *matronam, quæ pietate ac probitate animi, ut & innocentia morum & sanctitate quam paucas omnino habuit pares: Quæ vero anno cIↄ Iↄc XXII. d. 2 Iunii placidissimo obitu vitam cum morte commutavit. AVVM maternum nactus est ANDREAM RVTHARDVM, virum antiquæ fidei & simplicitatis; Aviam maternam ANNAM TEICHLERIAM, sedecim librorum matrem, matronam sine omni nota & fabula. His natus parentibus inter perpetua pietatis juxta & honestatis studia adolevit feliciter. Literis*

mature traditus, & initiatus in Schola patria est. Cum anno cIↄ Iↄc XXX. integrum non esset manere in patria, & orthodoxam profiteri religionem, wegen der Pabst- und Käyserlichen Seligmacher / *uti quidem audire volebant, maluit penates, patriam, parentesque relinquere, quam quotidie inter veritatis hostes de sua salute periclitari, dum illud teneret, quo cœlum & æternitatem liceret lucrari. Sic factum est, ut fretus divino auxilio, una cum duobus commilitonibus Gorlicium Lusatiæ se conferret. Qua in urbe cum exul vix pedem posuisset, ejus fidei ac institutioni commissi sunt illico liberi Prætoris Reipubl. Oppidanæ, FRANCISCI BEVERI, Viri Consultissimi & antiquæ fidei. Ita nunquam deserit DEUS, qui in se suas spes unice ponunt. Gratulatus sibi præcipue de Rectore istius Gymnasii ELIA CUCHLERO, viro summo & celeberrimo, quem ut præceptorem colebat, ut parentem reverebatur. Postea à parentibus domum revocatus, Vratislaviam (quæ metropolis Silesiæ & omnium Germanicarum urbium pulcherrima & nitidissima) studendi gratia amandatus est, quam patriam alteram appellare semper est solitus ob beneficia, quæ in ipsum contulisset, quam plurima. Anno cIↄ IↄcXXXV. d. VII. Maji, cum aliquos in omni literatura humaniori fecisset profectus, quibus ad sapientiæ studia paramur, Rostochium concessit, ubi clarissimos viros sibi adjunxit, à quorum scilicet ore frequentissime penderet. Ob rem paulo arctiorem in patriam tandem redire coactus, quibusdam ingenuis pueris ex primaria Vratislaviensium nobilitate præfectus morum ac studiorum datus est. Qua occasione cum viris præcipuis hujus urbis innotuisset, eosque benevolos sibi faventesque inprimis vena Poëtica reddidisset, factum est, ut ipsum luculento congiario instruerent, & in Academiam denuo mitterent. Consilio igitur Mœcenatum, inprimis MATTHÆI APELLIS duorum Cæsarum totidemque Principum Silesiorum Consiliarii nunquam satis laudandi, Rostochium reversus, A. cIↄ IↄcXLIV. d. XII. Maji, Brabeuta M. IO. HUSWEDELIO, at quanto viro! Magisterii Philosophici laurea ornatus est publice. Die XVI. Maii ejusdem anni in ipsum Professorum Collegium honorumq; ac dignitatum, quæ illum ordinem comitari solent, consortium cooptatus est.*

Quæritur officium primum, post quæritur Uxor.

Conjugem igitur duxit Lubecæ, SIMONIS HINZII, Advocati & No-

& Notarii Publici immatriculati, ut vocant, prudentissimi integerrimiq; Viduam, IO. MARSILII, Canonici Lubecensis & Capituli Senioris optime meriti filiam. Cum qua tanta conjunctione atque concordia vixit, quanta unquam in animos potest cadere, felicius invicem & meliore, ut sic loquamur, sidere copulatos. Adeoque de ipsis verum, quod Poëta ait:

VELLE ac NOLLE ambobus idem.

Suscepit ex ea filium unum sibi cognominem, & filiam unam ANNAM CATHARINAM, ut patris sui fatum deplorent: Illum quidem natum cIↄ IↄcXLV. *d.* XXV. *Decembr. circa noctis horam duodecimam; hanc anno* cIↄ IↄcXLVII. *d.* II. *Iunii. Rectoratus dignitas semel ad ipsum devoluta fuit, Decanatus aliquoties. De Praelectionibus publicis & Collegiis privatis judicent alii. Docuit publice, quoties per valetudinem licuit: in publicum autem egredi & demandati officii partibus fungi ob eandem adversam minime interdum potuit. Quicquid vero publice forsan neglectum fuit, affatim domi resarsit, editis scriptis, quae in multorum manibus sunt, sermone tam soluto quam ligato, variis. DEVS opt. max. in extremo mortis agone Spiritu solatii clementissime adsit, ut mimum hunc vitae ita claudam, quo fiam particeps melioris illius vitae, quae finem non habet. Idem misereatur & meorum, eosq; Spiritu suo ducat ac regat, ut timeant ipsum & super omnia diligant &c.*

Habetis vitae, fortunarum, fatorumq; B. TSCHERNINGI nostri diexodum, pietate & modestia fulgentem. Intelligitis, quam ille omnia vitae suae momenta ad rationes cum Deo subducendas composuerit. Sed nunc agonem ejus Excellentissimus & Experientissimus DN. D. JOH. BACMEISTERUS, vobis exponat. Triennium & quod excurrit est, ex quo Excellentissimus ac Clarissimus DN. ANDREAS TSCHERNINGIUS, Collega meus dum in vivis esset honoratissimus, nunc eheu! desideratissimus, languescere, deque variis corporis incommodis conqueri coepit, ingravescente indies morbo. Quanquam enim remittere, pollicerique meliora interdum videretur, resumpsit tamen ante aliquot septimanas vires suas, intenditque ita; ut aegrotus pariterque & Medicus (tanquam nihil deinceps suffecturus) animum despondérent. Tanta siquidem aderat pedum totiusque abdominis intumescentia, tanta respirandi difficultas, tanta denique omnium membrorum lassitudo, tensivusque pedum dolor, ut vix de loco in

locum amplius sese movere potuerit, cum appetitu plane prostrato. Quæ omnia Scorbutum, malum nobis familiarissimum, firmas in hoc subjecto egisse radices, & totalem viscerum introduxisse corruptionem satis demonstrabant. Hinc quoque factum, quod tandem pertinacissimi hujus hostis atrocitas, omnium remediorum apparatum vicerit, & nudius tertius consumptis omnibus viribus amicissimus meus vitam cum morte commutare coactus sit. Quod ad instantiam viduæ mœstissimæ de morbo consignare volui. Habetis curriculum vitæ Viri excellentissimi, Habetis terminum Vitæ, quæ ornamentis coruscat eminentibus. Mors, nō ea parte, qua Medicus eam spectat, sed qua Theologi judiciū incurrit, eximiis pariter claret documentis, quæ ille sermone funebri rectissime communicabit. Fiet id á meridie hora I in templo Jacobæo, ad quod, ut quod in terris superest viri magni, honesta frequentia deducatis, & sic vestrum erga literas humaniores amorem declaretis, etiam atque etiam rogo atque obtestor. Valete.

Ad CL. Virum

ANDREAM TSCHERNINGIUM,

Poëmata sua Germanica edentem.

Proximus extremæ cum staret OPITIUS horæ,
Augustum ponens mox abiturus ebur:
Quo mihi mansurum peperisti in secula nomen,
Dum canis, & docto carmine cuncta moves,
Barbite, cui, dixit, cedes? mox pauca moratus,
TSCHERNINGI inclamat nomina clara sui:
Et moriens, cerne istud, ait, tibi munus Amice:
Non alia ad nostras est manus apta fides.
Dixerat, & patulas animam difflavit in auras,
Ad cithara transit dum Genius Dominum,
Hinc Genium numerosque sonat TSCHERNINGUS OPITI,
Et spondet patria, quod dedit ille, sua.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

TSCHERNINGI, quoties legi tua carmine, dixi,
Hic erit OPITIO par, nisi major erit.
Sive Poëta velit Latiali ludere plectro;
Sive velit lingua psallere, Teuto, tua,
Audit ut hæc mea puncta in rupe bivertice Phœbus,
Iuximque Aonidum, gaudia nostra, chorus:

Iudi-

Judicium probat ille meum, probat iste: nec ullus,
Qui didicit, quæ sunt carmina tersa, negat.
Si tamen hic aliquis dubitandi fluctuet æstu,
Cujus ab invidia corda furore calent,
Fac lucem videant tua culta Poëmata: quæ nunc
Sparsim errant, vel adhuc carcere clausa latent.
Omnis erit vox una, mei quæ vox erat oris:
Hic erit OPITIO par, nisi major erit.

JOH. HERMANNUS.

FATUM POETICUM
(*aut si mavis*)
ONOMASTICUM,
In funere
Viri Amplissimi & Clarissimi,
ANDREÆ TSCHERNINGII,
Poëſ. Profeſſ. in Acad. Roſtoch. celeberrimi.

Fatum I.

MagIster AnDreas TſChernIng sILesIVs,
Est annus mortis è nomine erutus
M DC LIX.

Fatum II.

Magiſter Andreas Tſcherningius, Sileſius, Poëta.
Idem hoc Vaticinium continet.
Per Anagramma ἡμμετερον.
Surge, migra; Eliſias te in ſedes portat hic annus.

Mirare Lector: Vatis illud est fatum,
Caraque Vocis triste fatum & effatum,
Fatalis hic Vatem annus obtulit fato,
Diis illa visa & sic fuere fatata.
Hæc fata fatis veriora Chaldæis,
Fatuisque vanisque orbium poli fatis,
Fataliumque Sanctione signorum.
Cede ergo fatis, quando fixum habes fatum
Beate Vates, tuque marmoris lector
Mirare Vatum inesse literis fatum,
Mirare fatum hoc insimulque da votum.

DAN. GEORGIUS MORHOFIUS.

SCRIPTA.

Semi-centuria Schediasmatum. *Rostoch.* 1643. in 8.
Oratio Panegyrica in obitum Jacobi Fabricii, Medici, *ibid.* 1653. in 4.
Centuria Proverbiorum Alis, Imperatoris Muslimici, distichis Latino-Germanicis expressa, cum notis brevioribus. *ibid.* 1642. in 8.
Deutscher Gedichte Frühling. *ibid.* 1642. 1649. in 8.
Judith, eine Comœdia. *ibid.* 1640. in 4.
Bedencken über etzliche Mißbräuche in der Deutschen Schreib- und Sprach-Kunst. *ibid.* 1659. in 12.
Rede vor Deutschland. *ibid.* in 4.

JOANNIS FREINSHEMII,

LAUDATIO POSTHUMA,

AUCTORE

ABRAHAMO FREINSHEMIO.
M DC LXI.

MOrte perire omnia, vulgari proverbio loquimur: quod ut in ceteris forsitan rebus verum sit, in amore certe locum non habet, qui, ubi semel ex veris honestisque caussis convaluit, obitu amici capitis adeo non extinguitur, ut potius gliscat, & inter alimenta sua ipsam defuncti memoriam, ipsam absentiam numeret. Id quod ego ingenti quidem, sed eodem tristissimo documento expertus sum, audito nuper fato viri summi & incomparabilis JOANNIS FREINSHEMII, quem mihi natura patruum, affectus patrem, convictus hospitem, institutio præceptorem, benignitas patronum dederat. Cuius quidem excessu tantum abest ut expiraverit amor noster, ut bona illa donaque, quæ quondam in superstite coluimus, amavimus, admirati sumus, post fatum majora etiam atque augustiora animo nostro obversentur. Atque utinam quanta nobis laudandi FREINSHEMII necessitas incumbit, tanta etiam facultas daretur, atque copia?

pia? efficeremus profecto, ut omnes intelligerent, illum virum non modo in omni genere eruditionis excellentissimum, verum etiam vita moribusque virtuti simillimum fuisse. Sed praeter ingenii imbecillitatem, & desuetudinem studiorum, & varie interpellantes Reipublicae curas, luctus etiam moerorque adeo perturbat animum, ut nec invenire quae oporteat, nec inventa disponere, nedum exornare ulla ex parte valeamus: sed videamur rudes dicendi, videamur indocti, dummodo officii nos memores fuisse atque pietatis appareat.

Natus est JOANNES FREINSHEMIUS Ulmae Suevorum A. D. XVI. Kal. Decembr. anno hujus seculi octavo, honestis splendidisque parentibus, JOANNE BARTHOLOMÆO FREINSHEMIO, & ELISABETHA MEYELIA. In puero statim eluxit igneus ingenii vigor, facilis & fida memoria, admirabilis recti honestique amor, quibus animi bonis accedebant corporis dotes, validus membrorum & decens habitus, vegeti & acres oculi, frons porrecta, nasus regius, magna oris dignitas: prorsus ut coelesti illi ac divino animo dignum domicilium contigisse videatur, in quo habitaret, atq; tot egregias curas, tot in omne aevum mansura opera perageret; neque fefellit tanta indoles optimos parentũ, quam ut ad cultum futuramq; magnitudinem perducerent, nec curae pepercerunt, nec impensis: qua re effectum est, ut cum aliorum fideli opera, tum inprimis clarissimorum virorum HONOLDI & WOLLEBII accuratissima institutione isthaec Musae proles ea studiorum fundamenta tenerrima in aetate feliciter poneret, sine quibus ad verae sapientiae laudem decusque aditus non est. Certe anno vitae decimo quarto expleto (properandum enim nobis, ut quibus tot tantaque dicenda adhuc restant) dignus omnibus visus est ὁ Μακαρίτης noster, ut relictis inferioribus Scholis, Academias inviseret. Venit igitur Marpurgũm, deinde Giessam, quibus in locis ita legum difficillimo & vastissimo studio incubuit, ut Doctores ejus tantum ingenium, tantos profectus non citra stuporem intuerentur. Ita enim rapiebat cuncta ac penetrabat, ut non nova addiscere, sed dudum cognita repetere ac reminisci videretur. Memini ab ipso audire, admonitum se ultro à Professoribus fuisse,

ut

ut solenne Candidatorum examen subiret, meritumque Doctoris nomen & jura expeteret. Sed non poterat una acquiescere laurea immensus ille & cœlestis animus, qui magnitudinis suæ sibi conscius, omnes scientias, omnes disciplinas, spe, successu, voto sibi vendicabat. Ergo fatis ad majora ducentibus, Argentoratum petiit, urbem & civium humanitate, & Doctorum Academicorum fama; & Magistratus prudentia celebratissimam. Hic occasione carminum Germanicorum & aliquot acute dictorum, (erat enim, ut de eo vir maximus merito olim pronunciavit, totus apophthegmaticus) MATTHIÆ BERNEGGERO nosci & insinuari cœpit, qui vir, uti erat non modo doctissimus, sed etiam humanissimus & optimus, (reddendum hic est socero verissimum testimonium; quod ne externo quidem negarem) reperto tali tantoque ingenio lætus, non prius destitit, quam domo, mensa, studiis FREINSHEMIUM sibi sociaret: qui nactus instructissimam copiosissimamque bibliothecam; incredibile dictu est, quantum operæ studiique diu noctuq; in evolvendis omnis generis auctoribus collocaverit. nec enim una disciplina contentus erat, sed quicquid Theologiæ, quicquid Jurisprudentiæ, quicquid Historiarum, Philosophiæ, cæterarumque bonarum artium; vel vetus ætas reliquerat; vel nostra tradiderat, id omne inimitabili diligentia perquirebat, scientia complectebatur, acrimonia penetrabat; quod ut facilius credant, qui hæc lecturi sunt, uno exemplo fidem faciemus. *Berneggerus* periclitandi ingenii caussa obtulerat beato nostro Florum, addita prece, ut legeret, & si quid correctione aut animadversione dignum occurreret, obiter enotaret. *Freinshemius* authorem sibi nunquam lectum, & satis difficilem, sex horarum spatio non modo evolvit; sed etiam multis in locis emaculatum emendatumque *Berneggero* reddidit, ingenti hominis non tam admiratione, quam stupore: videbat enim *Freinshemium* alibi sanasse, quæ etiam doctissimorum virorum solertiam effugerant, alibi exercitatissimorum Criticorum conjecturis examussim congruere. Ad hanc divinitatem ingenii, tantarumque rerum scientiam, accessit insignis plurimarum linguarum peritia; nam præter vernaculam, & quæ doctorum propria habentur, Græcam, Hebræam, Latinam, callebat etiam Gallicam, Hispanicam, Belgicam, Italicam, Anglicam, Suedicam, Danicam. His noster artibus præsidiisque subnixus, vulgare

doctri-

doctrinam dotesque suas instituit, multum diversus ab illis, qui citra omnem aut existimationis suæ aut conscientiæ curam, cruditatem & infantiam studiorum in publicum protrudere nihil veretur, docentes antequam didicerunt. Ceterum institutum hoc aliquandiu Gallica peregrinatio morata est, in qua triennium circiter consumsit, usus contubernio viri Illustris MICHAELIS MARESCOTTI; quamquam interea non cessaret; sed plurima legeret, & sub titulo Secretarii Regii Episcopatus Metensis tabularium recognosceret. Inde redux; ducta in matrimonium BERNEGGERI filia ELISABETHA; virgine ornatissima & piissima, amicitiam dudum validam novo isthoc vinculo indissolubilem reddidit. Tum vero sociatis studiis curisque, bone CHRISTE! quot quantosque auctores Græcos & Latinos illustrarunt? quot notarum sylvas confecerunt? quot accuratissimos rerum verborumque indices composuerunt? ut ipsorum incomparabili labore, ita Reipublicæ literariæ inæstimabili bono: sed *Berneggeri* quidem laudes alii occasioni seponemus; *Freinshemii* vero ingenium eruditionemque nec ostendere melius, nec laudare copiosius queamus; quam si opera ejus, tam quæ edita sunt, quam quæ adhuc ἀνέκδοτα apud hæredes servantur, singulatim percenseamus.

Primum ingenii famæque publicæ periculum fecit; vulgati Gustavi Adolphi Suedorum Regis panegyrico, tanto successu plausuque omnium, ut incomparabilis Herois facta & magnitudinem dictis videretur exæquasse atque sensibus. Sequuta est Flori editio, quem auctorem in capita & versiculos, ut vocant, distinctum, doctissimis notis illustratum, additis insuper variantibus lectionibus, Excerptis Chronologicis, & copiosissimo utilissimoque indice usquequaque exornatum in lucem emisit; specimen exemplumque daturum ejus accurationis formæque, ad quam deinceps plures melioris commatis scriptores è Musæo Berneggeriano prodirent. De Potu Calidæ dissertationem scripsit ad JOANNEM KüFFERUM, celebertimi nominis Medicum, qui de illius usu apud veteres dubitaverat. Nec notæ, quas in Tacitum, familiarissimum sibi historicum dedit, silentio prætereundę sunt, breves illæ quidem sed acutæ profecto & valde bonæ. Destinaverat autem in istum scriptorem justos perfectosque Commentarios concinnare, eumque in finem

finem ingentem apparatum fecerat: sed prævertentes mo
aliæ curæ tam præclarum inceptum irritum reddiderunt
Publicando Curtio intentus, quum animadverteret, sub no
mine Supplementorum Curtianorum, jejunam & miseran
nescio cujus scriptionem circumferri, ex Justino & Arriano
nullo judicio compilatam, miseratus iniquam hanc sortem
elegantissimi scriptoris, ipse ex Græcis Latinisque quos i
manibus habemus auctoribus, duos priores Curtii libros de
perditos, historica gravitate, fide, copia supplevit. Paul
post ipse Curtius prodiit, cum Commentariis plenissimis, d
cetero ad eundem fere cultum expositus, quem in Floro su
perius commendavimus. Inter hæc tetrica & severiora stu
dia lætior scribendi FREINSHEMIO nostro occasio enat
est. Provocatus enim insigni nec opina Bernhardi Wina
riensis Ducis liberalitate, ne minus intelligens videretur tant
muneris, homo inter ceteras suas laudes etiam gratissimus
honori & æternitati invictissimi herois composuit dicavitque
Virtutis speculum, germanico Carmine heroico, in quo Sa
xonicorum Ducum inclutam stirpem à Wedekindo & Her
cule Teutonico altissima origine nec ineptis rationibus de
duxit: suavitate, concinnitate, gravitate carminis tanta usus
ut quod huic comparari, in nostra quidem lingua merito
queat, hactenus non invenerim. Erat enim beato nostro
eximium prorsus & singulare ingenium, ut quocunque illuc
applicuisset ibi excellere & primas tenere videretur. Sed pro
pemodum me effugerat memorare Paraphrasin Cornelia
nam, qua priores quatuor Annalium Taciti libros exposuit
non eo consilio, ut hac ratione è manibus negligentium le
ctorum, rerum Romanarum florentissimum auctorem ex
cuteret, quod à non nemine Doctorum objectum fuisse scio,
sed ut latitantes sub scabritie styli & abstrusis sensibus pru
dentissimi viri divitias diligentibus & cordatis erueret, mon
straretque, eoque ad perquirendas illas acrius concitaret
huic operi subjunxit Comparationem Versionum; in qu
translatorum Taciti interpretationes candide examinavit
nullo alio nec scopo, nec pretio, nisi assequendæ veritatis
dissimilimus illis qui eruditorum hominum opera, quæ sæ
pius non capiunt, canina quadam rabie allatrant ac velli
cant, tantummodo ut docti videantur, claritudinem que
quam ipsi non habent, ex aliorum insectatione aut inimi
citiis consequantur.

Atque

Atque hæc quidem quantum memini, Argentorati edidit. In Suedia præter unam orationem & aliquot disputationes nihil typis imprimi curavit: inertia uti puto & imperitia typographorum atque iniquitate offensus, quod genus hominum sua potius vitia, quam utilitatem aut decus publicum in consilio habet. Postquam rediit in Germaniam sequentium publicatione priorem famam auxit & amplificavit. Sunt autem ista. Orationes, quas in Suedia diversis temporibus, de diversis rebus atque personis habuit, pleræque argumento insignes, verbis splendidæ, tractatione graves, & quæ ad priscæ eloquentiæ robur ac majestatem quam proxime accedant. Supplementa Liviana, opus magnum, &, sine figura loquor, incomparabile. Cum enim Historiæ Romanæ Princeps jam multis à seculis, parte sui meliore ac potiore truncatus atque conclamatus esset, eaque de caussa doctissimorum virorum gravissimæ quidem & justissimæ querelæ passim audirentur; sed de remedio nemo ne cogitare quidem auderet; unus FREINSHEMIUS exortus est, qui plusquam Herculeo ausu, laborem infinitum ac difficilimum eo ardore suscepit, eo ingenio & industria tractavit, ea felicitate absolvit, ut periisse Livium propemodum placeat, quo tanto felicius renasceretur. Et sane mirum videri debet, posteriorem horum Supplementorum tomum, etiam nunc ineditum manere; tanta seculi hujus vel incuria, vel imprudentia, vel postremo livor est. Denique syntagma de Vicariatu Palatino, quod sub nomine Philœci prodiit, FREINSHEMII est, non mole quidem operosum, sed argumento illustre, & pondere rationum memorabile.

Non dubito, quin omnes, qui hæc cognoscent, vehementer miraturi sint, tot tamque præclara opera à FREINSHEMIO edi potuisse; at hercule nec pauciora numero, nec inferiora dignitate sunt, quæ ille edenda adhuc reliquit; ex istis primo loco memorabimus, de Assessoribus theses, accurate diligenterque compositas, quas publice olim defensurus erat; sed sine Præside; quod quum Professores Juridici contra consuetudinem concedere nollent, vulgare etiam insuper habuit. Reliquit & paradigmata Orationum & Epistolarum, laborem ut non speciosum, ita vehementer utilem ad Latii sermonis & eloquentiæ laudem adspirantibus. Nec silebimus politicas ejus meditationes de officio Boni Præsidis, quem ex Tullii epistolis, quas in proconsulari Ciliciæ administratione

tione ad diversos scripsit, effinxit formavitque. Majoris adhuc momenti sunt prælectiones in Laurentii Surii Commentarios, in quibus noster hoc unice atque solide egit, ut ostensa impudentis monachi nugacitate atque impostura, Sleidano nostro veri historici nomen laudemque assereret. Prælo insuper omnino paratas reliquit Phædri fabulas, quas post diligentissimam recensionem ita adornavit, ut singulis fabulis congruens ex historicis exemplum subjiceret, ostensurus puto, inique vulgo fieri, ut mythologi veteres ad pueros tantum ablegentur, quum illi non minus sapientiæ tradant in fabulis, quam historici sub exemplis doceant. Sed usui præsenti forte magis accommodata videri queant, quæ de S. R. Imperii Electorum, & S. R. Ecclesiæ Cardinalium Præcedentia composuit. Qua quidem in commentatione, propositis & comparatis utrorumque summis dignitatibus atque prærogativis, diligenter investigavit, utris prior locus sedesque debeatur. Nec indicta abire merentur, Carthaginiensia & Numidica: Achaica item & Pergamena, quibus homo ingeniosissimus juxta & laboriosissimus, istarum Rerumpublicarum Regnorumque formas, historias, instituta, diligentissimo studio indagavit examinavitq;. Non frustranda etiam sunt sua laude poëmata, quæ noster Teutonice & Latine excellenter sane faciebat. sed Germanica lubentius, quod tũ alia testantur, tum pleriq; psalmorum nostrate rhythmo expressi, in quibus ubi geniũ laudaveris, plus bues pietati. Mirandum certe est, *Freinshemium* defatigari non potuisse, tot scribundis operibus, quot recensendis nos tantum non fessi sumus. Sane superioribus addidit adhuc occasione Supplementorum Livianorum Indicem Criticum, ut ipse appellabat, ut ego, Aristarchum Catholicum, in quo classicos auctores utriusque linguæ propemodum omnes, ordine alphabetico digestos, infinitis in locis expolivit, correxit, illustravit. Editione quoque dignissimæ forent epistolæ, quarum multas centurias, ad summæ fortunæ doctrinæque homines, de rebus gravissimis dedit, in quibus nec Ciceronis copiam, nec Plinii acumen accurationemque desideres. Sed quo ego piaculo disputationes in Ethica Aristotelis in ultimum locum rejeci, quæ omnium primo referri merebantur? in his enim Socratica colligendi concludendique ratione usus, DEUS magnè! quam solidè, quam Christianè, id est, vere, disseruit docuitque, de beatitudine

dine hominis, de desiderio illius in homine, de illius consequendæ ratione, eademque opera invictis argumentis ostendit, Aristotelem his quidem in rebus malum cœcumque esse ducem, fallique omnes qui eum sequuntur. Quæ quum nuper legerem ac meditarer, ita me memini affici, ut non tam moveri, quam attolli, quam rapi & in cœlum ire viderer, atque adeo nunc etiam judico, salutis publicæ interesse, ut ista tam præclara, tam divina publici juris fiant; nam ut docti simus, tandem non est necesse; ut simus boni, siquidem beati fieri volumus, unice necesse est.

Ex his igitur quæ partim edidit FREINSHEMIUS noster, partim editioni parata reliquit, (nam alia affecta quidem, sed nondum ad umbilicum deducta de industria non attigimus) satis liquere arbitror, fuisse illum virum undiquaq; doctissimum; restat ergo, ut eundem etiam optimum fuisse ostendamus. Quanquam autem ab ipsa doctrinæ excellentia virtus argui posse videatur, siquidem

Ὠπόλλων ὐ παντὶ φαείνεται, ἀλλ᾽ ὅ, τις ἐσθλός.

tamen hoc firmius demonstrandum nobis esse existimamus, quum sæpe eruditionem cum improbitate misceri videamus, & noster quoque verissime dixerit, docto nebulone nihil esse deterius.

Sic igitur agebat noster ὁ δαιμόνιος, ut omnia à DEO deduceret, ad eundem referret omnia: hoc uno ajebat indigere hominem, nec posse minori conditione adquiescere: ut vero ad tantum DOMINUM pervenire, ejusque gratiam consequi queamus, opus nos habere recta via; eam porro & unam & veram esse CHRISTUM, per quem omnia nobis tribuat cœlestis Pater abundantissime. Ergo ut non modo æterna sapere, sed etiam in temporalibus prudenter versari possimus, unum esse necessarium DEUM, & conciliatorem CHRISTUM. Hoc duce nos consequi omne bonum, atq; omnem veritatem. At profecto male & præpostere vulgo homines agere, qui suo consilio, suo ductu, neglecto divino auspicio utantur. Sic enim fieri, ut sæpissime labantur, atq; errent, nulla moderatione in secundis, nulla consolatione in adversis: atque hæc non verbis tantum crepabat, sed vita etiam exprimebat atque moribus: precator assiduus, & divini verbi meditator devotissimus. Huic enim tribuebat omnem honorem; ab hoc sibi affulgere lucem in omnibus rebus asserebat, ad hoc denique ceu Lydium lapi-

dem omnem divinam & humanam sapientiam explorabat. Qua de causa in omnibus consiliis actionibusque mirifica constantia utebatur, nec temere cujusquam unquam rei illum poenitere memini. Dirigebat enim ex certis & divinis principiis omnia, casum & cetera quæ illi contribuuntur, non magnopere ad se pertinere existimans; inprimis autem officium hominis meditabatur; & ad illud intelligendum implendumque omni ope contendebat, multum conquerens de mortalium incogitantia, qui cum artem bene arandi, ædificandi, navigandi diligentissime investigaverint tradiderintque, artem bene vivendi transmiserint, tanquam illa aut non daretur, aut usu minime necessaria aut denique perceptione facilima foret; quum interim ex hujus unius contemptu vel ignorantia; tot errores, tot miseriæ, tot vitia in humana vita reperiantur, quæ nullis legibus, nullis poenis satis coërceas. Officiis ac Dignitatibus quum uteretur splendidis, nihil ex illis æstimabat præter ordinem, à DEO rebus inditum, ambitionem illis relinquens, qui nimia sui æstimatione, nimio aliorum contemptu ad vanissimas ineptias prolabuntur, nihil aliud laturi, quam ut ludibrium debeant prudentibus, qui hujus farinæ homines intus & in cute noverunt, atque suo modulo suoque pede metiri didicerunt. Officii curas laboresque non modo sine tædio, verum etiam cum voluptate obibat, nihil esse suavius dictitans homini, quam partibus à Deo injunctis, rite fungi. Copia bonorum affluens, ea ita usurpabat, ut nec parceret pecuniæ ubi ratio exigeret, nec projiceret citra causam. Atq; hoc loco pateret latissimus sane campus laudandæ FREINSH. liberalitatis, quam non modo in pauperes Christi, quos commendatissimos sibi habebat, sed etiam in alios honestos quidem, sed egentioris fortunæ homines cognatosque, munifice exercuit; quorum quidem prolixum catalogum recensere possemus, si aut pudor illorum hoc permitteret, aut FREINSHEMIUS noster ita vellet, qui non ideo bene fecit, ut videretur, sed ut faceret. In cætera quoque vita idem virtutis tenor erat; mira admissionum facilitas, suavis conversatio; in amicitia legenda singularis prudentia, in tuenda immutabilis constantia, & ut breviter omnia contraham, in actionibus consiliisque cunctis, incredibilis integritas atque candor, quem etiam, quum summorum Regum Principumque aulas tot per annos frequentaret, ingenti animo retinuit, sine ullo detrimento gra-

tiæ,

tiæ, quam alii per byssina verba & turpissimas adulationes frustra sæpius affectant.

Tali igitur virtutis, tali eruditionis fama quum floreret FREINSHEMIUS, non opus habebat ambire honores, atque officia: veniebant enim ultro, variisque ex locis offerebantur, honoratæ vivendi conditiones splendidæque. Sed multis ambientibus prævaluit Suedia, Germaniæque hoc decus eripuit, possedit que compluribus annis, mira quadam fatorum industria, ut regnum dudum armis inclutum, etiam literarum gloria inclaresceret. Quo quidem tempore, quum multi amicorum sibi patriæque retinere cuperent virum maximi nominis atque optimi, interque alia, etiam pericula viæ & longinquitatem, nauseam maris & asperitatem Septemtrionis allegarent, nostrum ita respondisse recordor; sibi vero constare vocationem suam in Suediam esse divinam, eaque de caussa sequi velle: ut eat Upsaliam necesse esse, ut perveniat, non esse necesse. Sed pervenit profecto feliciter, ducente DEO, qui jusserat ire. Quanta porro ibi gloria, quanto studiosæ juventutis fructu, Politicen ac Eloquentiam professus sit, omnis Suedia testis est. Nos quidem qui illius sectatores assidui fuimus atque indefessi, sancte confirmare possumus, eum in tradenda civili prudentia minime triviali methodo usum, sed illam ex optimis historicorum ac Philosophorum solidè eruisse atque monstrasse, eliminatis longe lateque fraudibus, technis, & vaframentis, quæ pseudo-politici loco sapientiæ obtrudunt; commendatis contra plurimum fide, prudentia, virtute, tanquam summis & præcipuis humani generis bonis. Quæ autem propositurus erat auditoribus diligentissime prius meditabatur, adeo, ut non modo literis, sed etiam memoriæ mandaret omnia. Eadem excellentia Eloquentiam docuit, cujus præceptis quantum opus erat, ex præstantissimis auctoribus inculcatis, ad exercitationem styli dicendique unice hortabatur discipulos, quoque alacriores fierent, ipse, quod efficacissimum docendi genus est, praibat viâ declamabatq; frequentissime. Sic quinquennio ferme exacto Holmiam commigravit, Bibliothecarii & Historiographi Regii splendidissima munia obiturus: ad hæc enim vocaverat illum CHRISTINA, quod vocabulum omnibus titulis augustius est, oblato in singulos annos bis mille imperialium stipendio, & libero præterea victu. Qua ex re tum FREINSHEMIANUM meritum, tum incompa-

rabilis Principis munificentiam rectissime æstimaveris. Cujus aliud quoque paulo post insigne documentum dedit, donatis nostro una vice quingentis ducatis, uti vocant, quod natalem suum egregia oratione celebravisset. Hoc loco dubitaturos nonnullos existimo, annon limites liberalitatis excesserit gloriosissima Princeps, tot tantaque literatorum hominum ordini largiendo? nos ita judicamus, nimium non esse, quod dignis tribuitur; ceterum ad hos intelligendos reperiendosque, delectu opus esse: nam ut veri ac genuini Musarum filii, vehiculorum instar serviunt magnis Regibus Principibusque, quibus ad famam & æternitatem feliciter nituntur; ita illiterati illi literatores summorum Monarcharum res atque decora deterunt potius, quam illustrant. Qua de caussa Augustum quondam, laudis gloriæque ad posteros cupidissimum Principem, prætoribus mandasse, legimus, ne nomen suum promiscuis commissionibus obsolefieri paterentur.

Inter hæc firmata per Germaniam pace, cupido remeandi in patriam nostrum invasit, non tam ut patrimonium constitueret, quam ut deficienti indies valetudini consuleret. Petita igitur impetrataque venia revisit natale solum, non tantum honoribus quos supra memoravimus insignis, sed etiam illustri Consiliarii Regii titulo auctus Sed fefellit eum sua opinio. nam imbecillitas corporis nihil remittebat, & tum aliæ inopinatæ curæ, tum inprimis calumniæ litium exercebant hominem sanctissimi propositi, quo genere morbi Germania nostra jam ab aliquot seculis graviter sane decumbit, eo libentius paruisse crediderim, permittente CHRISTINA Regina, vocationi, qua à Serenissimo Electore Palatino, invitatus fuit Heidelbergam, sub honore & titulo Consiliarii Electoralis & Professoris Honorarii, notabili ante alios prærogativa & præcedentia: quo fere pacto vir illustrissimæ originis famæque Josephus Scaliger apud Belgas claruit, & lumen illud eruditorum Erasmum Roderodamum ab Ernesto Bavariæ Duce Ingolstadium accitum fuisse legimus. Qua autem gravitate, industria, prudentia, duplicem hanc Spartam ornaverit noster, nil attinet verbose demonstrare: res enim in aprico est, & fama publica loquitur. Et profecto duas res, quibus absolvi humana felicitas videtur, FREINSHEMIUS assequutus est, ut bene viveret, & bene audiret. Ex quo incredibilis veræ virtutis vis atque efficacia

elu-

elucet, cui frendente licet invidia, fama atque honor ultro famulantur. Nostro quidem, quum bonæ mentis & honestorum studiorum præmia in ipsis sita esse sapientissime existimaret, nec præterea quidquam requireret, opes, fama, gloria, sponte venerunt; quod partim ex his quæ diximus, manifestum est, partim ex sequentibus citra omnem controversiam manifestum fiet. Equidem si amplum atque magnificum habetur à claris laudatisque viris nosci, amari, coli, quis nostrum satis extulerit laudaveritque, cui non modo eximiæ æqualium amicitiæ contigerunt, verum etiam illustrium atque in summa dignatione positorum hominum, imo ipsorum Principum, Ducumque & Regum familiaritate, gratia, patrocinio, inclarescere, æstimari, locupletari, datum fuit? Et, ut veluti in transitu tantummodo nominemus viros meritissimæ famæ, quibuscum FREINSHEMIUS amicitiam exercuit, Vossios, Grotios, Heinsios, Salmasios, Barlæos, Bœcleros, Gronovios, Diodatos, Gothofredos, Styrtzelios, Schefferos, Loccenios; Charus honoratusque fuit Forstneris, Mockeliis, Vicquefortiis, Snolskiis, Peyeris, Marescottis, Canutis, hominibus & natalium splendore, & meritis in Rempublicam prælustribus: quorum laudes & decora pro virili traderemus, nisi augustissima nomina majestate sua prorsus nos obruerent, ac veluti opprimerent; illud fulmen belli Bernhardus Vinariensis, illud literarum summum præsidium Augustus Brunswicensium Dux, illa Musa decima ELISABETHA Palatina, illud prudentiæ unicum specimen Elector Palatinus, ille orbis ocellus Regina CHRISTINA, illud denique præsidium suorum, terror hostium CAROLUS GUSTAVUS Rex Suedorum, qui omnes nostrum singulari gratia atque munificentia, prosequuti sunt: & certe supersunt adhuc multæ ab his ad FREINSHEMIUM ipsorum manibus scriptæ epistolæ, quæ veluti ancilia quædam cœlo delapsa, aut venerandæ Sanctorum reliquiæ religiosa cura asservantur: Continent enim & auctorum suorum memorandæ ad posteros humanitatis, & FREINSHEMIANÆ virtutis certissimum testimonium.

Quam bene vitæ mimum egerit FREINSHEMIUS ὁ θαυμάσιος memoravimus hactenus, nunc mortem exponemus, quæ uti nobis ingentem mœrorem attulit, ita defuncto læta, & expectata, & beatissima contigit. Feliciter enim

expertus eſt, quod ſuperſtes confirmabat ſæpius, mortem neminem contemnere poſſe, niſi Chriſtianum. Spectemus igitur, firmaturi animum tam conſtanti exemplo, ut vivamus tanquam morituri, ut moriamur tanquam victuri. Sic autem narravit mihi ſuprema hominis ſanctiſſimi, vir ſummæ & humanitatis & doctrinæ, Heinricus Holſtius, qui omnium teſtis fuis αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος: quum inſtare ſibi intelligeret decretoriam illam horam, ſacra Domini Cœna ſumma cum devotione eſſe uſum; deinceps dictum Biblicum indicaſſe, quod in funere ſuo explicari vellet; paulo poſt quieto compoſitoque animo in hæc verba prorupiſſe: Sermo quidem me deficere incipit, ceterum metum vel dolorem mortis non ſentio: inclinatis inter hæc ac noviſſima in luce deficientibus oculis, admonitum ab ipſo, meminiſſet omnis illius bonæ conſolationis, quam in beatum Taubium (is nobilis Danus fideique Holſtii commiſſus, non ita pridem Heidelbergæ deceſſerat) tam efficaciter, tamque abundanter effudiſſet, eandemque in ultimo vitæ articulo ſibi quoque accommodaret, collectis extremo niſu viribus, Amen, Amen, reſpondiſſe, atque ſic non mortuum eſſe, ſed obdormiſſe: ſtupentibus cunctis qui aderant, atque talem finem religioſo cum horrore intuentibus. O beatam εὐθανασίαν! O ſingularem conſtantiam! Quis te virorum optime mortem contemnere docuit, à qua omnis natura abhorret, ad cujus ipſum vocabulum tantopere plures expaveſcunt? ſcil. CHRISTUS ille amor tuus ac deliciæ, quem omni vita coluiſti, amaſti, prædicaſti, adfuit tibi in extremis, morbique ac mortis omnem cruciatum compreſſit ac ſuſtulit,

Excelſaque ſtitit victorem in rupe Sionis.

Salve igitur omnium bonarum literarum Vindex atque Stator, Philoſophorum Chriſtianorum Princeps, omnis virtutis, conſtantiæ, candoris unicum exemplum, Principum Regumque cura atque voluptas, ſalve, inquam, & æternum vale. Quod ſi piis manibus rerum humanarum ulla adhuc cura ſupereſt, ſupremum huncce honorem, & ultimum munus, quod cum gemitu, cum lachrymis, cum afflictione cordis tibi offerimus, mitis placatusque ſuſcipe. Nos ubi ordo naturæ permiſerit ſequemur: interea contra ſeculi iniquitatem & malitiam, contra imperitiam & livorem, à memoria virtutum tuarum, ab eruditione, à conſtantia, præſidium atque ſolatium mutuabimur.

IN

IN OBITUM
Viri Celeberrimi,
JOH. FREINSHEMII.

Ingens ingenium, labor ingens, lectio pernox,
Plurima scripta Virum desuper astra locant.
Qui vivus fuerat doctos clarissimus inter,
Clarius huic sua post funera nomen erit.

EPITAPHIUM.

JOANNES FREINSHEMIUS
LUCEM PRIMUM ADSPEXIT ULMÆ
A. D. XVI. KAL. DECEMBRIS
ANNO CHRISTIANO M DC VIII.
ACADEMIAS INVISERE COEPIT NATUS ANNOS
QVINDECIM, MAXIME VERO PROFECIT
ARGENTORATI,
ADJUTUS HUMANITATE, CONSILIIS, EXEMPLO,
VIRI OPTIMI ATQVE DOCTISSIMI,
MATTHIÆ BERNEGGERI,
INDE VOCATUS A VIRO QVODAM ILLUSTRI
IN GALLIAM,
INTER REGIS SECRETARIOS INTERPRETES
LOCUM TENUIT,
ANNO CHRISTIANO M DC XXXIV.
REVERSUS INDE AD BERNEGGERUM SUUM,
EJUSQVE FILIA DUCTA A. C. M DC XXXVII.
COMMUNE CUM EO TECTUM, MENSAM, MU-
SEUM, BIBLIOTHECAM, STUDIA PROPE
OMNIA HABUIT.
HINC IN SVECIAM ACCITUS, UBSALIÆ PRO-
FESSOREM POLITICES EGIT ET ELOQVENTIÆ,
ANNO CHRISTIANO M DC XLII.
DONEC POST QVINQVENNIUM IN AULAM AD-
SCITUS REGIAM, INCOMPARABILIS ILLIUS
CHRISTINÆ JUDICIO,
SUB REGII BIBLIOTHECARII ET HISTORIO-
GRAPHI TITULIS, A STUDIIS SERENISSIMÆ
REGINÆ FACTUS EST.
VALETUDINE VERO FRIGIDIORIS COELI
IMPATIENTE,

IN PATRIAM SE RECEPIT ANNO M DC LI.
UBI TUM SERENISSIMUS ELECTOR PALATINAM INSTAURANS ACADEMIAM,
PRÆSENTIAM ILLIUS OPERAMQVE DESIDERARE COEPIT.
HUIC ILLE VOCATIONI LUBENS MERITOQVE PARUIT, SED NON ANTE CONSENSUM SERENISS. REGINÆ, QVÆ ANNO M DC LV.
PER GERMANIAM TRANSIENS,
CONSILIARIORUM NUMERO EUM ADDIDIT.
IGITUR ANNO SEQVENTI PROFECTUS HEIDELBERGAM,
SERENISSIMI ELECTORIS CONSILIARIUS,
ET NOVO NOSTRIS ACADEMIIS EXEMPLO,
PROFESSOR HONORARIUS CONSTITUTUS EST.
ADEPTUS ISTA SINE AMBITU:
FUNCTUS SINE TOEDIO:
RELIQVIT SINE MOERORE:
HEIDELB. AN. M DC LX. PR. KAL. SEPT.
UNUM. MEMOR. ESSE NECESSARIUM.

SCRIPTA.

Supplementum Livianum. *Argent.* 1619. in 8. 1649. 1662. in 4. *Holmiæ* & *Amsterod.* 1649. in 12.

Gallice, de la traduction de P. du Reyer. *Paris.* 1653. in fol.

Supplementum & Commentar. in Q. Curtium de Alexandro Magno. *Argent.* 1619. 1639 1670. in 8. *Amstelod.* 1660. 1668. in 12.

Panegyricus Serenissimo Potentissimoque Principi ac Dn. Gustavo Adolpho, Suecorum, Gothorum, Vandalorum Regi scriptus. *ibid.* 1632 in 4.

L. Ann. Florus notis illustratus. *ibid.* 1632. 1636. 1655. 1658. 1667. in 8.

Dissertatio de calidæ potu. *ibid.* 1638. in 8

Politica Justi Lipsii cum indice. *ibid.* 1641. *Francof.* 1658. in 12.

Locorum Corn. Taciti ab interpretibus intactorum, aut secus acceptorum expositio. *ibid.* 1638. in 8.

Specimen Paraphraseos Cornelianæ, primum C. Taciti fragmentum, hoc est, Tiberiani Principatus quindecim annos comprehendens, cum versionibus quinque linguarum. *ibid.* 1641. *Amster.* 1673. in 8.

Syn-

Syntagma de Vicariatu Palatino, sub nomine Philœci.
Orationes cum Declamationibus quibusdam. *Francof.* & *Argent.* 1662. in 12.
Diatriba de S. Rom. Imperii Electorum, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præcedentia. *Argent.* 1663. in 4.
Aug. Liberti Fædri Fabulæ cum Notis. *ibid.* 1664. in 4.
De Comitiis Dissertatio Politica. *Upsaliæ* 1645. in 4.
Teutscher Tugendspiegel zu Ehren Herzogen Bernhard von Weimar aufgerichtet. Straßb. in fol.

FaMa LaVrentII EIChstaDII,
In obitu quidem maxime pio & placido, sed Rei literariæ luctuoso,
Viri Amplissimi, Excellentissimi, Exper. Clarissimique

DN. LAURENTII EICHSTADII,

Gymnasii Gedanensis in Collegio Professorio Senioris,

Anno 1596. d. 10. Augusti St. N. nati & postea per Baptismum renati,
Anno 1613. in Academia Gryphswaldensi Studiosi,
Anno 1621. Utriusque Medicinæ Licentiati & Doctoris,
Anno 1624. In Patria Physici Stetinensis,
Anno 1645. Physici, Mathematici, & Medicinæ Professoris in Gymnasio Gedanensi,
Sed proh dolor!
Anno 1660. D. 8. Junii St. N. pie in Christo denati, & D. 14. ejusd. terræ mandati,
In Gymnasio Gedanensi concelebrata;
Qua Dn. Seniorem Gymnasiii Venerandum, Collegam & Amicum intime dilectum, Medicumque fidelissimnm, sæpe imploratum & exploratum prosequi voluit, debuitque

JOHANNES MAURISCH,
SS. Theol. D. & PP. Rector Gymnasii, & Pastor SS. Trinitatis.

Tres

TRes illas disciplinas, quarum primam Siderum; alteram Naturæ scientiam; tertiam denique Medendi artem vocaveris, *Noster νῦν ἐν ἁγίοις Astronomus*, *Physicus* & *Medicus* ea cum laude copulavit & excoluit, ut, quæ singulæ suos sibi seligerent cultores, eosque laudibus efferrent maximis, in hoc uno Viro ad invidiam usque excelluerint, &, licet sororio quasi vinculo sociari possint, & optent, in eodem tamen litem movere videantur amicabilem, quænam ex his ab uno æque tenerrime amatis Nostro EICHSTADIO plus voluptatis, aut autoritatis conciliarit. Hoc *Astronomiæ* Philosophorum Pater, & ab aliis Divinus Plato nominatus, tribuit encomium, quod vel Marsilio Ficino interprete sic accipies: Nolite ignorare Astronomiam sapientissimum quiddam esse. Nempe necesse est verum Astronomum esse non eum, qui secundum Hesiodum omnesque hujusmodi, occasum ortumque consideret, sed eum potius, qui circuitus octo, & quomodo septem sub primo versentur, quove ordine circulos suos singuli pergant. Quod nulla natura nisi mirabilis sit, facile unquam inspiciet, pag. mihi 704. vel ex ipso textu Græco Astronomum magis, quam Astronomiam laudantem ita intelliges. Ἀστρονομίαν ἀγνοεῖτε; ὅτι σοφώτατον ἀνάγκη τὸν ἀληθῶς ἀστρονόμον εἶναι, μὴ τὸν καθ᾽ Ἡσίοδον ἀστρονομοῦντα, καὶ πάντας τοὺς τοιούτους, οἷον δύσμας τε καὶ ἀνατολὰς ἐπεσκεμμένον, ἀλλὰ τὸν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰς ἑπτὰ περιόδους, διεξιούσης τὸν αὐτὸν κύκλον ἑκάστης· οὕτως ὡς οὐκ ἂν ῥαδίως ποτὲ πᾶσα φύσις ἱκανὴ γένοιτο θεωρῆσαι, μήτε θαυμαστῆς μετέχουσα φύσεως. Quæ omnia quum in Nostrum cadant EICHSTADIUM, ex mente Platonis illum σοφώτατον laudaveris. Ptolomæi certe Epigramma, à nostro Astronomo frequentius recitatum ex libro I. Anthol. Græc. c. 46. adhuc Auditores suo circumferunt animo, & ad eundem jam vita defunctum applicant. Ita vero sonat illud:

Οἶδ᾽ ὅτι θνατὸς ἐγὼ, καὶ ἐφάμερος· ἀλλ᾽ ὅταν ἄστρων
Μαστεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας,
οὐκ ἔτ᾽ ἐπιψαύω ποσὶ γαίης, ἀλλὰ παρ᾽ αὐτῷ
Ζηνὶ διοτρεφέως πίμπλαμαι ἀμβροσίης.

Hoc non nemo sic latine vertit:

Mor-

Mortalem quamvis norim me sorte creatum,
Dum tamen Astrorum scrutor in orbe vias,
Sum pedibus Tellure procul, juxtaque Tonantem
Assideo Divis, pascor & Ambrosia.

Sed hanc Ambrosiam sæpe delicatula fastidit juventus, laborem Astrorum viam scrutandi formidans. Noster verò EICHSTADIUS virilem à teneris induit animum, eamque ætatis partem, quæ omnium formas impressas recipit facillima, tum in Gymnasio Stetinensi, tum Academia Gryphswaldensi, in quam Anno 1613. profectus fuerat, Jenensi & Wittebergensi; Astronomiæ consecravit; & sic jam aliquot quadraginta ab hinc annis scriptis suis Astronomicis & Astrologicis erudito literarum orbi inclaruit. Anno namque Christi M DC XV. ætatis vero suæ XIX, primum Calendarium, & postea Anno M DC XVI. edidit Prognosticon; Quem laborem ad ultimam vitæ lineam magna cum laude hactenus continuavit. Scripta sane publici juris facta, acumen Viri Astronomicum loquentur. Loquentur idem Epistolæ & Elogia, à Celeberrimis passim Mathematicis conscripta, quorum partem à vicinis Academiis Viro laude dignissimo, quem Musa vetet mori; transmissum, morte præventus perlegere non potuit. Loquentur Ephemerides magna cum accuratione elucubratæ. Loquentur denique Observationes singularissimæ, quas Magnificus ac Nobilissimus Dominus Noster JOHANNES HEVELIUS, Astronomica Scientia non in una hac urbe, ut vulgi fama terminatur, sed orbe universo Celeberrimus, cum eodem communicavit. De quibus quid aliud addam, nisi illud Nasonis lib. I. Fastorum

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primis,
Inque domos superas scandere, cura fuit.

Verùm, ne ad Astra elevatus, eorum, quæ sub pedibus etiam nostris teruntur, memoriam deponam, aut de Orbibus Cœlestibus plura verba faciens, reliquis in hoc Orbe disciplinis & facultatibus laudem adhuc impertiendam intercipiam, me *Physica* retrahit, & pro Sideribus gramina, pro stellis herbas substituit, ac è florum & herbarum regimine, cum cæteris rerum naturalium Originibus parilem, si non majorem, à pluribus sane magis expetitam jucunditatem promittit. Et quidem non meis, sed Philosophi verbis, qui è Scholâ absens Platonicâ, νοῦς sive mens abesse dicebatur;

batur. Hic summus Aristoteles rerum cacumina trutinans, Astronomiæ & Physicæ scientiam, ac utriusque laudem primo hisce verbis subjungit l. 1. Part. Animal. c. 5. Ἔχει ἑκάτερα χάριν· τῶν μὲν γὰρ, εἰ καὶ κατὰ μικρὸν ἐφαπτόμεθα, ὅμως διὰ τὴν τιμιότητα τοῦ γνωρίζειν ἥδιον, ἢ τὰ παρ' ἡμῖν ἅπαντα, ὥσπερ τῶν ἐρωμένων μικρὸν μόριον καλιδεῖν ἥδιόν ἐστιν, ἢ πολλὰ ἕτερα καὶ μεγάλα δι' ἀκριβείας ἰδεῖν. Τὰ δὲ διὰ τὸ μᾶλλον καὶ πλεῖον γνωρίζειν αὐτῶν, λαμβάνει τὴν τῆς ἐπιστήμης ὑπεροχήν· Ἔτι δὲ διὰ τὸ πλησιαίτερα ἡμῶν εἶναι, καὶ τῆς φύσεως οἰκειότερα, ἀντικαταλλάττεταί τι πρὸς τὴν περὶ θεῖα φιλοσοφίαν. hoc est, Interprete Theodoro Gaza; Utrumque studiorum nos delectat. Res namque illas superiores, tametsi leviter attingere possumus, tamen ob ejus cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quam cum hæc nobis juncta omnia tenemus: Quemadmodum quamlibet partem, minimamque corporis nostrarum puellæ deliciarum vidisse gratius ac jucundius est, quam cæterorum hominum membra tota perspexisse & contrectasse. At hæc inferiora, quia & plura sunt, & cognosci plenius possunt, idcirco præstantiam sibi scientiæ vendicant. Quin etiam, quod & nobis propriora & Naturæ familiariora sunt, hinc aliquid cum rerum divinarum studio rependunt, atque compensant. Idem deinceps Philosophus ad Physicas contemplationes progressus, jucunditates ex his oriundas non sine nostro opprobrio prætermitti posse hisce statuit: Ἐπεὶ δὲ περὶ ἐκείνων διήλθωμεν, λέγοντες τὸ φαινόμενον ἡμῖν, λοιπὸν περὶ τῆς ζωικῆς φύσεως εἰπεῖν μηδὲν παραλιπόντες εἰς δύναμιν, μήτε ἀτιμώτερον· καὶ γὰρ ἐν τοῖς μὴ κεχαρισμένοις αὐτῶν πρὸς τὴν αἴσθησιν, κατὰ τὴν θεωρίαν ὅμως ἡ δημιουργήσασα φύσις ἀμηχάνους ἡδονὰς παρέχει τοῖς δυναμένοις τὰς αἰτίας γνωρίζειν, καὶ φύσει φιλοσόφοις. Καὶ γὰρ ἂν εἴη παράλογον καὶ ἄτοπον, εἰ τὰς μὲν εἰκόνας αὐτῶν θεωροῦντες, χαίρομεν, ὅτι τὴν δημιουργήσασαν συνθεωροῦμεν, οἷον τὴν γραφικὴν, ἢ τὴν πλαστικήν. Αὐτῶν δὲ τῇ φύσει συνεστώτων μὴ μᾶλλον ἀγαπῶμεν τὴν θεωρίαν, δυνάμενοί γε τὰς αἰτίας καθορᾶν. Διὸ δεῖ μὴ δυσχεραίνειν

μαίνειν παιδικῶς τὴν περὶ τῶν ἀτιμωτέρων ζώων ἐπίσκεψιν· ἐν πᾶσι γὰρ τοῖς φυσικοῖς ἔνεςί τι θαυμαςόν. Id eſt. Sed cum jam ſatis de illis egerimus, noſtramque explicaverimus ſententiam, reſtat, ut de animante Natura diſſeramus, nihil pro viribus omittentes, vel vilius, vel nobilius. Nam & in iis, quæ hoc in genere minus grata noſtro occurrunt ſenſui, Natura parens & author omnium, miras excitat voluptates hominibus, qui intelligunt cauſas atque ingenue philoſophantur. Abſurdum enim, nullaque ratione probandum eſt, ſi imagines quidem rerum naturalium non ſine delectatione propterea inſpectamus, quod ingenium una contemplamur, quod illas condiderit, i.e. artem pingendi aut fingendi. Rerum au. :m ipſarum Naturæ ingenio, miraque ſolertia conſtitutarum, contemplationem non magis perſequamur atque exoſculemur, modo cauſas perſpicere valeamus. Quamobrem vilorum animalium diſputationem perpenſionem faſtidio puerili quodam ſpreviſſe, moleſteque tuliſſe, dignum nequaquam eſt, cum nulla res ſit naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Eandem cum Philoſopho geſſiſſe mentem noſtrum Phyſicum ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς τι θαυμαςὸν animadvertentem, Diſputationes eruditæ, typis divulgatæ, Lectiones publicæ, rerum naturalium ſpecies ſenſibus etiam Auditorum oggerentes, & excurſiones Botanicæ fidem facient luculentam, de quibus me vera loqui, Doctorum Virorum pergula per totam hanc Civitatem diffuſa, uno ore confirmabit. Hoc ſolemne erat noſtro Phyſico, ſuas Diſputationes publice habitas ſingulari toties condire oblectamento, quoties res Phyſicas in ipſum Naturæ theatrum protrahebat, & ipſis ſenſibus Adoleſcentiæ Gymnaſiaſticæ ita ſubminiſtrabat, ut demonſtrationes intellectui ſcientifice propoſitas vel ſenſuum externorum evinceret ſuffragio. In Lectionibus ſuis præſertim æſtivo tempore habitis, vel gula è fructibus naſcentibus oblectanda, vel oculi nareſque è florum amœnitate reficiendi, noſtros Adoleſcentes ad Phyſicas auſcultationes pelliciebat. Quin imo ut temporibus etiam ſuas diſcerneret demonſtrationes, quam per hyemem in ſtellis de nocte demonſtrandis dexteritatem indefeſſam oſtendit, eam per æſtatem in herbis colligendis fidelitatem juventuti probavit noſtræ, non graviter ſuo in ſenio ferens excurſiones, quas interdum etiam cum parvulis inſtituebat, Botanicas. Sed herbarum

barum Virtutes nostræ juventuti tam perspicue explanatas; vel mors ipsa acerbius accepisse videtur. Munere namque suo defunctus, & magis herbis ac verbis, quam instanti vitæ periculo declinando intentus; Anno 1655. à tauro petulco in pascuis lasciviente cornu feroce fuit petitus, projectus & prostratus, non sine virium suarum notabili detrimento. Consimili ratione, quum binis abhinc septimanis herbarum per montes ac campos colligendarum Virtutes interpretaturus, juventutem versus Templiburgum educeret, ac per acclivia & declivia; aëre tum temporis per ventos infestato, senex discurreret meritissimus; vires suas magnopere dissipavit, & qui herbarum Virtutes morbis pellendis proficuas docuerat, ipse morbi & mortis subsecutæ semina collegit. Hoc tamen vitæ periculo beatior judicandus, quod in via vocationis suæ in ea vitæ inciderit discrimina, quæ ut Imperatorem in militia stantem; ita Doctorem vel in via publica profitentem, unumque sua laude coronant. Veruntamen non hic deerit animo mollior, qui Senem nostrum honoratissimum potius ægrotum quiritantium lectis assidere; & plantas à Pharmacopæis collectas ac confectas in Medicinæ usum convertere, quam, aëris præsertim clementia minus favente, ad adolescentis, herbulam aliquam reperientis, vocem, per nemorosa tesqua decurrere debuisse, objiciet. Sed vitium hunc non è tuo judices animo magis effæminato. Nullus angulus naturæ arcana continens Physico debet esse occlusus; quod vel ipsius Heracliti Historia ab Aristotele l. 1. de part. Animal. c. 5. hisce verbis descripta suggeret: Ἡράκλειτος λέγεται πρὸς τοὺς ξένους εἰπεῖν τοὺς βουλομένους αὐτῷ ἐντυχεῖν, οἳ ἐπειδὴ προσιόντες εἶδον αὐτὸν θερόμενον πρὸς τῷ ἰπνῷ ἔστησαν, ἐκέλευσε γὰρ αὐτοὺς εἰσιέναι θαρροῦντας, εἶναι γὰρ καὶ ἐνταῦθα θεούς. Οὕτω καὶ πρὸς τὴν ζήτησιν περὶ ἑκάστου τῶν ζώων προσιέναι δεῖ μὴ δυσωπούμενον, ὡς ἐν ἅπασιν ὄντος φυσικοῦ καὶ καλοῦ. Τὸ γὰρ μὴ τυχόντως, ἀλλ' ἕνεκά τινος ἐν τοῖς τῆς φύσεως ἔργοις ἐστὶ καὶ μάλιστα. Quod sic interpretatur Theodorus Gaza: Heraclitum dixisse ferunt, ad eos, qui cum alloqui eum vellent; quod forte in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem vidissent, accedere temperarunt: ingredi enim eos fidenter jussit; quoniam, inquit, ne huic quidem loco Dii desunt immortales. Hoc idem in indaganda quoque natura animantium

tium faciendum est. Aggredi enim quæque sine ullo pudore debemus, cum in omnibus naturæ numen, & honestum pulchrumque insit ingenium. Quippe cum Naturæ Operibus junctum illud præcipue sit, ubi nihil temere viceque fortuità committatur, sed alicujus gratia omnia agantur. Ecquis igitur hoc vertet vitio Nostro Physico, si salubris herbulæ situm indigitaturus, locum acclivem vel declivem, imbecillitate etiam corporis saluti juventutis posthabita, conscenderit. Nec idem ipse graviter decumbentes suo consilio & auxilio destituit. Archiatro Nostro honoratissimo Dn. D. GEORGIO STIEGLIZIO, Pari Medicorum clarissimo, pariles in hoc corpore meo morboso sublevando curas impendenti, debitas hic persolvo gratias, de utroque illud Senecæ, Medicum collaudantis optimum, meum faciens, quando lib. 6. de Benef. c. 16. p. 487. scripsit: Non fuit contentus remedia monstrare, sed amovit. Interea sollicitus assedit, ad suspecta tempora occurrit. Nullum Ministerium oneri illi, nullum fastidio fuit. Gemitus meos non securus excepit. In turba multorum invocantium ego illi potissima cura fui. Tantum illis vacavit, quantum mea valetudo permiserat. Huic (utrique) ego non tanquam Medico, sed tanquam Amico obligatus sum. Si quis igitur tam splendidam Astronomiæ, Physicæ & Medicinæ suppellectilem una mentis exornatæ domo comprehensam intueatur, ille, vel peponem pro corde gerens, medelam etiam dexteriorem, divina concurrente gratia, non poterit non sperare. Medicorum sane Filii in suo Hippocrate libro de Aëre, Aquis & locis p. 17. ex editione Hier. Mercurial. isthæc legunt: Εἰδὼς τῶν ὡρέων τὰς μεταβολὰς, καὶ τῶν ἄστρων ἐπιτολάς τε καὶ δυσίας, καθότι ἕκαστον τουτέων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔκτος, ὁποῖόν τι μέλλει γίγνεσθαι, οὕτως ἄν τις ἐρευνώμενος καὶ προσγινώσκων τοὺς καιροὺς, μάλιστ' ἂν εἰδείη περὶ ἑκάστου, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνοι τῆς ὑγιείης, καὶ κατ' ὀρθὸν φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα ἐν τῇ τέχνῃ. Εἰ δὲ δοκέοι ταῦτα μετεωρόλογα εἶναι, εἰ μεταςαίη τῆς γνώμης, μάθοι ἂν, ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰατρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. Ἅμα γὰρ τῇσιν ὥρῃσιν καὶ αἱ κοιλίαι μεταβάλλουσι τοῖσιν ἀνθρώποισιν. h. e. Quum temporum mutationes, & astrorum ortus & occasus observaverit,

quemadmodum ſingula horum eveniant, prænoſcet utique & de anno, qualis hic ſit futurus: hoc namque modo ſi quis rimatus fuerit, ac præcognoverit temporum occaſiones, maxime de ſingulis ſciet, utplurimumque ſanitatem aſſequetur, & recta via procedet non minima artis ſuæ gloria. Quod ſi cui hæc ſublimiora videantur, is, ſi ab hac ſententia diſcedat, diſcet ſane non minimam partem conferre ad rem Medicam ipſam Aſtronomiam, ſed omnino plurimum, quum una cum temporibus & ventriculi in hominibus mutentur. Nec hæc Hippocratis aurea ſententia Noſtrum fefellit Medicum & Aſtrologum: Suo namque Conſilio Medico, & medela votis reſpondente, ad eam provectus eſt famam, ut non ſolum in Aulis Ducum & Principum vigente adhuc ætate, verſatum Medici Celeberrimi & in hac arte Viri Principes fecerint maximi, ſed & Sereniſſimus ac Potentiſſimus REX NOSTER, cum aliis Magnatibus, Conſilium ejuſdem auditum commendarit, pluresque ipſum ad Homerici verſus ſententiam Iliad. λ. omni honore affecerint:

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Hoc tamen diſſimulandum non eſt, Aſtrologos bene multos in Republica non ſemper parili Imperantium floruiſſe gratia, ſed ſæpius ob artis abuſum à Principibus proſcriptos, & à Patribus ex Eccleſia plane fuiſſe ejectos, imo & acutos Poëtarum ungues non effugere potuiſſe, uti in Anthol. Græc. l. 1. c. 46. Leonidas hoc jecit in ipſos dicterium:

Μάντιες ἀστερόεσσαν ὅσοι ζητεῖτε κέλευθον,
Ἔρροιτ' εἰκαίης ψευδολόγοι σοφίης.
Ὑμέας ἀφροσύνη μαιώσατο, τόλμα δ' ἔτικτε
Τλήμονας, οὐδ' ἰδίην εἰδότας ἀκλείην.

Quod ſic fuit translatum:

Vatum Sidereos quisquis ſcrutare meatus,
Diſpereas, mendax non niſi vana ſonas.
Obſtetrix tibi ſtultitia eſt, audacia mater,
O miſer & proprii non bene gnare probri.

Verum hæc non ipſi Aſtrologiæ ſunt imputanda, multo minus Aſtrologis, limites ſuos recte cuſtodientibus, ſed hominibus arte bona ſuo cum vituperio abutentibus. Cujus rei abuſum, ut in cæteris artibus, ipſi Arti non exprobrabis. Vera namque ea ſunt, quæ Ammianus habet lib. 21. ex editione Gry-

Gryphii p. 284. Sufficit d ci, quod & Grammaticus locutus interdum est barbare, & absurde cecinit Musicus, & ignoravit remedium Medicus: & non ideo nec Grammatica, nec Musica, nec Medicina subsistit? Omne punctum de hoc meruit Noster Astronomus, qui aliquoties Astrologorum errores publice castigavit, ab illis vicissim, ut hæc fert alea, graviter impetitus, præsertim à Mag. Schwartzen/ cujus Mansiones Lunæ improbarat. Philosophicum acumen produnt ea, quibus in cognato argumento Nagelium in Ablehnung der ungegründeten Distinction und Abtheilung der Astronomiæ in Gentilem & Gratiæ, &c. refutavit, &, Astronomia cum arte Aurifabri comparata; accuratum discrimen, inter ipsam artem seu habitum, & Artificem seu Subjectum constituit. Ipsa vero Astronomia sic usus est Noster Doctor Beatissimus, ut ex attenta Siderum contemplatione suam insigniter pietatem augens, & omnis pulcritudinis Opificem cognoscens, Sanctum illud Esaiæ præceptum suis inculcarit frequentissime Es. 40. v. 26. Levate in excelsum oculos vestros; & videte, quis creavit hæc? qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat, præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit, ut Textum Hebræum, licet non parili elegantia, Vulgata transtulit. Quinimo devota DEI cognitione & laude sic oblectatus est Noster Astronomus, ut suis etiam Calendariis & Prognosticis scripturæ dicta & monita voluerit inserta, non tam ἀκρίβειαν Theologicam sectaturus, quam pias etiam Astronomi Meditationes Practicas omnium oculis expositurus, & Lectori ad pietatem accendendam Igniculos additurus. Ipse Manuale piarum Meditationum sua manu conscripsit, in quo vel periculis, (qualia non pauca fuerunt, utpote morbi in tenera ætate difficultas, grave incendium, corporis & animi contagium, sæpicule metuendum) ereptus, vel beneficiis divinis ornatus, semper Creatoris sui laudem nova aliqua precum formula concelebravit. Gratiam Dei in Natali suo, qui in X. Augusti Styli Veteris, Annumque 1596. inciderat, & postea per baptismum renatus fuerat, quot suspiriis quotannis repetivit? Et hoc beneficium Dei deprædicavit magnum, quod à Christianis & omni pietatis & Virtutis laude maxime conspicuis Parentibus fuerit prognatus; Patrem honorans Virum Integerrimum, Dn. PETRUM EICHSTADIUM,

Civem & Mercatorem Stetinensem, Musicum egregium; Matrem vero ANNAM, Camerarii Golnovensis Filiam. Ubi hoc notam meretur publicam, quod etiam Chytræus, Friedeborn, Artomedes, & alii posteritatis memoria dignum judicarunt, *Proavus nostri D. Laurentii* PETRUS EICHSTADIUS cum MARGARETA PIELSIA, Nostri Proavia, in tam felice Matrimonio vixit, ut honestissima Matrona, Anno ætatis suæ LXXXIII. mortua, 131. posteros suis adhuc usurparit oculis, nimirum Mater 12. liberorum viventium, Avia Nepotum & Neptium 78. Proavia Pronepotum & Proneptium 41. Quod Beatus Noster grato pectore deprædicavit. Verum ut hanc in Dn. Petri Eichstadii, Proavi honoratissimi, conjugio felicitatem raritas & caritas vel majoris facit pretii: Ita contra, pro rerum mortalium fragilitate, acerbiore interpretandum est animo, quod lineam masculam in hoc Viro, quamvis doctrina & Virtute Nobilissimo, totam stirpem Eichstadianam tam frugiferam, succidi. Magna quidem in nostro Laurentio spes fuerat: Nam & ipse Anno 1628 die 28. Aprilis, Virginem Lectissimam, CATHARINAM, Nobilissimi DN. PAULI GIESEN, Consulis Stetinensis Filiam, sibi matrimonio junxerat, à qua quatuor Filios, Germinæ stirpis Eichstadianæ florentissimæ, unamque Filiam Stetini susceperat, sed hos omnes liberos, jam gaudio & oblectamento Parentum natos & datos, mors acerbior præoccupavit. Hic vero Gedani dolorem, Filia die 15. Januarii Anno 1649. nata, & ob corporis & animi elegantiam, Votis præconceptam, DOROTHEA dicta, hactenus non parum lenivit, ac formæ & Virtutis decore jam prælucente, Parentes in spem novam erexit ampliorem. Hujus Pater cœlestis, jam Patre terreno orba, & cum matre dilecta mœstissima, memoriam, in tam benedicta familia jam spectatam, non abjiciet! Sed brevitatis nos, reliqua vel tribus dicturos, submonent & temporis & chartæ angustia. Properemus igitur ad lineam, Pietatem Nostri Doctoris celeberrimi ad ultimam mortis horulam conservatam, collaudaturi. Hic enim divinam gratiam, dictis & cogitatis suis semper majorem, miratus fuit in honorum Gradu, Anno 1621. Mense Aprili utriusque Medicinæ *Licentiatus*, & Octobri ejusdem à Medicorum Phœnice, Magno Doctore SENNERTO, *Doctor* proclamatus. Anno 1624. Patriæ suæ *Veteris Stetini Physicus Ordinarius*, & Anno

no 1645. *Mathematicus, Physicus* & *Medicus* à Republica nostra *Gedanensi* constitutus. In hoc ultimo Virtutis & honorum stadio Noster Dn. D. EICHSTADIUS fuit EUSTADIUS, in Deum summum pius, Magnifico Magistratui honorificus, Nobilissimo Scholarchali Collegio charus, Honoratissimis Collegis pergratus, suis Auditoribus proficuus, unoque verbo in omni vitæ & doctrinæ studio bonus, fidelis. Ito jam Gedanum, & vota concipito, & ut tanta doctrina parem, quem in uno amisisti EICHSTADIO, Astronomum, Physicum, Medicum, & cum Chronologo pro muneris ratione Theologum à Deo exores, ne quæ in potestate habueris, forsan ante hac non æque intellecta, lugere cogaris. Excellentissimo vero meo Dn. Doctori, Collegæ, Amico & Medico ut fidelissimo, ita desideratissimo, de ultimo vitæ hujus terrenæ termino, & præoptato cœlestis exordio, analysi scilicet beatissima, qua die 8. Junii, hora 10. matutina, inter preces devotas & suorum suspiria, marasmo jam senili intercedente, placidissime fuit potitus, gratulor, & nostrorum animorum conjunctionem, pro grata Dei voluntate futuram, in æterna præstolor beatitudine. Plura tempus luctusque subinde recurrens prohibent. Corpus autem Nostri Dn. SENIORIS Clarissimi sub terra quietem; Anima in sinu Abrahæ consolationem; ejusque memoria in nostris vivens animis gratum patiatur incrementum. P. P. Gedani die 14. Junii Anno 1660.

Subjungam J. PASTORII, D. Med. Histor. Regii & Professoris Gedani honorarii, Epistolam ad Nobilissimum, Amplissimumque Virum, DN. JOHANNEM HEVELIUM, Consulem Gedanensem Palæopolitanum, Magnum & Incomparabilem Astronomiæ Illustratorem, scriptam, Anno MDCLX. die XIV. Jun. cum postridie tumulandus esset magnus Polyhistor, Medicus, & Astronomus LAURENTIUS EICHSTADIUS.

Sic igitur rebus humanis interesse desiit Laurentius Eichstadius, Medicinæ Doctor, inclytæ Civitatis hujus Physicus, & in Gymnasio Professor Medicinæ ac Mathematum, συνεργὸς & Amicus noster conjunctissimus? Sic morti tandem succubuit, qui toties de morbis & de morte ipsa, tot ægros identidem juvando, triumphavit? Sic nihil profuit Ars nostra, qua excellebat? Nihil diffusissima disciplinarum pene omnium peritia, qua neminem non in sui rapiebat admi-

rationem? Nimirum cedere debuit summo rerum arbitro, qui legem moriendi cunctis hominibus insuperabilem, & huic adeo certam vivendi metam posuit. Illo quoque jubente depultrix morborum ars in ipso defecit, ut laborum, quos hic artis exercitatio perpetuos Viro indefesso creabat, tandem sentiret finem. Scientiæ denique omnes elanguerunt, ut summum scientiarum fastigium in cœlesti Academia adipisceretur. Jam cupidus herbarum vestigator veram vitæ arborem invenit. Jam nocturnus Siderum spectator sine nocte diem videt, & ex propinquo Solem intuetur, quem nullæ maculæ inficiunt, nullaq; eclipsis tangit. Nihil igitur illi, sed plurimum nobis, quos illi superstites Deus esse voluit, decessit. Amisit tota Respublica literata magnum sui lumen, amisit hæc Civitas magnum depositum, amisisti Tu, Vir Amplissime, amisimus Nos quoq; Collegæ ejus, magnum Amicum. Omnes in tanta jactura & clade sua requirunt solatiū. Respublica literaria levat damnum suum lectione scriptorum, quæ Vir Eruditissimus summa industria elucubravit. Civitas fruitur fama, quod tantum Virum benignissime aluit. Amici memoria virtutum ejus solantur desiderium suum. Recordor τὸν Μακαρίτην mirifica quadam animi jucunditate vitam Nobilissimi Astronomię reparatoris, Tichonis Brahe, à viro præclaro, Petro Gassendo, descriptam, mihi inter sermones familiariter habitos sæpius celebrasse. Non ita dudum quoq; ille vitā Herlicii, celebris Medici & Astrologi, à se ipso descriptam mihi legendā misit. Utinam Occupationes meæ permitterent, ut quod Tichoni Gassendus, ipse vero Herlicio præstitit, id ego illi jam conferre possem. Equidem rapit me illuc animus, & videor mihi aliquo officii nexu ad hæc quasi justa Viro amicissimo exsolvenda obstrictus. Sed is adeo non tantum acerbo, sed mihi quoq; intempestivo funere abripitur, ut vix exequiis Ejus fortassis sim interfuturus. In Aulam enim Regiam me negotia vocant. Inter itineris autem meditationes occupato, num quidquam tanto & viro & Amico dignum vel mens concipere possit, vel exprimere calamus? De me quidem nihil ejusmodi ausim promittere, & sum virtutis adeo reverens, ut eam perfunctoria laudatione deterere nefas putem. Video autem in Viro isto, aliquibus sane, qui non nisi externis validos amant suspiciuntque, parum intellecto, multa fore cum cura dicenda. Occurrent Pietas in DEUM adeo eximia, ut inter memorabilia ejus virtutis exem-

exempla ὁ Μακαρίτης numerari poterit. Omnes ejus sermones, omnes actiones illam spirabant, omnia denique scripta, etiam ubi excusate tacere poterant, eandem loquuntur. Occurret rara & memorabilis Probitas indolis, morumque infucata simplicitas, omnis prorsus doli fugitans & expers, talisque omnino, qualem à columbis nos discere vult Servator. Occurret admirabilis temperantia vitæ, qua adeo infra usitatum hominibus cibi potusque modum Vir ille constitit, ut plerique mirarentur, qui circumferre, & tot laboribus diurnis nocturnisque impendere posset illud corpusculum, quod tam parce & tenuiter aleretur. Et nulla vel frigidissimorum Ascetarum σκληραγωγία Viri hujus abstinentiam unquam, opinor, superavit. Occurret insignis Modestia, in vultu ejus, sermone, gestu, familiari cum aliis vitæ modo, ita clare, ita perpetuo lucens, ut cordi penitus insitam facile agnosceres. Pene illa justam excedere visa est metam, cum sui nimius quasi contemptor, virtutem ipsam debito nonnunquam honore privaret. Sed ille adeo de se demisse sentiebat, ut cum prope omnium alias rerum scientissimus esset, unum hoc, quis & quantus esset, videretur ignorare. Utique Eruditione si censendus Vir sit, eam assiduo ab ineunte ætate labore acquisiverat sibi tantam, quantam in paucis deprehendimus. Nihil usquam vel vetus vel præsens seculum edidit, quod ille cum cura non evolverit, magnus & insatiabilis librorum helluo: quos ita legebat, ut & signa manus suæ ubique imprimeret lectis, & quicquid legisset, memoria ad miraculum usque facile complecteretur. Prorsus ut sine damno Veritatis id illi elogium, quod olim Dionysio Longio Cassio datum est, nos, qui familiarius cum illo versabamur, tribueremus, βιβλιοθήκην ἔμψυχον καὶ περιπατοῦν μουσεῖον appellantes. Eruditionis autem suæ fontes quam apertos, quam obvios aliis tenebat? Quam ultro eam non offerebat, sed ingerebat pubi literatæ? Quibus illam stimulis, quam blandis subinde invitamentis alliciebat ad Matheseos studia, vulgo juvenili minus grata? Quam gestiebat, quoties ingenia naturalis scientiæ Medicæque artis avida se offerrent? Qua industria & ipse de nocte inspectioni Siderum invigilabat, eodemque ducebat discipulos talium curiosos? Quo studio, qua promptitudine me-

memoriæ, qua copia verborum corporis humani fabricam, ejusque partes singulas, maximas, minimas, in oblatis cadaveribus demonstrare solebat? Qua alacritate etiam senex in campos excurrebat, præsentem in quavis herba Deum tyronibus ostendere cupiens? Quod ipsum opus quoque extremum illi in terris esse voluit Deus. Inde morbi novissimi, inde mortis occasio Viro immortalitate dignissimo nata est. Cum enim Botanices Candidatos per vicina urbis arva, pedes, ut solebat, circumduxisset, à vento, sole, & nimio imprimis macilentissimi corpusculi motu contraxit cum catarrho febrem, quæ paucillum id, quod in ipso supererat succi vitalis, intra octiduum exhausit. Ita Viro Optimo & Doctissimo ea felicitas contigit, ut fine Imperatorio, hoc est, stando fere, partibusque muneris sui incumbendo, moreretur. Nam & tum, cum extrema sibi adesse sentiret, satisque id voce pene deficiente testaretur, præcipue quidem is de beata sui dimissione, quam assiduis suspiriis, Vir Pientissimus orabat, de conjuge & filia unica, quas Mæcenatibus per nos Amicos cum cura commendari petebat, solicitus erat, à bibliotheca tamen adeo nec dum avelli se patiebatur, ut non multo ante mortem, & vix jam pedibus se suis sustinens, librum, quem desiderabat, scala conscensa, è forulis peteret. Adeo ille perpetuo sibi & præsens & constans, adeo studiorum etiam ad extremum usque amans mansit. Quæ quantopere, ut primum per ætatem potuit, non excolere modo boni publici causa; sed ornare etiam, augere & provehere conatus sit, satis docent tot egregia ejus in publicum edita monumenta, quibus partim cursum Siderum accuratissime descripsit, partim temporum doctrinam, partim denique rem Medicam impense juvit, eo nomine universo orbi literato apprime & notus & acceptus. Sed quemadmodum ipse, quantumcunque temporis, per curam ægrorum, perque alios labores ordinarios poterat, literis dabat, ita nulla re magis delectabatur, quam, si eadem studia aliorum pariter laboribus altius in dies exsurgere videret. Quanta voluptate præclara scripta primiceriorum hoc seculo Virorum Gassendi, Kircheri, Riccioli, Bullialdi, Phocylidæ aliorumque talium, qui naturæ secreta rimarentur & naturæ sinus excuterent, remque inprimis Astronomicam laboribus suis amplificarent, legebat? Quam Tuis præcipue, Vir Nobilissime, admirabilibus inventis, & in omne ævum perennaturis, ingenii solertiæque

fœtibus

fœtibus lætabatur? Quam plaudebat, cum Tubos Tuos, cum Aſtrolabia, cum cætera Organa, quibus paria Orbis non habet, intueretur? Quam gratulabatur ſtudiis Noſtris, cum ex Italia, Gallia, Germania; & ex omni orbe literato literæ ad Te afferrentur, quibus Viri Magni, Magni etiam Principes, teſtabantur, quanti labores Tuos & ipſam, cui hi dicati ſunt, diſciplinam æſtimarent. Quanto & nuper cum hic pacis negotium ferveret, gaudio perfuſus eſt, cum non tantum magnorum Regum, Principumque Legati, ſed & ipſe Sereniſſimus Rex noſter, Sereniſſima Regina comitatus, Tuas ædes adire dignatus eſt, ut locum & inſtrumenta videret, quibus Tu ſcandere Sidera, & cœlo Te inferre ſoles. Ea erat ipſius indoles, ut honores amicorum duceret eſſe ſuos; expers Loliginis illius, quæ ſibi decedere putat gloriam, quam alteri videt accreſcere. Te ille inter potiſſima Gedani noſtri & Orbis eruditi decora amabat, colebat, & quoties occaſio ferebat, privatim publiceque laudabat. Tu viciſſim Senem, ita, ut dignus erat, venerabaris, Tu de communibus ſtudiis cum nullo mortalium fidentius ac familiarius ſermocinari ſolebas. Eo acriori jam triſtitia luctuque Viri obitum proſequeris, eo majore etiam ſtudio memoriæ & famæ ejusdem poſthumæ faves, quum alioquin inſignibus meritis partam exſtantia ingenii monumenta non ſinent equidem intermori. Nos quoque eidem colendo, quantum in nobis eſt, non patiemur deeſſe. Multos Eichſtadio non majores Viros, aliquos etiam inferiores, memorant Magni Thuani Annales, & ſinguli prope libri eorum, ſinguli utique anni talis alicujus eruditi hominis morte terminantur. Forte erit, qui Eichſtadium quoque ita ut revera eſt, dignum deputabit, quem hiſtoriæ peplo innectat. Neque profecto elogium mortui dedecorabit annum ſuum, etſi jam ante aliis longe maximis rebus memorabilem: Et hæ adeo ipſæ memoriam hominis juvabunt, ſi quando tempus, quo Eichſtadius vivere deſierit, recordari volent. Veniet enim in mentem annus, qui omni pene cultiori Orbi Pacem reddit; Primum enim duo maxima Occidentis Regna, Vinculo nuptiali coaluerunt, depoſitis in templo Veneris, quæ acerrima tot annis inter ſe foverunt odiis atque hoſtilitatibus. Secuta eſt Polono-Suetica Pacificatio, ingens opus, & quod omnem prope ſpem & fidem humanam exceſſit. Neque enim niſi pauciſſimis credibile viſum eſt, bellum tam late graſſans, & tot Principum

 exter-

externorum armis implicitum hic adeo æquo fine terminari posse. Terminatum tamen est singulari Dei beneficio, tum feliciter interposita Christianissimi Regis authoritate, sed inprimis etiam efficacissima Sacrarum Majestatum Sereniss. Regis & Reginæ præsentia, tum indefessa Illustrissimorum Legatorumque Cæsareorum, Regiorum, Electoralium opera. Cæterum perfectioni muneris tanti malignitas temporum subtraxerat aliquid, quod alibi deinde idem, qui nos respexit, favor Numinis supplevit. Cum enim afflictis Sociæ Daniæ rebus pax nostra non ita, ut votum & spes erat, succurrisset, succurrit tamen divina manus, & hostes antehac illi nobiscum communes, mox omni mole sibi incubituros, imposito itidem pacis fræno à cervicibus illius clementer removit. Insignavit hunc eundem Eichstadio fatalem annum duorum Regum transmarinorum diversissima fortuna: Alterum enim post circumlata longe lateque arma, & inundatas rapidissimo victoriarum quasi torrente terras plurimas, in ipso flore ætatis præcox fatum abstulit. Alterum superiores aliquot anni patrio solo solioque ejectum per terras alienas circumegerant. Truncæ crudeliter jugulati Parentis Cervici superstructam Tyrannidem vix ipse incolumis evaserat. Multi Mortales credidere, simul cum cruore Regio spem omnem reddendi filiis Regni effluxisse. Et humanas vires si spectes, vix superesse tabula videbatur, quæ naufragæ exulantis Regiæ domus fortunæ subvenire posset. Sed Deus, ut supremum se Regibus populisque arbitrum esse & Diademata projicere atque extollere quoties libuerit, posse ostenderet, humanis opibus destitutum manu sua restituit. Illo Duce, inermem Regem armatus revocat populus; Illo Duce agnoscit parricidium, & cum omnibus veniam à benigno Principis animo impetrare posset, autoribus facinorum pœnam ultro decernit. Dubitabit, credo, posteritas, majorene scelere violatus sit sanguis Regius, an Virtute restitutus. Et Annalium fides laborabit, ut persuadeat hominibus, Filium exulem sine bello reponi in Solium, ex quo furor militaris omne Regiæ potestatis nomen & memoriam sanguine Regio delere olim constituerat. Inter hæc miracula mortuus est Eichstadius noster: hoc inter alia ex terræ hujus miseriis solatium secum ferens, quod, antequam moreretur, Europæ auroram pacis, Regio sanguini honorem, seculo universo spem

optatæ

optatæ felicitatis vidit renasci. Vale, Vir Amplissime, & epistolæ ἐν παρόδῳ scriptæ, adeoque & Te, & Defuncto Amico, parum dignæ, ignosce. Dare enim aliquod mei erga τὸν Μακαρίτην cultus monumentum etiam alienissimo hoc tempore debui, qualecunque autem profecturus dare potui, id ad Te potissimum mittere visum est, quem rerum cœlestium cura cum Cœlite nostro arctissime conjunxit. Dab. ex ædibus meis 13. Jun. anno 1660.

LAURENTIUS EICHSTADIUS, D.
Per Anagr.
RES LAUDAT: | HIC DIVINUS EST.

Magne Vir, illustris Sophiæque Hygiæque Sacerdos,
Sancte Decus Matheseos:
Sic bene Cecropiæ doctis Latiæque Minervæ
Beatus intras artibus;
Publica morborum requies, commune Medentum
Lumen, Machaon inclytus:
Inclyta Naturæ Genio ignescente Voluptas,
Nostri Venustas seculi.
Eloquio crevere tuo mysteria cœli;
Polus solo recluditur;
Totum implevisti Claris sermonibus Orbem,
Quibus nihil præstantius;
Enthea Divini ingenii miracula, Musæ
Plenis loquuntur usibus:
Finibus Arctois & Terris Clarus Eois;
Afris, Iberis maximus:
Sanctum opus, usque suis dignum Natalibus exit;
RES LAVDAT, HIC DIVINVS EST.

LAURENTIUS LUDENIUS,
Holsat. Phil. & J. U. D. Poët. Cæs. in Acad. Dorpatensi Prof. Juris Oratoriæ ac Poëseos.

SCRIPTA.

Dissertatio de Theriaca & Mithridato. *Stetini* 1624. in 4.

De

De Confectione Alchermes Dissertatio. *ibid*, 1634. in 4.
Ephemeridum novarum & motuum cœlestium Pars prima, ab Anno 1636. ad An. 1640. *ibid.* 1634. in 4.
Pars secunda, ab An. 1641. ad An. 1650. *ibid.* 1636. 1639. in 4.
Pars tertia, ab An. 1651. ad An. 1665. *Dantisci* 1644. in 4.
Pars quarta, ab An. 1660. ad An. 1670. inchoata; sed cui labori Auctor immortuus est, ac prodiit tantum Una Ephemeris An. 1660. succedente Joh. Heckero, qui ab An. 1666. ad An. 1680. hunc laborem continuavit, & luci publicæ dedit.
Pædia Astrologica. *Stetini* 1636. in 4.
Curriculum Vitæ Davidis Herlicii, Medici & Mathematici, descriptum in quadam Epistola ad Dav. Rheten, Typographum Stetinensem. *ibid.* 1637. in 4.
Tabulæ Harmonicæ Cœlestium Motuum, tum primorum, tum secundorum, seu doctrinæ Sphæricæ & Theoriæ Planetarum, ex hypothesibus Tychonis Brahe. *ibid.* 1644. 1646. in fol.
Epistola de mensura & quadratura Circuli, ad Christianum Severinum Longomontanum, Mathem. Prof. Hafniensem. *Luneburgi* 1648. in 4.
Tabulæ motuum Solis & Lunæ, ab anno 1400. ad A. 1800. hypothesibus J. Kepleri superstructæ. *Dant.* 1648 in 4.
Planorum Geometria. *Lubecæ.* 1650. in 4.
De Camphora. *Dantisci.* 1650. in 4.
Lucubrationes Chronologicæ à Condito Mundo ad natum Christum. Perduxit autem eas tantum usque ad initium LXX. hebdomadum Danielis; non ultra. Morte enim ab hoc quoque labore impeditus fuit. Est igitur opus incompletum, præfatione destitutum & fine. *Gedani* 1660 in 4.
Calendaria singulis annis, & pro Astrophilis etiam Ephemerides annuas, ad modum Ephemeridum Keplerianarum ab anno 1648. usque 1659. composuit.
Physicæ partem generalem disputationibus publicis Gedani absolvit. Edidit insuper Disp. Chronologicam de vero anno & tempore Passionis Christi: De morbis eruditorum: Problemata Electrologica Physico-Medica, ex Monumentis Medicorum potissimum excerpta; aliaque quam plurima.

MEMO-

MEMORIA
Viri Ampliſſimi, Excellentiſſimique
DN. M. HEINRICI NICOLAI,
Sereniſſimo Electori Brandeburgico à Conſiliis Eccleſiaſticis, inque Inclutis Dantiſcano & Elbingenſi Gymnaſiis Philoſophiæ Profeſſoris emeriti,
Renovata & Translata
Ex Concione ferali Eidem Germanicè habita,
à
NATHANIELE DILGERO,
Ad D. Mariæ ibidem Paſtore.

SUblimi variarum ſcientiarum ac Philoſophiæ inprimis decore noſtra ætate inclaruit HEINRICUS NICOLAI, cujus ingenii monumenta haud pauca de tanti Viri eruditione ſingulari abunde loquuntur. Lucis autem uſuram quinto ævi hujus anno, ſeptimoque die Maji cepit; *Patre* Conſultiſſimo Viro, *Heinrico Nicolai*, Reip. Dantiſcanæ per XXX. annos Secretario; & *Matre, Barbara Petriana*, fœminarum ornatiſſima. In omni ille ſibi vita quammaxime gratulatus eſt, non ſolum ſe, ceu Ethnicorum non nemo Philoſophorum fecit, hominem factum eſſe, rationis uſu ac ingenio valentem, neque à barbarica gente in orbem progenitum; ſed Chriſtianum, atque literis ſanioribus probe inſtructum. Et ut in tantum aliquando Virum evaderet optimi Parentes nihil quicquam intermiſere, quod ad teneram iſthanc ætatem recte formandam ullatenus conduceret. Quam primum enim in puero, præter docilitatem naturæ, ingentem quoque diſcendi ardorem viderunt, animum ejus humanioribus excolendum ſtudiis ſerio curarunt. E ludo itaque patrio prodiit adoleſcens vix ſedecim annorum, & dignus jam tum, communi Muſarum calculo, judicatus, qui Regias Scholas inviſeret. Quamobrem ad almam *VVittebergenſium Academiam*, ſeculi, in quo degimus, vigeſimo

anno missus, vita ibidem honeste instituta, atque rara inter æquales sedulitate, Doctorum in se omnium favorem haud difficile elicuit. E quibus illum reconditæ Philosophiæ Phosphorum, *Iacobum Martini*, eximie coluit, ejusque ab ore avidus cotidie pependit. Ne vero Pythagorei semper silentii cultorem se profiteretur, sub illius umbone, quoddam *de Magicis Actionibus* illustre specimen, proprio consignare Marte, ac in apricum proferre voluit. Triennio illic cum laude peracto, *Lipsiam* salutavit, inque accuratissimi Theosophi, *Heinrici Höpfneri*, arctiorem consuetudinem penetravit. Nec hic altissima NICOLAI nostri indoles substitit, sed *Ienam* adire pariter, ejusque eminentissimis Theologiæ Luminibus, *Ioh. Majori* & *Ioh. Gerhardo*, innotescere expetiit unice. Inde *Noribergam*, *Altorphium*, *Ingolstadium*, aliaque loca sublimi ac nunquam cessatura mente perlustravit. Anno suprą millesimum sexcentesimum vigesimo sexto *Marpurgum*, nobile Cattorum Prytaneum, adire subiit animus, ut submissa Veneratione Maximum Senem, de vera Christi Ecclesia & voce & calamo egregie meritum, *Mentzerum*, prosequeretur, à quo doctior nunquam non discessit. Sub insignis insuper Theologi, *Feurbornii*, ductu, *Repetitionem Chemnitianam* ventilando privatos intra postes percurrit. Cum Præcellentissimo *Steubero* aliquoties literarii certaminis super Hoseæ Prophetiam triumphos egit. Incluto *Hannekenio* suam tum non minus probavit industriam, dum Collegiis, quæ in Orientalibus Linguis instituit, creberrime interfuit, & eo insuper moderante, in Cathedra Academica se Ebraice exercuit. Magisteriali denique condecorandus Laurea, semel iterumque sub CL. *Tonsoris* præsidio, quem & mox Promotorem nactus est, in aciem prodiit, nec sine ingenti totius Parnassi applausu. Postquam vero integrum Marpurgi annum permansisset, commodum τῷ Μακαρίτῃ alias quoque terras urbesque celebres lustrare videbatur. *Francorum* igitur *Vado*, *Moguntia*, *Colonia Agrippina*, *Düsseldorpio*, *Rheinberga*, *Wesa*, *Embrica*, *Arnheimio*, *Vltrajecto* salutatis, *Lugdunum Batavorum* prosperrimis Vialibus ingressus est. Deinde *Amstelodamo*, *Franekeram* atque *Gröningam* se portandum tradidit, in isto itinere ab aliquot magni nominis

minis Professoribus, *Maccovio* præcipue ut & *Amesio*, humaniter susceptus. Ne autem nimis à patrio solo remotus viveret, *Lubecam* & *Hamburgum* pertransiens, *Rostochium*, Musarum sedem, ad triennium ferme elegit, ac illius loci salutari Præstantis Theologi, *Cothmanni*, consuetudine frui cœpit. Quo etiam dirigente, *Diatribam de Pœnitentia* publico eruditorum examini submisit. In Philosophicis placitis cum *Tarnovio*, *Quistorpioque*, haud levis armaturæ militibus, tela vibrare solebat; quin & nonnunquam seipsum Pierii gregis Ducem in suprema pergula præbuit; sed rarius, ne plus forte intricatis Philosophiæ nexibus, quam par est & usus ad altiora postulat, implicaretur. Nam quamvis à divini juris didagmate excolendo per omnes vitæ dies minime deflexerit, summo tamen Numine providente factum, ut Anno 1630. Professioni Philosophicæ, ab Amplissimo Senatu Dantiscano sibi ultro oblatæ, repulsam mittere non ausus fuerit. Quid vero in hac sparta præstiterit, quanta cum gloria non apud suos solummodo, sed exteros quoque vixerit, quæ subtilissimi ingenii monumenta condiderit, notiora sane sunt, quam ut verbis aut nostro qualicunque præconio efferri satis queant. Quare summi Philosophi nomen, qui rerum omnium naturam causasque exacte pernosceret, meritissimo jure consecutus est. In illis utique liberrime Philosophandum sibi esse duxit, nec in ullius Magistri verba jurare unquam voluit. Unde à Serenissimis Ducibus, GEORGIO Hassorum Landgravio, pariterque GEORGIO WILHELMO, Electore Brandeburgico, oblatam sibi gratiam, absque propriis impensis in Doctorem Theologum promovendi, submisse & modeste declinavit. Alteri quippe potius huncce conferri maluit honorem, quam ipsemet eum gerere; contentus, si Theologiam, quam ad aliorum duntaxat usum addidicit, in proprium convertere solatium, tot inter mundi depravati illecebras, tuto liceret, sibique commisso exinde muneri abunde satisfacere. Num vero illud κατὰ παντὸς assecutus, & qua hanc libertatem ratione alii passim interpretati fuerint, unicuiq; erudito ac prudenti dijudicandũ committimus. Extra omnem tamen dubitationis aleam positum, quod viginti

anno-

annorum decursu, in Athenæo Dantiscano, disciplinam Logicam æque ac Metaphysicam publice docendo in ordinem redigendo, disputando, mirum quantum sudaverit, ut continuis subinde meditationibus corporis sui vires haud parum senserit debilitatas. Inde ab incluto Senatu rude donari petiit, & facillime emerito obtigisset, una cum insigni salario, ex quo honeste senectutem aleret: Verum eo tum ipso tempore *Elbingam* invitabatur, ut *Honorarius* ibidem *Professor* designaretur, moxque *Serenissimo Electori Brandeburgico à Consiliis Ecclesiasticis* adesse solicitabatur. Hasce igitur provincias ita quidem grato suscepit animo, ne simul munificentiæ in patria sibi toties redditæ, ac pristinæ dignitati ea propter nuncium mitteret. Domesticum quod τὸ πάνυ nostri statum concernit, Cœlibatum ad quinquagesimum usque primum ætatis suæ annum ἀγχινόμενος produxit, ut eo melius Musis litare valeret. Tandem vero, Anno O. R. 1656, d. 31. Octobris, Elbingæ *Reginam Cojeniam*, pudicissimam Virginem, elegit, qua cum connubiali se fœdere jungeret, vitæque residuam particulam, dulci levamine transiret. Sed summo rerum humanarum Arbitro visum fuit, præclaro huic Neonympho dilectissimam Sponsam nimis mature & ante nuptias celebratas subducere, quo pro thalamo tumulum, ac myrteo Cypricum eidem parare sertum necesse habuerit. Ipse autem exeunte anno 1660. d. 20. Decembris, in gravissimum morbum incidit, quem fatalem fore præsagiebat. Ideoque cum Reverendo Viro, *Dilgero*, quamplurima contulit, quæ ad orthodoxiam scriptorum à se publicatorum stabiliendam, vel si quid in iis erratum, ingenue rejiciendum, facere videbantur. Cæteris enim Theologis haud parum displicuit, quod in quibusdam à Symbolicis Ecclesiæ nostræ libris secessum fecerit, ac non nihil in medium protulerit serio emendandum. Cum ob id ipsum à prælaudato Theologo admoneretur, clara ὁ Μακαρίτης noster voce aliquotiens retulit: *Si quid usspiam statuerim divino verbo dissonum, rejiciatur.* Reposuit illico Venerandus Dialogista: *Non hoc sufficere, sed lapsum in scriptis jam commissum aperte ac cordate confitendum esse.* Tum Noster alto emittens corde suspiria exclamavit: *Ita omnino est, rejiciatur. Deus propitius esto mihi peccatori!* Quid ulterius in isto mortis agone peractum, alibi plenius edocetur. Nos interea hic illa apponimus, quæ Confessionis loco, aliquot ante pium ejus ex hac

vita

vita discessum, propria manu consignatum exhibuit. Ita autem ea sonant: *Ego Magister Henricus Nicolai, agnosco & confiteor, Augustanam Confessionem invariatã, prout illa à Theologis Orthodoxis Lutheranæ Ecclesiæ explicata est, cum omnibus Dogmatibus, quæ in illa continentur, præsertim quoad primum articulum de Trinitate, conformem esse non tantum Verbo Dei, sed & puriori Orthodoxæ antiquitati: In qua fide & ego mori desidero; ac omnia illa, quæ in scriptis meis Sanctæ fidei & Confessioni adversantur, rejicienda & reprobanda esse volo. Promitto insuper, si Deus mihi vitam longiorem concesserit, omnia, quæ in scriptis meis huic fidei Confessioni adversantur, emendaturum. Deus propitius sit mihi peccatori, Amen. Anno 1660, d. 27. Decembr.*

Henricus Nicolai.

Aliud quoq; Schediasma Germanico idiomate exaratum reliquit, quo *Puncta Moriendi* inseruit, clausis piis hisce verbis:

Mea spes unica est Christus; mea spes est passio Christi;
Mea spes est vita beata futura, mea spes est gratia IESu.
Textus sepulchralis mihi erit Ecclesiast. 4. v. 4. id quod quoque factum est.

Obiit ergo non multum post, inter preces ardentes, plenus fidei, vitæque hujus satur, de quo, Coronidis vice, dici forte posset, quod *S. Hieronymus* de scriptis *Originis* judicat: *Venenata sunt*, inquit, *illius dogmata & aliena à scripturis sacris, vim facientia scripturis.* Et modeste tamen addit: *Non consuevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Quod si quis nobis opposuerit errores ejus, audiat libere, interdum magnus dormitat Homerus. Non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi.*

In Effigiem Clarissimi Viri,

DN. HENRICI NICOLAI,

Theologi, Philosophi eximii, &c.

Effigiem sculptor sculpsit: Qui munera mentis
Exsculpat sculptor, nullus in Orbe siet.
Ingenii quiret si quisquam pingere dotes;
Pictura haut posset gratior ulla dari!
Ingenium sublime Viri monumenta loquuntur:
Quæ solide doctos jure stupere vides.

RETGERUS ZUM BERGEN, Regius Secretarius, Hæreditarius in Brasneken.

De Magicis Actionibus tractatus singularis Philosophico-Theologicus & Historicus. *ibid.* 1649. in 4.

Gymnasium Ethicum, Exercitationes XV. *ibid.* 1649. in 4.

De Comparativarum Enuntiationum expositione, tractatio peculiaris Logico-Philosophica & Philologica. *ibid.* 1650. in 4.

Disquisitio Magnetica succincta, Syllogen variorum quæsitorum, quæ de Magnete moveri possunt, exhibens. *ibid.* 1646. in 4.

De Modis Prædicandi tractatus peculiaris Logicus, Philosophicus & exemplis in parte Theologicis illustratus. *ibid.* 1650. in 4.

De non liquendo, necessitatem, utilitatem & prudentiam non liquendi in Theologicis ac Philosophicis ostendens, exercitatio peculiaris Philosophico-Theologica. *Elbingæ* 1652. in 4.

Theologiæ Epitome Methodice repræsentatæ. *ibid.* 1653. in 4.

De Methodo Trinitatis, Exercitatio peculiaris. *ib.* 1654. in 4.

De Ahasvero Estheræ, quisnam ille, quo tempore vixerit, imperarit, Estheram duxerit, Judæos ingente excidio liberaverit, & similibus, Exercitatio peculiaris Chronologica, Historica & Theologica. *ib.* 1653. in 4.

De Causa per Accidens, tractatus singularis Philosophico-Theologicus. *Dantisci* 1650. in 4.

De conjungendo Philosophiæ studio cum Theologia Programma, ad audiendam Orationem suam in Gymnasio Elbingensi. *Elbingæ* 1651. in 4.

De Medio religioso & Theologico, h. e. de mediis inter extremas in Theologicis sententiis advertendis & recipiendis extremis quandoque cavendis & declinandis, Exercitatio peculiaris Theologica. *ib.* 1653. in 4.

De Conciliatione Enunciationum, Exercitatio peculiaris Logica, Philosophica & Theologica. *ib.* 1653. in 4.

De Symbolo Athanasii, Exercitatio Theologica, Historica & Ecclesiastica. *Gedani* 1655. in 4.

De Subjecto & Adjuncto, Exercitatio Metaphysica & Theologica. *ibid.* 1656. in 4.

Quadrigatus Expensus, sive Consideratio quadrigæ quæstionum Theologicarum, de Syncretismo Non neminis Wittebergæ hoc anno emissæ. *Stetini* 1657. in 4.

De Astrologiæ veritate, licitaque apud Christianos ratione, Exercitatio peculiaris Theologica, Physiologica, Astrologica & Historica, Adstructoria & Destructoria, *Dantisci* 1657. in 4.

De Obedientia tam civili quam spirituali, exercitatio peculiaris Theologica & Philosophica. *ibid.* 1659. in 4.

Kurtze und deutliche Erklärung des Spruchs im Prediger Salomo am 4. Cap. v. 4. *ibid.* 1660. in 4.

PROGRAMMA,

In Excessum

Amplissimi & Excellentissimi Viri,

AUGUSTI BUCHNERI,

Poës. ac Eloquentiæ, per annos XLV. Profess. Publici, Academiæque Wittebergensis Senioris in XII. usque optime meriti, nec non Alumnorum Electoralium supra ipsos XXII. Ephori.

Propositum à

RECTORE ACAD. WITTEBERGENSIS,

ANDREA KUNADO,

SS. Theol. Doct. & P.P. Consistorii Eccles. Assessore, & Elect. Alumnorum Ephoro.

LUxit clarissimorum luminum ereptionem hactenus Academia nostra, & acerbiori plurimorum fato indoluit; cæterum nunquam, sive meritorum vel numerum vel pondus æstimemus, sive Humaniorum literarum jacturam metiamur, major nobis accidit clades, ac justior doloris occasio venit, quam cum supremus rerum Arbiter, Clarissimum & multis maxime virtutibus illustrem Virum, AUGUSTUM BUCHNERUM nudius octavus avocaret à statione, quam fama, auctoritate, annis & bonis omnibus factis ita implevit hucusque, ut magis à nemine possit. Recruduêre novo vulnere vulnera, quæ coaluisse quadantenus, atque ad non immatura adolevisse solatia videbantur, Nunc, ut Maronianum illud ingeminemus,

Quis

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem?

Lacrymis inquam. Neq; enim loqui nos mœstitiæ magnitudo finit, nec intra animi sedatioris silentia condi impotentissimus affectus potest. Quæ nobis secula alterum reddent BUCHNERUM? Quæ lustra Viri referent judicium, sapientiam, & incredibili humanitate temperatam gravitatem? Quotusquisque annus ea parturiet ingenia, quæ Magnatibus pretiosa, & officiosa omnibus fuere. Formidabile incolis subest interpretamentum, ubi ædificiorum non contremuerunt duntaxat, sed dilapsæ penitus columnæ sunt. Nobis, quanto & omini, & periculo (quod utrumque quidem mitissimi Numinis benignitas avertat!) luctuosissimus venerandi SENIORIS NOSTRI obitus futurus sit, non tam scrutandum, quam castissimis deprecandum est votis. Roboranda interim ad meliora spes: cumque nostræ intersit & pietatis, & in Opt. Universi Moderatorem observantiæ, arcanis acquiescere consiliis, composita ferendum mente, quod mutare nequeas omnino. Neque nos præficarum nunc sustinebimus parteis, ut dolorum nutrimenta disseminemus late, ac foveamus; id potius agendum, ut solenne vobis, ACADEMICI CIVES, Excellentissimi, quem diximus, Viri, AUGUSTI BUCHNERI, Humaniorum Liter. per XLV. fere annos, P.P. Academiæ Senioris, & alumnorum Electoralium Ephori longe optime meriti, Collegæ nostri desideratissimi funus indicetur. Jacturam, quam in tanto fecimus Viro, nec explicare verbis integrum, nec, si vel maxime abundaremus iis, in præsentis scripturæ angustiam augustissimum BUCHNERI nomen veniret. Dabitur alius, amplissimum hunc decurrendi campum locus. Nos summa in præsenti capita, atque ea quidem extremis, ut ille ait, digitis tangemus, quæ singula tamen atque universa, uberrimam dicendi materiam suppeditare videbantur. Natus itaque noster, ex Nobili & antiqua familia, A. cIɔ Iɔ XCI. d. II. Novembris, ipsa dimidia quarta matutina, in Electorali Dresda est. Quæ cum jampridem hanc sibi propriam effecerit laudem, ut politissimorum parens ingeniorum audiat, natalia, si ulli, BUCHNERO, citra controversiam jura tribuebat. Patrem habuit Nobilissimum & maxime Strenuum, DN. PAULUM, Virum in tantum celebrem, in quantum Re-

gum Ducumque, propter Virtutum merita favor intelligi à quoquam potest. Hic ille PAULUS est, qui cum bellicarum artium, tormentariæ imprimis, peritissimus haberetur, præclara in Belgio, sub Hispaniarum Rege, Italia item atque Gallia, stipendia meruerat. Approbavit suum ille ingenium Legato Supremo Exercitus Regii, EMMANUELI PHILIPERTO, Sabaudiæ Duci, nec aliter ab eo, quam Charissimus Amicus appellatus: postque à CAROLO EMMANUELE, legitimo hærede filio, torque donatus aureo est. Honeste militari sacramento solutus Dresdam concessit; ubi, cum splendidissima virtutis suæ edidisset specimina, factum est, ut à Divo Electore AUGUSTO, tormentariæ rei & Fabricis præficeretur. Quas partes, qua autoritate, quaque gesserit solertia, cum non una Dresdæ Structura condoceat, præstabit silere, quam in ferali hac exponere scriptura. Id tamen prætermittere non possumus, quod cum propter militaris pariter & architectonicæ prudentiæ experimenta, aliquando à Serenissimo Daniæ Rege, aliquando ab Invictissimo Imperatore, RUDOLPHO II. cum amplissimo salario ad bellica invitaretur consilia, maluerit tamen sub Divis Electoribus AUGUSTO, CHRISTIANO I. & II. stipendia facere, quam desultoriis serviтiis fata sua solicitare. Ipse interim ab Imperatore torque ornatus honorificentissime fuit, dato insuper Nobilitatis majoris, Diplomate, quo eodem omnium dignitatum Equestrium & Ecclesiasticarum jura ipsi atque posteris ejus data atque concessa. Ut jam nihil dicamus quam liberalia & magnifica ipsi à CAROLO V. indulta fuerint privilegia. Avum nactus est Virum Strenuum & militari gloria vel maxime conspicuum GEORGIUM: qui, postea quam diuturna Liberæ Nobilitati Francicæ, & equestria quidem præstitisset officia, ducta hinc uxore, Noribergæ tandem fixit sedem. Ita igitur equestri virtute nobilitatum BUCHNERIANUM nomen est. Quod ut consummaretur magis, literarum restare splendor videbatur: sed quæ ipsæ ab AUGUSTO nostro augustissima acceperunt ornamenta. Matre natus est MARIA, Clarissima Fœmina, Amplissimi prudentissimiq; Viri Dn. SEBASTIANI KRÖSII, Serenissimi Electoris Saxoniæ quondam Cubicularii, Dresdensiumque Consulis Gravissimi filia. Auspicatissimos natales prudens exceperat educatio, qua effectum facile fuit,

ut prima illa ætas ad virtutum, quas adultior perfecit, elementa fidelissime componeretur. Neque enim difficile esse poterat, ex liberalissima indole claritudinem, ex puero, Virum interpretari. Scholæ idcirco patriæ traditus, cum & inter medios Teutones Grajus, inter Dresdenses Romanus apparuisset; in illustrem deportatus est Ludum Portensem, ipsis Idibus Novemb. A. cIɔ Iɔc IV. Hic vero quanta pietatis, industriæ ac eruditionis specimina edidit? quam arcano omnes & Magistros & Condiscipulos sibi intra sexennium devinxit nexu? Solent qui tractandis operam caballis navant, à primo actutum ortu, naturæ generosioris pullum à degenere discriminare; si vividiore motu, si sublimiore gressu; si capite arrectiore sit, si iras pugnaciter spirante naso adhinniat, assultet & agillime huc illuc moveatur. Prorsus aliquid simile in BUCHNERO adolescente, pleraque generosa minante, observabatur. Attonitus tamen nonnihil nobilissimus iste conatus fuit, cum intra triennium, quo Portæ literis invigilasset, Parente orbaretur Noster. Missus autem tertio post anno Wittebergam, non intempestivo suorum consilio, civem Academiæ nostræ dedit ad An. cIɔ Iɔc X. XIII. Kal. Decemb. Pro-Rectore DN. D. LEONHARDO HUTTERO. Rectoris enim Magnificentissimi munus exornaverat tum temporis Illustrissimus Saxoniæ DUX, AUGUSTUS, Episcopus Numburgensis & Zizensis, Landgrav. Thuring. March. Misniæ &c. DIVI JOHANNIS GEORGII I. gloriosissimæ memoriæ, Frater. Hic vero quam frugem inde reportavit BUCHNERUS! quantas patriæ polliceri spes videbatur! In præclaro tamen hoc instituto, impeditus facile fuisset, ob valetudinis, quam pertenuem annis junioribus & sæpe adversam continuaverat, rationem; si animo frangi tam facile potuisset. Sed altioribus fata Virum reservarunt. Post excessum enim DN. D. JOHANNIS RHODENBURGII, cum Poëseos Professio vacaret, huic ipsi post legitimam denominationem, Electorali auctoritate surrogatus est Noster, An. cIɔ Iɔc XVI. d. XII. Martii: quo ipso etiam tempore, primus inter 46. competitorum, cum summa laude renunciatus Philosophiæ Magister fuit. Idem ille annus honores publicos connubii quoque fœdere auxit. Quippe paulo post, celebratis ritu Christiano sponsalibus, solenni pompa demum duxit Clarissimam Virginem ELISA-

BETHAM, Viri spectatissimi DN. JACOBI CRAUSII filiam: nunc mœstissimam viduam. Qua cum per hos ipsos XLV. fere annos, tam amice, ut nemo magis; tam feliciter, ut numerosam ex una prolem, per DEI Gratiam, susciperet, convixit. Undecies enim mater facta lectissima Uxor, enixa est MARIAM ELISABETHAM, CHRISTIANUM AUGUSTUM, PAULUM, ELISABETHAM, JOHANNEM, ANNAM MARIAM, JOACHIMUM FRIDERICUM, DOROTHEAM CHRISTINAM, JACOBUM WILHELMUM, DOROTHEAM, & PAULUM. Superstes vero Numen esse voluit, cæteris ad se receptis, Nobilissimum Filiorum Filiarumque par. Atque principe quidem hic memorandus loco venit Nobilissimus ac summe Strenuus Vir DN. CHRISTIANUS AUGUSTUS, apud Serenissimum Electorem Saxoniæ, Rei tormentariæ & Fabricarum Præfectus. Inter fœminas præcipua laude eminet ELISABETHA, Prænobilis ac JCtissimi DN. HENRICI COSELII, J. U. D. Pandect. P. P. Curiæ Electoralis, Scabinatus & Facult. Juridicæ, quondam Assessoris, relicta Vidua: cui tanto acerbior in præsenti luctus hic accidit, quanto majus momentum est, nuper maritum, mox Parentem amisisse. Tertius inter incolumes adhuc adest Strenuæ Nobilitatis JACOBUS WILHELMUS, quem cum literaria militaris insuper Virtus, postquam inter equestres Suecorum ordines, sub Præfecti turmæ nuper præclare exercuisset spartam, facile commendat. Vidit superior annus inter vivos etiam JOHANNEM, Cohortis Prætoriæ, in legione summi, Tormentariæ Rei, apud Serenissimum Polonorum Regem, Præfecti, Protribunum. Idem ille tamen lento haud ita pridem extinctus est morbo. De Clarissima, superstite DOROTHEA virgine, quid vero dicemus? Luget, squallet, funus simul ipsa facta est cum Matre, Fratribus, Sorore. Quanquam si vel Status, in quo degunt omnes, felicitatem, vel educationis, quæ vix millesimo contingere talis potest, maturitatem tranquillo æstimare animo dignentur, præsentissima mœrori applicare lenimenta facile queant. Sed nunc ad BUCHNERUM nostrum iterandus est aditus. Opprimimur dicendorum ubertate: nec prolixior ordo nobis; nervus exprimendus est. Quis vero hic eloquentiam facundiamque tanti Viri, quis dicendi copiam, quis disse-

differendi facultatem satis deprædicabit? Et his sc. virtutibus suis meruit, ut ei A. clↃ IↃC XXXI. Oratoris Academici munus, Electorali autoritate conferretur; quod ipsum ita deinceps ornavit, ut inter Germanos disertissimus merito haberetur. Sane nihil antiquitatum mores, nihil populorum instituta, nihil temporum continuerunt gesta, quod non ad amussim BUCHNERUS calluisset. Tullium cogitate, cogitate Platonem, Catonem mihi memorate, BUCHNERUS erit. Non Gallia eum, non Batavia, nec remotior quis ignorabat Sarmata. Mortuum ne dixerimus, qui in tot præclarissime elaboratis scriptis voluminibusque vivit? Edita horum plurima, plurima post fatum publicanda, æternabunt BUCHNERIANUM nomen. Vidit, vidit DIVUS JOH. GEORG. I. SEPTEMVIR, quàm, in BUCHNERO, cum assiduitate auctoritas, cum auctoritate fides certaret de primatu. Clementissime igitur ei demandavit in alumnos Electorales, Ephoriam, Anno clↃ IↃC XXXVII. Quam ille provinciam, tam gessit laudabiliter, ut nec optando quis potuisset magis. Quæ vero arcana vis fuit, qua Magnatum, sine palpo (in quo maxima seculi nostri sive labes, sive tabes sita est,) gratiam benevolentiamque indipiscebatur? quam sæpenumero ne quærebat quidem, cum offerretur sponte. Raræ, sine BUCHNERO, expeditiones quondam Academicæ: nunquam in cassum abiere spes, ubi manum ille admovisset. Rectorem Magnificum tertia ipsum salutavit vice Academia, Decani in Amplissimo Philosophorum Collegio munus octavum, quod, quamdiu nostrum stetit Athenæum, ne uni contigit hactenus, feliciter consummataque laude absolvit, Senioratum suscepit Academ. A. clↃ IↃC XLIX. Amavit omnes impensissime, comitatem, concordiamque vel invidia ipsa teste, constantissime excoluit. Candor in convictu germanus, sermo ponderosus, gravitas, prudentia, quanta comparari vix possunt ulli, in hoc uno enituerunt. Sacra vero publica quo studio ille adiit? qua devotione coluit? qua custodivit observantia? Habet in Excellentissimo BUCHNERO, quæ imitari cupidissime possit, gloriæ virtutumque vivida exempla, SEU SIT, SEU FUERIT, SEU POST VENTURA TRAHATUR ætas. Ad novissima ut deveniamus, decretorius exposcit dies, & qui fatis aliquandiu præluserat, exitialis morbus. Fatendum

equidem, pertenui usum valetudine, & infirmo admodum fuisse corpore annis junioribus BUCHNERUM nostrum. Neque ipsi tantæ longævitatis argumenta tum temporis superesse visa fuere. Veruntamen, qui aquilarum ad instar rejuvenescere pios facit Deus, in operibus mirabilis, mature (uti decet) adhibitis medicamentis, efficaci benedixerat effectu: Ut scilicet juventus studiosa Doctorem, ut Academia Seniorem, ut orbis literarius Lumen, ut optimi quique Patronum aliquando ipsum experirentur. Composito ergo ille, atque ad arbitrium ordinato vitæ statu, in seros usque annos, per Numinis benignitatem usus est; nisi quod paullo ante, cum in finem, proximus iret annus, (d. XXIX. Decemb.) tentari quadantenus se animadvertisset: huic tamen ut in tempore occurreret discrimini, aëris mutandi caussa, in prædium suum rusticum, cui ab Apolline nomen cessit, abierat. Rediens insequente die, Hygiam sibi quodammodo iratam sensit. Latebat infelix podagra, ac erumpere nitebatur quidem; sed brevi tamen ipsum restituit quieti, ut jam maturus ad ordinaria vitæ munia iteranda appareret. Non abiit revera, sed, ut impetuosius rediret, abscondidit se aliquantisper atrox malum. Ipsis Calendis Februariis impotentes cum efferbuisset in æstus, Medici, Viri Excellentissimi, DN. D. MICHAELIS SENNERTI Anatom. & Botan. Prof. Publ. sollicitata fuit opera. Vigil & exquisitissima mox adhibebatur cura, nec laboribus comparsum, nec sumptibus detractum est quicquam. Invaluit tamen contumax tortor, acuto atque altius latitante calore, qui mitigari quidem, sed expugnari nullo pharmaco poterat. Accersitus in mutuum & consilium & auxilium, Excellentissimus Vir DN. D. CONRADUS VICTOR SCHNEIDERUS, Profess. Publ. nec non Cels. Principum Anhalt. Archiater, nihil intermisit prorsus, quod morbum depellere posse crederetur. At quis fatis posuerit antidotum? Noluit prorumpere foras periculum, sed intra vitalia detonuit occultius ac fallens. Accessere fine somno traductæ noctes, articulorum tremor, emaciata senectus. Cum igitur tot moriendi caussis exerceretur diu nobilissima anima, & tormentis affligeretur corpus, accitus X. Febr. Plurim. Rev. Dn. Confessionarius, Ecclesiæ nostræ Archidiaconus est, qui uti assiduus in partibus obeundis extitit, sic audita exomologesi, sacris

cris animam BUCHNERI recreavit epulis. Et eo quidem tempore in mitiorem desinere eventum, rem omnem, credidisses, Sed fractum corpus, prostrátæque vires suprema non obscure innuebant. Factum igitur, ut nudius octavus (XII. FebruarI erat) sub primi conticinii tempus, hora circiter 2. mat. intra devotissimas preces ac melodias, adstantibus Venerabili Mysta, reliquisque necessariis, pacatissima solutione in JESU suo finiretur BUCHNERUS: posteaquam annnos fere LXX. fecisset vivens. Atque ita rarissima felicitate Poëseos Professionem, ad Ann. XLV. Eloquentiæ munus ad XXX. Electoralium Alumnorum Ephoriam, ad XXIII. Senioratum Facultatis suæ, ad XXIV. Academiæ vero, ad XII. summa fide gloriâque traduxit. Extra casum nunc, extra cruciatus positus est BUCHNERUS. Spiritus DEO Divinisque junctus mentibus ævum agit, quod, quoniam nec oculus vidit, nec usurpavit auris, incomprehensibile dicendum. Corporis autem exuviæ, cum postea solenni contumulandæ ritu sint, ex ædibus BUCHNERIANIS, in Templum Marianum primo, post, concione habita, in Ædem sacram, Arci contiguam, deducentur. Agite igitur, agite, CIVES ACADEMICI, & frequenti atque cumulatissimo officio, meritis ac fama Illustris Viri, Præceptoris, SENIORIS, prout ex omni debetis parte, exequias venite. P. P. a. d. XIX. Februarii, Anno recuperatæ gratiæ cIↄ Iↄc LXI.

Celeberrimo huic Oratori, BUCHNERO, *concionem* habuit *lugubrem Abrahamus Calovius*, D. Profess. Prim. Consist. Assessor, Pastor & Generalis Superintendens, ex *Psalmo* CXIIX, 17. 18. 19. Sub titulo; *Artificii Oratorii Magisterium.*

EPITAPHIUM.

Quis jacet hîc? Cujus tumulo pullatus Apollo
Musarumque novem docta caterva gemit?
Quemque etiam immitis Parcarum triga sororum
Plorat? Cum parcis flet quoque tempus edax?

HISTO-

HISTORICVS, VATES, SENIORQVE, ORATOR, & idem
BVCHNERVS jacet hac contumulatus humo.
Marmora, Pyramides, gemmas removete sepulcro
AVGVSTI: Crasos ista tropha decent.
Ille sibi vivus monumentum tale paravit,
Quod nulla evertent secula, nulla manus.

CHRISTIAN. KLENGEL, D.

D. O. M. S.
NEC NON MEMORIÆ
AUGUSTI BUCHNERI,
QVEM SUI SECULI PRINCIPEM, SUPERIORUM NULLI SECUNDUM COLUIT PRÆSENS FUTURUM, SI QVOD ERIT, ADMIRABITUR ÆVUM.
HUMANIORUM LITER. SUMMUS VINDEX AC STATOR, PROFESSIONI POES. XLV. ORATORIÆ XXX. EPHORIÆ ELECTORAL. ALUMNOR. SUPRA ANN. XXIII. PRÆFUIT: SENIOR COLLEGIO SUI ORDINIS XXIV. IN CONSILIO PUBLICO IPSOS XII. SENATOR VETUSTISSIMUS ASSEDIT: FASCES ACAD. TER, DECANATUM OCTIES SINE EXEMPLO GESSIT: EA INDUSTRIA AC FIDE, EA LENITATE ETIAM AC TEMPERANTIA, INTER PACIS PERPETUUM PRÆCIPUUMQVE STUDIUM USUS UBIQVE, UT ILLUSTRE NOMEN IN ORBE, APUD PRINCIPES PATRIÆ SEPTEMVIROS SINGULAREM PROMERERETUR.
NATUS EST DRESDÆ D. II. NOV. ANNO cIↄ Iↄc XCI.
DECESSIT WITTENBERGÆ XII. FEBR. A. cIↄ Iↄc CLXI.
SEPTUAGENARIO PROPIOR.
QVI MERITIS FAMAQVE TUO DE NOMINE TERRAS IMPLESTI, COELUM NUNC TIBI MUNUS HABE.

SUPER-

SUPERSTITES VIDUA ET LIBERI,
TESTANDÆ PIETATI IN MARITUM ET PATREM BENEMERITISSIMUM
P. C.

SCRIPTA.

Liberata Saxonia, auſpiciis ductuque Guſtavi Adolphi, & Saxoniæ Electoris, *Lugd. Batav.* 1634. in fol.

Oratio de Principatu Galbæ. *VVitteb.* 1635. in 4.

M. Acci Plauti Comediæ XX. ſuperſtites, ex recenſione Aug. Buchneri. *ibid.* 1640. 1652. in 8. & 12.

Oratio de quarta Virgilii Ecloga, utrumne id carmen de Chriſto Servatore Poëta condiderit, quod viſum Euſebio fuit? *ibid.* 1641. in 4.

Panegyricus Memoriæ Viri Cl. Danielis Sennerti. *ibid.* 1642. in 4.

Commentariolus in Aurelii Prudentii Clementis hymnum de Chriſti Natali. *ibid.* 1643. in 8.

Epiſtolæ Plinii cum Notis. *Francof.* 1644. in 12.

In Theophania, ſive Natalia Domini Edyllia duo. *VVitteb.* in 4.

Oeconomiæ atq; conſpectus nonnullarum Orationum Petri Cunæi, cum Annotationibus in quosdam locos. *Francof. ad Oder.* 1643. in 8.

Diſſertationes Academicæ, ſive Programmata Publica. *VVitteb.* 1650. in 8.

Oratio Panegyrica Memoriæ Reverendiſſimi Præſulis, Pauli Röberi dicta. *ibid.* 1651. in 4.

Diſſertatio de Exercitatione Styli. *ibid.* 1635. in 4. *Hanov.* 1651. in 12.

Panegyricus funebris Joh. Georgii I. Ducis Saxoniæ. *VVitteb.* in fol.

Panegyricus Illuſtri Viro, Friderico Metſchio, S. R. Imp. Theſaurario dictus. *ibid.* 1656. in fol.

Baſilii Fabri Theſaurus Eruditionis Scholaſticæ, cum Annotationibus Aug. Buchneri. *ibid.* 1655. in fol.

Orationes Panegyricæ & funebres. *ibid.* 1669. in 4. *Clivis* 1672. in 8.

De commutata ratione dicendi. *ibid.* 1664. in 12.

Cornelius

Cornelius Nepos de Vit. Excellentium Virorum, cum Comment. *Hamb*, 1674. in 8.

Epistola ad D. Gotfr. Olearium, de prælegendis Latinæ linguæ Autoribus, edita per Jo. Gabr. Drefchlerum. *Hala-Sax.* 1678. in 8.

Nachtmahl des HErrn / nebst etzlichen andern Christlichen Gedichten. *VVittenb.* 1628. in 4.

Trost-Schrifft. *ibid.* 1644. in 8. Weinacht-Gedancken. *ibid.* in 4.

Anleitung zur Deutschen Poeterey. *ibid.* 1665. in 12.



MEMO-

MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, POETARUM, HISTORICORUM, ET PHILOLOGORUM

NOSTRI SECULI

CLARISSIMORUM

RENOVATÆ,

DECAS OCTAVA,

CURANTE

M. HENNINGO WITTEN.



FRANCOFURTI,

Apud MARTINUM HALLERVORD,

Typis JOHANNIS ANDREÆ.

Anno CIↃ IↃC LXXIX.

IANUS DAUSA IN EPIST. AD PAULUM SCO-VARTIUM BUSANVALIUM, REGIS GALLIÆ LEGATUM:

SECULI INPRIMIS PUDOREM PERICLITARI EXISTIMO, SI ILLI, QVI MULTIS VIGILIIS NON TAM SIBI QVAM PATRIÆ PROSPEXERUNT, EOQVE DE REP. POTISSIMUM BENE MERITI ESSENT, EORUM INCURIA VEL IGNAVIA QVASI INTERCIDANT, QVIBUS IPSI IN VIVIS SINGULARIS INDUSTRIÆ EXEMPLA FUERUNT.

NOBIL. AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN.

GEORGIO CASPARO KIRCHMAIERO,

PHILOSOPHO PERSPICACI,
ORATORI FACUNDO,
HISTORICO SOLERTI,

IN FLORENTISSIMO AD ALBIM ATHENÆO
ELOQVENTIÆ PROFESSORI PUBLICO,
AC UNDIQVAQVE INCLUTO,

DOMINO ET FAVITORI SUO VETERI,
NOVO SUBINDE CULTU PERPETIM
COLENDO;

QVOD NON ME SOLUM,

ANTE DUO ABHINC ET AMPLIUS LUSTRA,
LEUCOREÆ HOSPITEM ACADEMICUM
BENIGNE ADMODUM EXCEPERIT,

VARIOQVE PRÆTER MERITUM OMNEMQ;
EXSPECTATIONEM
HONORE MACTAVERIT;
SED PRÆCIPUE

ΠΡΟΘΥΜΙΑΝ IPSO DEINCEPS OPERE, AC SUAVI LITERARUM COMMERCIO DECLARAVERIT;

IN LUCULENTAM GRATÆ MEMORIÆ SIGNUM,

MEMORIAS HASCE,

A DEBITA IN ANTECESSOREM SOCERUMQVE VESTRUM, ALIOSQVE,

QVI DE PUBLICA RE PRÆCLARE MERUERUNT,

PIETATE EXCITATAS,

OFFICIOSA MANU AC MENTE SISTO, CONSECRO

M. H. WITTE,

EA INSUPER, QVA POSSUM, COMITATE ROGANS,

UT PRISTINUM IN MUSAS NOSTRAS AMOREM,

ET QVICQVID LOCORUM HACTENUS DISTANTIA TEMPORUMQVE INJURIA NEGLECTUM,

INDISSOLUBILI BENEVOLENTIÆ NEXU RENOVARE AC PERPETUARE DIGNETUR.

SERIES

SERIES PHILOSOPHORUM, ORATORUM, &c.

OCTAVÆ DECADIS.

Obiit anno

1660. Martinus Zeilerus, Hiſtoriog. Ulmenſ.
1661. Antonius Æmilius, Hiſt. & Polit. Prof. Ultraject.
1662. Valent. Thilo, Oratoriæ Prof. Regiom.
1664. Caſparus Ebelius, Log. & Met. Prof. Gieſſenſ.
1664. Reinoldus Franckenbergerus, Hiſtor. Prof. Witteberg.
1565. Michaël Matſonius, Hiſt. Prof. Kilon.
1666. Chriſtophorus Notnagel, Math. Prof. Wi[illegible]b.
1667. Thomas Reineſius, Med. & Polyhiſtor. Lipſ.
1667. Jo. Conradus Dieterichius, Græcæ Linguæ & Hiſt. Prof. Gieſſenſ.
1667. Chriſtoph. Forſtnerus, Cancellarius Mombelgardenſis.

(o)

PROGRAMMA,

Quo
ad Exequias
Viri Nobilissimi & Clarissimi;

DN. MARTINI ZEILERI,

Historiographi famigeratissimi,
Notarii Cæsarei, & Visitatoris Gymnasii Ulmensis optime meriti,
Bonarum artium, Historiæ inprimis, Studiosos
invitat

DIRECTOR ET CONSILIUM
GYMNASII ULMENSIS.

T*Estis temporum*, *lux Veritatis*, *Vita memoriæ*, *magistra vitæ & nuntia Vetustatis*, per urbem nostram, obstipo incedit capite, & sordidata, atrata, suum *Filium*, immortalitati consecrandum, luget, Nobil. & Clariss. Virum, DN. MART. ZEILERUM amicum nostrū perdilectum & honoratum, Visitatorem Gymnasii nostri, quem DEUS T.O. olim cœlo demisit, nudius tertius autem in illud animorum beatorum concilium, quum jam suam ætatem peregisset, & quidem cum plausu maximo, recepit, cujus vitam & obitum breviter nos delineabimus, Europæis autem pictoribus vivis coloribus pingendum relinquemus. Bonus autem hic Vir Anno 1589. die 7. Aprilis prognatus, *Patrem* habuit Reverendum, Doctissimum Virum, *Cognominem*, Pastorem in Pago Ränten, uno lapide ab oppido Muerau distante, superioris Styriæ Ducatus; *Mater* ejus fuit *Apollonia Vngerathin*, quæ bene moratum hunc filium in lucem edidit. Dominus ejus parens ortum suum Archiepiscopatui Salisburg. debuit: Missus autem *Zvvickaviam Misniæ*, studiorum gratia, Babylone relicta, veritatem Evangelii cognovit, & inde *VVittebergam* excurrens, *Philippum Melanchton*, ibi docentem audivit; postea *Lipsiam* concessit. Jactis in Theologia fundamentis, quum in patriam August. Confessionis doctrina esset introducta, suam ei operam locavit, & paræciæ Räntensi

40. annos præfuit. Anno vero 1600 persecutioni notissimæ cedere coactus, *Ratubonam* migravit, & anno 162. *Vlmam*, ubi Pestilentialis Ecclesiastæ munus obiit, jam septuagenario major, ut senex crudus: Post pestem, ex gratia, singulis septimanis, unum florenum à Magistratu accepit, ad annum hujus seculi nonum, sibi emortualem, hac quasi arrha Ulmæ nostræ obstrictus. Filius autem ab anno 1601. Scholam nostram frequentavit, donec An. 1608. *VVittebergam* abiit, quadriennium ibi moratus. An. 1612. *Linzium* regressus, institutor factus est unius L. B. & duorum Ord. Equ. adolescentum: Non autem LL. BB. tantum, sed etiam *Comiti ab Ortenburg* à studiis fuit, & octo menses Præceptorem Publ. *Linzii* egit. Et ut fastigia solum summa repræsentem, cum L. Barone *Argentinam* profectus, biennium ibi egit: Ann. 1620. cum majori natu *à Tattenbach* in *Galliam* abiit; inde autem rediens, postquam novennium studiorum & morum, Nobilium & L. Baronum Magister fuisset, cum gratia & remuneratione numerata dimissus est. Hac ejus institutione explorata L. Baro *Gäller*, Græcensis Vicarius Præses, Nostrum ZEILERUM unico suo filio, *Iohann-Friderico*, Informatorem conduxit, cum quo & Ebyswald. *Linzium* ad Scholam ablegatus est. Exercitio autem Religionis Evangelicæ inde exulare jusso, *Vlmam* anno 1624. cum duobus his discipulis, ex Austria ascendit; & ex hac Schola *Tubingam*, *Argentoratum* & *Altorffium*, præfectus eorundem abiit: Post quinquennium autem *Græcium* rediit, ubi à discipulorum suorum parentibus ad Religionem Pontificiam solicitatus est, sed frustra. Et ut tota vita Nostri Peregrinatio esset, cum *Gällero* & *Carolo à Gloyach*, per *Carniolam*, *Forum Iulii*, & ditionem *Venetam Patavium* ivit, ubi *Nationis Germanicæ Syndicus* factus. Lustratis *Longobardorum* quibusdam Urbibus, Germaniam repetens, dimissionem honestam à nominatis LL. Baronibus impetravit. An. 1629. jus nostræ Civitatis accepit, & anno sequenti cum Vidua DN. MEHRERI, Mercatoris, nuptias celebravit, quum jam annum ætatis 41. ageret. In peregrinatione sua multa quoque passus est, sed è multis periculis à Deo liberatus, quod grato animo ad finem vitæ usque agnovit. Unum præ cæteris est memorabile, hunc Virum Lectionis quamplurimæ, altero tantum oculo suos labores omnes peregisse, oculo dextro à teneris, nescio quomodo, vitiato. Qualis fuerit librorum he-

luo, ejus *Topographia* & alia opera loquuntur, quorum non pauca nondum sunt edita. Vos Studiosi adolescentes Virtutem ex illo verumque laborem, imo & fortunam discite. Vix melior eo natus est, vix pietate præstantior; magnum continentiæ & sobrietatis, affabilitatis & veracitatis ac Justitiæ Exemplum fuit, & Urbis nostræ Ornamentum singulare, imo caput DEO charissimum, unde hoc anno, *suo natali*, 7. April. de Euthanasia sua divinavit, ex hac colluvione, discessum à DEO petiit, quem ei Pater benignissimus 6. Octobris; concessit, ut marasmo senili consumptus, ad JESUM suum, fratrem certissimum, jam evolarit, famæ decus post se relinquens immortale. Ejus memoria sit in benedictione. Ite exequias huic *Bono Viro*, sine titulis *Magno, Pio, Beato:* Nos autem ea lege, qua DEUS & Natura voluerit, sequemur. V. Scrib. & PP. 9. Octobr. An. 1661. ULMÆ.

Laudatissimi hujus Viri pietatem testantur Versiculi, quos ipse composuit, suæque vitæ curriculo inseruit, & ita sonant:

DA PIE CHRISTE,

Conficiam spatium peregrinæ flebile vitæ,
Dum veram vocor in patriam, quæ sanguine parta est,
CHRISTE, tuo: Tu me, post funera, magne Sacerdos,
Suscipe, & extremæ subduc discrimine luctæ:
Mors tua Vita mea est: Tu debita lytra parenti
Solvisti moriens, ut per Te vivere possim.
Hac ergo fretus spe non dubitante recondar
In mortem, DUX CHRISTE, tuam, quæ janua vitæ est,
Ut tecum moriens, tecum, ô mea vita, resurgam.

In Defuncti honorem, *funebrem* quoque *concionem* habuit *M. Marcus VVollaibius*, Ministerii Ulmensis Senior & Scholarcha, ex *Genes.* 32. 10.

EPITAPHIUM
MARTINI ZEILERI.

Hic jacet ille senex MARTINUS notus in Orbe
ZEILERUS, scriptor maximus Historiæ.
Qui varias doctus linguas, qui plurima regna
Lustrans, per terras & mare fecit iter.

Man-

Mansuetus, comis, facili gravitate severus,
Ingenio placidus, judicioque probus.
Viilibus clarus Scriptis, Candoris amator
Vir pius, & vera relligionis amans.
Si dicam plura, haud quaquam dicam omnia: tu dic:
HIC MAGNVS ZEILER NOTVS IN ORBE IACET.

M. JOH. JACOBUS Manner / Ecclesiastes in Summo Ulm. Templo.

ALIUD.

Quem dolet & lacrymis GERMANIA luget obortis,
Hoc jacet in tumulo FILIVS HISTORIÆ.

M. CHRIST. ZIEGLERUS.

SCRIPTA.

Historicorum, Chronologorum, & Geographorum, secundum ordinem literarum collectorum, Partes tres, *Vlmæ* 1652. 1657. in 8.

Fidus Achates, sive Itinerarium per Germaniam & regna vicina. Cui accessit consilium de peregrinationibus prudenter utiliterque instituendis. *ibid.* 1653. in 12.

Germaniee. *ibid.* 1651. in 12.

Theatrum Tragicum, oder des Francisci von Rosset, aus den Frantzösischen in die Teutsche Sprache versetzte traurige Geschichten. Lintz/ Tübingen / Rostock/ Ulm/ Stuttgart/ Nürnberg/ Cöln/ Dantzig diversis annis in 8. & 24.

Itinerarium Germaniæ, oder die Reißbeschreibung durch Teutschland. Straßburg 1632. in 4. 1640. 1674. in fol.

Latinè. *Vlmæ* 1652. in 12. cum figuris æneis *Amsterod.* 1658. in 12.

Itinerarium Galliæ, oder Frantzösisch Reißbuch. Franckfurt 1634. in 8. 1640. in fol.

Itinerarium Magnæ Britanniæ, oder / das Engelländische / Schott- und Irrländische Reißbüchlein. Straßburg 1634. 1674. in 8.

Itinerarium Hispaniæ, oder Spanisches Reißbüchlein. Ulm und Nürnberg 1637. in 8.

Itinerarium Italiæ, oder Reißbuch durch Welschland. Franckfurt 1640. in fol.

Ein hundert Epistela oder Sendschreiben. Ulm 1640. Anderes hundert. *ib.* 1641. Drittes hundert. *ibid.* 1643. Viertes hundert. *ib.* 1644. Fünfftes hundert. *ib.* 1646. Sechstes und letztes hundert. *ibid.* 1651. in 8. zusammen gedrucket. *ibid.* 1648. in 8. Marpurg 1656. in 4.

Topographia Helvetiæ, oder die Beschreibung des Schweitzerlandes. *ibid.* 1642. cum Appendice 1654. in fol.

Topographia Sueviæ, oder die Beschreibung der vornehmsten Orten in Schwabenland. *ibid.* 1643. in fol. Ejusdem Appendix. Franckf. 1654. in fol.

Topographia Alsatiæ, oder die Beschreibung deren vornehmsten Orten im Elsaß / Sontgau und Breyßgau. *ibid.* 1643. & Append. 1654. in fol.

Topographia Bavariæ, oder die Beschreibung des Bäyerlandes. *ibid.* 1644. & Appendix 1656. in fol.

Topographia Palatinatus Rheni & vicinarum Regionum, oder Beschreibung der Unter Pfaltz. *ibid.* 1645. & Append. 1654. in fol.

Topographia Archiepiscopatus Moguntinensis, Trevirensis & Coloniensis, oder Beschreibung deren Churfürstlichen Ertz-Bisthum Maintz / Trier und Cöln. *ibid.* 1646. & Appendix 1654. in fol.

Topographia Hassiæ & vicinarum regionum, oder Beschreibung des Hessen-Landes / und deren benachbarten Ländern. *ibid.* 1656. & Append. 1656. in fol.

Topographia Circuli Westphalici, oder die Beschreibung deren vornehmsten Orten in Westphalen. *ibid.* 1647. in fol.

Topographia Franconiæ, oder die Oerter-Beschreibung in Franckenland. *ibid.* 1648. & Appendix 1656 in fol.

Topographia Austriæ, oder die Beschreibung deren Ertz-Fürstlichen Oesterreichischen Landen / als Oesterreich / Steyer / Kärnten / Krain und Tyrol. *ibid.* 1649. & Append. 1656. in fol.

Topographia Regni Bohemiæ, oder die Beschreibung Böheim / Schlesien und Mähren. *ibid.* 1649. in fol.

Topographiæ Saxoniæ Superioris, Thuringiæ, Misniæ & Holsatiæ, oder Beschreibung des Obern-Sachsenlands / Thüringen / Meissen und Holstein. *ibid.* 1650. in fol.

Topographia Saxoniæ inferioris, oder Beschreibung deren vor-

vornehmsten Orten in dem Nieder-Sächsischen Creyß. *ibid.* 1652. in fol.

Topographia Electoratus Brandenburg. Pomeraniæ, Borussiæ & Livoniæ, oder Ort-Beschreibung Brandenburg/ Pommern/ Preussen und Liefland. *ibid.* 1652. in fol.

Exilium Melancholiæ, oder Unlust-Vertreiber / aus Ludwig Garons Frantzösischem Büchlein / Le Chasse-Ennuy genant/ ins Teutsche übersetzet. *ibid.* 1643. in 8.

Descriptio Hungariæ, oder die Beschreibung des Königreichs Hungern. *ibid.* 1646. corrigiret und verbessert. *ibid.* 1660. in 8.

Descriptio Regni Poloniæ, oder die Beschreibung des Königreichs Pohlen. *ibid.* 1647. Erneuret 1657. 1663. in 8. Latine. 1659. in 12.

Descriptio Regni Sueciæ, oder Beschreibung des Königreichs Schweden und Gothen. *ibid.* 1647. vermehret 1652, 1658. in 8. Latine. *Amsterod.* 1656. 1671. in 12.

Descriptio Daniæ & Norwegiæ, oder die Beschreibung deren beyden Königreich Dennemarck und Norwegen. *ibid.* 1647. 1658. in 8. Latine. 1655. in 12.

Die Beschreibung des Burgundischen und Niederländischen Kreyß. *ibid.* 1649. in 8. & fol.

Nucleus Historiarum M. Samuelis Meigerii, an unzehlbaren Orten verbessert und zum Theil vermehret. *ibid.* 1649. in 4.

Ein Verzeichnüß der Churfürsten und Ständen des H. Römischen Reichs Teutscher Nation/ nach den zehen Reichs-Kreysen/ sambt ihren Monatlichen einfachen Anschlag zum Römer-Zug. *ibid.* 1651. 1665. in 4.

Chronicon parvum Sueviæ, oder das Schwäbische Zeit-Büchlein. *ibid.* 1653. in 4.

Hundert Dialogi oder Gespräch von allerhand Materien. *ibid.* 1653. in 8.

Manuale, oder ein Handbuch von allerley Erinnerungen/ auch denckwürdigen und mehrentheils neuen Exempeln/ nach dem Alphabet in locos communes eingetheilt. *ibid.* 1655. in 8.

Topographia Galliæ, oder Beschreibung der vornehmsten Orten in dem Königreich Franckreich. in XIII. Theil. *ibid.* 1655. in fol.

Historischer Anzeiger vieler Heiligen Leute / Martyrer / Kirchenlehrer / und anderer hocherleuchteten / vornehmen und berühmten Personen beyder Geschlechts / so um die Zeit Christi / und nach derselben biß auffs Jahr 1400. gelebet / 2c. *ibid.* 1657. in 8.

Collectanea in 2. Theil. Augsp. 1658. in 8.

Vier Centuriæ Variarum Quæstionum. Ulm 1658. 1660. in 8.

Exempel-Büchlein in 3. Theil. *ibid.* 1660. in 8.

Miscellanearum Epistolarum Centuria. *ibid.* 1663. in 8.

Compendium Itinerarii Germaniæ Nov-Antiquæ, oder ein enger Begriff des im 1632. Jahr in 4. in 2. Theil ausgangen Reißbuchs durch Teutschland. *ibid.* 1662. in 8.

DANIELIS PERCKRINGERI PARENTATIO PROSAICA,

SVPER

Luctuosissimo Obitu

Vndique Celeberrimi, & undecunque Doctissimi Viri,

ANTONII ÆMILII,

Historiarum & Politicæ Exemplaris in Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii, Polyrhetoris & Polyhistoris incomparabilis.

DE Antalcida Lacedæmonio, consarcinatore & compaginatore famosissimæ pacis, initæ inter regem regum Artaxerxem Mnemonem, & Mavortiam Græcorum gentem, quæ ab Autoris sui nomine Pax Antalcidæ vocari meruit, de hoc Antalcida Lacedæmonio, more suo Laconissante, referunt palliatæ historiæ conditores, eum, cum anonymus Sophista forte recitaturus esset catalogum logiorum atque elogiorum Herculis Thebani, Jovis satu editi, si credere dignum est, aut Amphytruonis verius & Alcumenæ seminio proseminati, ex abrupto intercessisse, interfatumque, cucurbitarium illum encomiasten, vel, si mavis, viti-præconem,

nem, interpellasse in hæc verba: Quis Herculem vituperat, ut opus sit eum laudare? Næ apposite, meo judicio! Supervacanei quippe laboris esse videtur, commendare conspicuos, perindeque absonum, atque si quis in sole positis facem & funalia præferre, accensuque luminum claritudinem diei adjuvare gestiat. Liceat mihi, pace tamen quod fiat vestra, auditores, hodie ex hoc loco Ἀντικλειδίζειν, & compendifactis compendifaciendis, idem gemino modo pronunciare de nostro Μακαρίτῃ, vere Hercule θαυματούργῳ καὶ ἀποτροπαίῳ τῶν κακῶν, domitore atq; averruncatore monstrorum; non corporis, sed animi, non temporum & locorum, sed morum ac humorum: Quis ÆMILIUM nostrum, magnum, majorem, maximum ÆMILIUM nostrum, nunquam sine præfatiuncula laudis nominandum, vituperat, ut post fata ac funera eum postliminio opus sit laudarier? Cui enim non intime & extime notus hic Hylas? Cui non studiorum suorum claritudine innotuit alter hic Scipio Nasica, corculum qui Reipublicæ togatæ quondam à Populo, optimus vero vir à Senatu judicatus, dignusque Patribus visus, qui Magnam Matrem Tellurem, tunc primum in urbem gentium dominam ex Phrygia advectam, in eam introduceret; ejusdemque imitatione noster nostratem hanc Novellam Academiam, Patrum Conscriptorum animo ac voluntate, in Inclytam hanc Urbem Ultrajectinam, præmisso anteambulo sermone panegyrico, in Templi Dominici augusto auditorio, cujus sermonis, si bene admemini, hoc tunc fuit caput. Quia tamen fere moribus fit, verum improbis & improbandis, ut laudem alii mereantur, alii vero habeant, nemoque sapienter laudari possit, (verba sunt Salviani, Christianissimi scriptoris, & novi sui temporis Jeremiæ,) nisi in exitu vitæ, non in pueritia, non in juventute, non in statu rerum incolumium, non in successibus & prosperitatibus secundorum, quia in his omnibus, quicquid laudatur, incertum est, ideoque quam diu quis subjacet mutationi, nequit cum securitate laudari, saltem juxta Solonem & Solonistas, quorum hic Solonismum sequitur, horsum, ne per incuriam, aut memoriæ lapsum, adeoque per immemoriam, præteritus compertæ pietatis, honestatis, eruditionis heros videatur, nostrisque inornatus relictus chartis, ex quo ex hoc hypogæo, dicam, an apogæo, ex inferioribus, inquam, provinciis in superiores profectus est, cominus Agonia sive Agonalia ejus, hoc est, Heroicam Vitam

tam & Mortem, brevibus, quasi in bene lineata tabella, delineabimus, penicillo quidem nostro, at coloribus alienis, suppeditatis è domo mortuaria defuncti. Cui rei dum operamur, togam quæso cum Catone Censorino paulisper componite, & eum ea insimul animum togatum. Unde autem potissimum textum hujus prætextæ, texentis historiam τῦ Μακαρίτυ, Exprofessoris ÆMILII, quo Academia, à primis suis incunabulis, vix habuit Professorem parem, saltem non superiorem in Facultate, detexam, unde? Annon commodissime à Patria, sive natalitio solo, quod cuique Polus dedit, non Arcticus, non Antarcticus, sed Olympicus, id est, Deus, utriusque poli politor, qui, quemadmodum avibus aërem, piscibus aquam, animantibus feris sylvas & montes, in Oeconomia mundi assignavit, ita hominibus terram, Africam aliis, Asiam aliis, Europam aliis, pro natalibus dedit, illi Ægyptum Africæ, isti Syriam Asiæ, huic Græciam Europæ, in ipsa Ægypto, illi Alexandriam, in Syria isti Damascum, in Græcia huic Athenas. Unde triplex resultat Jus Orbinitatis & Urbinitatis, Universale, quo de quis Africanus Asiaticus aut Européus audit, Particulare, quo de Homo Ægyptius Syrus aut Græcus, & Singulare, quo de Civis Alexandrinus, Damascenus aut Atheniensis. Noster heros, servato triplici hoc juris intergerini discrimine, notione fuit Européus, quæ pars mundi cæteris præfertur, & quoad togæ, & quoad sagi studia, natione Germanus, vere Germanus, non magis nomine, quam re & professione, facie, quam persona, nativitate Aquisgranus, sive de Urbe Aquisgrano, sic denominata, inde à saluberrimis calidarum aquarum natabulis & medicabulis, hinc vel à Grano, Neronis fratre, minimùm agnato proximiori, vel à Serenio Grano, Præside Romano, qui hanc primulum condidisse fertur, rerum per Imperium potiente Adriano. Hæc urbs adnovitium vitæ candidatum prima sinu suo excepit, fasciisque rubentem, atque adhuc à matris utero fumantem, involvit, hanc voce sua primulum consalutavit, pedibusque suis pressit, hoc clariorem, quod Caroli Magni palatio eo superstite, & Mausolæo, eo è vivorum contubernio sublato, inclaruit, lapsuque temporis Romano-Germanicorum Imperatorum coronatione, quæ fiebat per coronam ferream, pendentem in summis lacunaribus templi primarii, quo coronati modo, præter Ludovicum Pium, Lotharium, Henricum Aucupem,

Ru-

Rudolphum Habspurgicum, Adolphum Nassovicum, Albertum Austriacum, Ludovicum Bavarum, Wenceslaum Ignavum, & Sigismundum ejus fratrem, Maximilianum item & Ferdinandum, hujus nominis primos, tres Ottones, quatuor Henrici, tres Friderici, duo Caroli, Quartus & Quintus, observataque fuit hæc consuetudo tantisper, donec desuetudo contrariam consuetudinem cassavit, fecitq; cessare. Hodie non tam urbs est, quam cadaver urbis, & bustum, in cineres nuperrime redacta tumultuario incendio. Verum enimvero, quorsum hæc tam multa de patria? Ut intelligatur, auditores, quod, quemadmodum ea, si cui benignitate boni genii obtigit clara atque illustris, ortum alumni sui nescio quomodo reddit illustriorem; sic si cui malignitate mali genii, aut magni geniorum genii potius, eadem contigit abjecta, obscura aut infamis, eam ejus natales nescio quomodo tenebris suis obscurare, aspersionumque maculis fœdare, nisi quod hoc fallere dicunt, si vel nobilem patriam quis scelere suo ignobilitarit, v.g. Clodius aliquis aut Catilina Romam, omnium urbium matrem & reginam, terrarum columen & caput, orbis terrarum epitomen, mundi templum, domicilium imperii, omnium regum & nationum arcem; vel ignobilem patriam virtute sua, & recte factis, nobilitarit, v.g. Aristoteles Stagiram, Ulysses Ithacam, in asperrimis saxulis velut nidulum affixam. Olim certe magno honori datum esse legimus, si quis Græcus audiret, vel Latinus, Civis Atheniensis, vel Romanus, quæ res Thalem Milesium quondam movit, ut Dis gratias triplici nomine ageret, puta, quod homo, & non bellua, mas & non fœmina, denique Græcus & non Barbarus, natus fuisset; contra vero probro datum esse accepimus, si quis audiret monosyllabus Phryx, Thrax Cres, bisyllabusve Mysus vel Lydus. Nec abs re utrumque utrinque. Multum quippe refert, de mente Satyrici, sitne quis

Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis?

Corinthiusne quis, an Atheniensis, quoniam Athenis melior multo luna lucere, quem Corinthi, veteri dicterio. Sed scilicet magis interim spectandum, ut quis moratus, & qui educatus sit, quam ubi natus, præstatque in comparatione, alicui dedecori esse patriam, quam ipsum patriæ, quod responsum quondam dedit cuidam Atheniensi, sibi natale solum petulantius exprobranti, Anacharsis Scytharum Socrates. Sed transeo recta à Patria ad Parentes herois nostri literarii, quà

quà Remotos, quà Propinquos, quà Proximos. Remotiorum parentum nomine mihi veniunt Majores de Familia Melia, ex qua κατὰ πρόσθεσιν, sive per appositionem capitis, noster, ut erat ὀνοματοποιὸς, felix faber in cudendis vocabulis, fabrefecit Æmiliam, quid habentem de idiotismo Romano. Propinquorum parentum titulo agnosco ascendentes, à secundo gradu usque ad sextum inclusive, quos omnes constat Deo & virtuti usque litasse, quasi patrissando & matrissando, πατραγαθίαν majorum excipiente ἀνδραγαθίᾳ minorum, faculam virtutis alteris tradentibus, accipientibus alteris, de manu in manum, quasi per λαμπαδοφορίαν gentilitiam. Proximorum parentum locum sibi vendicant uterque parens, & à quo genitus est noster, qui pater alio nomine, & ex qua genitus est idem, quæ mater alio nomine, ille dispositione naturæ generantis gignens in alio, non in seipso, hæc gignens ab alio in seipsa, at non à seipsa. Quis ille, & quæ illa? Pater τοῦ Μακαρίτου fuit Jan Meles, qui consulem egit plus vice simplici Hassellis Leodiensium, unusque ex Octoviris fuit, quibus hodieque debent leges suas patrias Hassellenses, ut olim Romani Decemviris leges duodecim tabularum, quas Patres rogarunt, Populus jussit. Mater fuit Elisabetha van Hobraecken, Filia Antonii van Hobraecken, & genio nobilis, & genere, in cujus rei Probam suppetunt documenta domestica non una. Hi exoriente procella persecutionis, tantum non ejecti sedibus patriis, quo conscientiæ suæ facerent satis, hac occasione religionis ergo lares suos transferre Aquisgranum, atque ibi fortunarum suarum domicilium constituere cœperunt, transgressi ex vicino agro Leodiensi in contiguum Juliacensem, altero parente uterum ferente, ex quo prodiit hic pullus insigniter cristatus Antonius Æmilius, tunc Melius, anno salutiferi partus, post millesimum quingentesimum octuagesimo nono, vicesimo Decembri, die Mercurii, circa sextam vespertinam. Sed juvat audire super hoc argumento Æmilium redivivum, hodœporicam vitæ suæ, quæ nil aliud quam hodœporia, deponentem de se in hæc verba, quæ arrectis auribus accipite, fultis ab Hercule vestro, partim apud superos, partim apud inferos, constituto. Antonius Æmilius natus est Aquisgrani, anno clɔ Iɔ LXXXIX. parentibus gente & domo Brabantis, Jano Æmilio, & Elisabetha ab Hobraeken: Pater prima juventa Antverpiæ, dein

Romæ,

Romæ, mercaturæ operam dedit, & domum denique reversus, eandem continenter exercuit, missis in exteras regiones mercimoniis, inprimis in Britanniam, quo subinde commeare consuerat. Cum autem à tenera ætate Pontificiæ superstitioni innutritus, Romæ, quod ipse nonnunquam inter familiares narrare solebat, Italos, in ipso sacro Missæ, de suis impuris amoribus confabulantes audisset, Romanam religionem primo suspectare, & magis magisque in dies cœpit fastidire, ac Reformatam denique tacite amplecti, adeo ut in Eburonibus iterum consul designatus, veræ pietatis causa solum vertere, & inter alienos sospitari, quam apud suos maximis extolli honoribus, maluerit. Aquisgranum itaque, una cum parturiente uxore, & tribus liberis, profugus, & mox in Ecclesiæ Presbyterium adscitus, filium suscepit Antonium Æmilium, qui inibi à prima pueritia Latinis literis imbutus est à Johanne Kunio, viro litteratissimo, & gymnasii apud Aquenses præfecto: cum vero mandato Cæsaris templa Reformatorum & Scholæ claudi juberentur, sub eodem præceptore, in Juliacensem agrum profugo, sua studia constanter persecutus est, quoad una cum parentibus migraret Dortrechtum in Batavos, ubi Rectori Adriano Marcello, & mox clarissimo viro, Gerardo Vossio, in disciplinam traditus est, à quo gnaviter eruditus, & Academicis lectionibus jam maturus, Lugdunum, ad capiendum uberiorem ingenii cultum, missus est, ubi Rudolphi Snellii, celeberrimi id temporis Mathematici, & Dominici Baudii, Professoris Historiarum, frequens auditor fuit, & Josephi Scaligeri cultor & admirator maximus. Dein visendis exteris Academiis quadriennium impendit, ac primo Heidelbergam concessit, in contubernium celeberrimi viri Davidis Parei, & præ cæteris ejus loci viris clarissimis, inprimis Dionysio Gothofredo, J. C. Hippolyto à Collibus, Marquardo Frehero, & Jano Grutero, familiariter usus, ad Palatinam Bibliothecam frequentet admissus est, præcipue Græcorum codicum studio, quo tum potissimum tenebatur; hinc Argentinensem Academiam, & mox Gallicas prope omnes adiit, ubi in illustris viri, Philippi Mornæi, Plessiaci Domini, amicitiam recepto, quæ ejus erga exteros singularis erat benignitas, quorũvis librorũ fuit copia. Utq; à populariũ turba, qui ad Ligerim frequentes coire solent, longius secederet, in Aquitaniã deniq; profectus, æstivos

men-

menses in Monte Albano, & agro Tholosano, exegit: Novissime, Galliarum extima circulatus, aliquandiu in Allobrogum & Rauracorum Academia, subsedit, Coloniensi quoque & Lovaniensi perlustrata. Domum redux, cum jam explesset annum XXV; protinus suo præceptori Gerardo Vossio successit in Dordraceno, & paucis annis post, hac in urbe Hieronymiano præfectus est; Lugdunum denique ab Academiæ Curatoribus vocatus est, per Clarissimum virum Constantinum L'Empereur, sed Ultrajectinam conditionem prætulit, ubi ad Historiarum professionem delectus, per annos plus quam XXVI: ennarravit Annales Taciti, & quandoque aliquem ex libris Suetonii? Hactenus redivivus Æmilius, in cujus scripto authentico testimonio, quod loco mille testium merito esse debet omnibus, (absit enim, ut fidem defuncto negemus, quam adhibuimus adhuc vita fungenti;) quoniam quædam abbreviata, quædam plane prætermissa, videntur, ideo in supplementum & complementum, qua indictorum, qua dictorum dicendorumve, huic togæ consuendæ assuenda est hæc fimbria. Scilicet Rector Hieronymiano jure optimo maximo datus noster, ab amplissimo Senatu Ultrajectino, anno seculi sexti-decimi undevicesimo, postquam post domuitionem ex Gallia, per quadriennium modo non integrum, Sch læ Dordracenæ summa cum laude præfuisset, successor Vossio, ad Professionem Lugduno-Batavam evocato, designatus in Præfectura Scholastica. Rebus domi Scholæque constitutis, de socia tori serio cogitare cœpit, connubioque felici sibi associavit, anno seculi currentis vicesimo tertio, Agnetam van Langen Vollenhovianam, virginem nobilem, filiam Johannis van Langen, Ecclesiæ Ultrajectinæ Ministri, eademque Deputati ad Synodum Dordracenam, quæ id temporis forte celebrabatur, neptem vero Rudolphi van Langen, Ducis Legionarii in militia Belgica, & Excubiarum Suppræfecti. Ex hac stante matrimonio sustulit unicum filium Johannem, patri supparentantem in præsenti choragio, ut paternarum opum heredem ex asse, ita & virtutum patriarum, præterque prænominatum filium binas filias, Elisabetham & Gertrudem, ambas prædefunctas ante utrumque parentem defunctum. Hæc domi acta, & apud privatos penates. Publice se omnia bene habuerunt, nisi quod aliquot annis post Schola quasi eclipsin passa est, abdicante se Rectoratu ejus nostro, sed non

toto

toto vertente quadriennio ad vetus præsæpe suum revocato, addito auctario Professionis Historicæ in Illustri Schola. Factum id anno tricesimo quarto, decimotertio mensis Decembris. In confinia aut interfinia hujus temporis incidit Vocatio Lugduno Batava ad Professionem Græcam, quæ aperta erat per discessum Vossii ad vicinos Amstelodamenses, quamvis haud dubie secutura fuerat alia priori pinguior, secutura, dico, sed longo intervallo, in locum Heinsii emeriti, nisi Pallas Ultrajectina huic conatui injecisset securim, aucto stipendio Æmiliano, sub decessum Schotani Jurisconsulti ad prensatores Batavos. Hic vero, qua dexteritate, æquanimitate, sedulitate, fidelitate, humanitate, quove adeo cum apparatu ac successu, semel mandatam sibi provinciam Academicam, domi administrarit, per viginti sex amplius annos, parietes, μὰ Δία, & pulpita ac subsellia Academica, siquidem his usura vocis esset, locupletissime, vel abs se, etiam me intestante, testari possent, palmamque studiosis, idem contestantibus, facere ambiguam, quos instar Heliotropii miraculo eruditionis undique ad se traxit, corculum orbis literati, Musa, inquam, decima, & Gratia quarta, Æmilius. Dico, miraculo eruditionis. Sive enim in homine Professore desideres Latinitatis & Græcitatis cultum, næ ille fuit Latinissimus inter Latinos, Græcissimus inter Græcos! Sive Antiquitatis mysterium & scrutinium, næ ille fuit Antiquarius, si quis alius! Sive Historiarum, tam Archaicarum, quam Neotericarum, familiarem cognitionem, næ ille fuit Historicus primæ ceræ, neque tam Polyhistor, quam Pantohistor! Sive Eloquentiæ studium, næ ille fuit in oratione Græcus Cicero Demosthenes, & Latinus Demosthenes Cicero: in carmine vero, Græcus Virgilius Homerus, & Latinus Homerus Virgilius! Sive Donum Ἑρμηνείας, næ ille fuit alter Hermes hac parte! Verbo τὸ πᾶν. Me quod attinet, equidem mihi videor etiamnum illum videre audireque, jam dissertantem è concione Academica in Tacitum, jam in Suetonium, jam alloquentem Augustum Imperatorem, artibus Politicis staturninantem Imperium, jam exercitum Romanum, armis Arminii undique circumventum, jam debacchantem & destomachantem in Sejanum, jam consolantem Germanicum moribundum, jam improperantem Caligulam, jam liberius atque asperius invehentem in iracundum Rectorem populi, ambitionemque civilem, jam commendantem bellum, difre-

commendantem pacem, jam erudientem & instituentem Ordines Fœderati Belgii de maximis momentis rei maritimæ, tanta vocis & manus majestate, qua utraque valuit, singulari naturæ pariter & artis privilegio, ut non tam verba facere Æmilius, quam Hortensius aut Gracchus, cui concionanti eburneola fistula servus Erycinus clam inflare sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut intensum revocaret, videretur. Tanti æstimii vir cum fuerit Æmilius, tamen nec Historica, nec Oratoria, nec Philologica, nec Philosophica, nec Politica Studia, immo omnes novem Musæ, collegialiter congregatæ, quæ in ipsius capite, tanquam in vivo atque inambulante Musæo, cohabitarunt, cum nec à morbis, nec à morte, absolvere potuerunt, quin ægresceret primo, hinc ægrotaret, demum moreretur more majorum, morte sua consignans vetus Senatusconsultum: Terra ès, & in terram postliminio redibis, homo in humum scilicet, ex qua sumtus est, alias immediate, morte intempesta, inopinata, inexpectata, quam expeditissimam & expedientissimam olim pronunciavit Julius, suoque huic pronunciato fidem fecit exemplo; alias mediate, præmissis apparitoribus mortis, quos olim Lethus, devictus ab Hercule ad bustum Alcestidis, & curatus à Phæræo Medico, huic promisisse fertur, cujus promissi compos quoque suo loco factus est noster, à quatuor ex ordine viatoribus, de ultima necessitate, multo ante præmonitus, citatusque ad vadimonium mortis, puta à nephritide, hernia, podagra, & cachexia, qui morbi sicut & cognata symptomata, ceu sunt, psora, scabies, defluxiones, oppilationes, tusses, febres, phthisis, sellulariam ac sedentariam vitam profitentibus, qualis quoque etiam est litteratorum, (Quid enim litterati aliud, quam sessibula mera, Plautina dictione?) oppido quam familiares esse solent. Ac nephritis quidem, (quæ vox accipitur in sua latitudine, in diatribis Medicorum, pro omni affectu, quo *οἱ νεφροὶ* incommodantur & infestantur, verum hic loci presse ac compresse pro calculo renum & vesicæ, orto ex humore seroso, pariente stillicidii difficultatem, tanto tamque acuto cum cruciatus sensu, ut Medicorum filii pro Maxima habeant, si per leges naturæ fieri posset, intestino hoc tormento proditores patriæ excarnificandos esse,) hæc nephritis, perpessitium senem nostrum, cui nunc inferias Academicas persolvimus, primulum invadere atque inquietare cœpit,

ante

ante sexennium, in itinere, quod ingressus erat pater, tempore diludiorum Academicorum, cum suo unico Aquisgranum versus, salutaturus adhuc semel natale solum, eademque consalutaturus natalem urbem, dans hoc officium pietati in patriam, cujus fuit studiosissimus amantissimusque. Hanc anno post, sive ante quinquennium, quasi ex compacto, excepit hernia, causata ex descendentia intestinorum, è loco suo naturali, in scrotum, id nominis sortita ἀπὸ τῶ ἔρνυς, sive à ramo, eo quod, ubi in scrotum præcipitat, figuram rami præ se ferre videatur. Herniam secuta est biennio post, sive ante triennium, arthritis, quæ podagra Latinis, quasi ἄγρα τῶ ποδὸς, pedis captura, divitum quæ paradisus vulgari dicterio audit, vera autem re lautumia est minime lauta. Postremo ante trimestre præter propter, amissa consorte tori, quam tenerrime amabat, (à cujus obitu, dicam, an abitu, nunquam inducias, nedum pacem, domi habuit,) ecce ad tria pessima K K K. nephritidem, arthritidem & herniam, accessit quartum K. persuade cruditas stomachi, conjuncta cum cachexia, sive nequam habitu corporis, atque ita ad triplicem vexam, quasi alluvione quadam malorum, affluxit quarta, animans & commasculans tres priores in caput decumbentis, qui, cum quatuor morbis sonticis conflictaretur & afflictaretur, tandem deficiens viribus, sub quadruplici hoc onere, cui ferundo vix humerosus Atlas, aut lacertosus Hercules, erat par, hostibus suis dedit victas manus, herbamque, quod ajunt, porrexit. Atque ita Heros Æmilius, in primo ardore & paroxysmo lectionum publicarum, cum eum, facto impetu, hinc duo, inde totidem, aggressores hostes, uno agmine invaderent, (ne Hercules quidem adversus duos, nedum quatuor!) neque tantum pausæ darent, ut auditoribus suis diceret ultimum vale, prout apud animum suum constituerat, ecce post sex septimanarum decubitum, convasatis sarcinulis suis, secundum Rector Academiæ, & multoties Senior Ecclesiæ, spiritum naturæ, (naturæ autem? immo Domino naturæ,) resignavit, non sine cordolio & dividia omnium bonorum, maxime vero domesticorũ, & civium Academicorũ, in medio ęstuario tumultuantiũ morborum, & voce, & gestu, & animo, sibi constans, ut non alieno à vitæ desiderio, absq; ferreis his compedibus esset, ita nec averso à mortis approximatione, ut qui multo ante didicisset in schola Christi, è verbo dominico, diẽ hanc emortualem alterius vitæ natalẽ esse,

 mor-

mortemque, quam ante nos passi sunt omnes, & post nos passuri sunt omnes, sine privilegio exceptionis, aut prærogativæ, non tam exitum esse, quam transitum ex Ægypto per mare rubrum in terram Canaan, (juvat ἀλληγορίζειν) quas cogitationes qui affert ad mortis meditationem & commentationem, næ ille non moratur, sed æquo animo moritur, prout mortuusque est noster Æmilius, paulo ante mortalitatis & mortis, nunc immortalitatis candidatus, ex quo in vivis esse desiit, id quod factum circa confinium quintæ antelucanæ, duodecimo Novembris die, anno æræ Evangelicæ, post millesimum sexcentesimo sexagesimo, Professoratus vero anno vicesimo septimo initiali, cum biduo ante ad calidas preces Gisberti Voëtii, & Jodoci Lodensteinii, clarum repósuisset fiduciarium & valedictorium Amen, idemq; reiterasset eodem animo ad Joannis Flamani supplicationem devotam, septihorio ante decessum. Exuviæ defuncti, de consilio Medici, eorumque, quorum intererat, apertæ per chirurgum publicum, & tres calculi in affectis partibus reperti, in dextro rene unus, referens ad vivum colorem & magnitudinem ungulæ gingiberis, in sinistro alius, ad magnitudinem cochleæ marinæ corniculatæ, priori major, in vesicæ vero recessibus hinc tertius, ovi anserini, rotundati magis quam rotundi, magnitudine, duobus alveolis, quasi arte ductis, conspectior. Sed mitto malignos Saturni calculos, animi qui sunt eculei, & corporis carnificina mera, benignumq; sententiæ meæ calculum, pro editis atq; ineditis in re litteraria monumentis à defuncto, pono, quæ minime cum eo contumulanda consepeliendave. Quæ illa? Orationes & Poëmata omnis generis, cedro vivaci, an cœlo, dignissima, sed digniora interim, multa arte elaborata, sæpiusque recocta, scholia in Tacitum, & ad Tacitum, non magis tacenda, quam ipse Tacitus, cur? quia enim quomodolibet genium atque ingenium commentatoris exprimunt, non secus ac filium parentum filii inde dicti. Verum enimvero, quid ego vivum characterem Æmilii mortui apud mortuos quæro hoc est, libros, qui mortui consiliarii; vivi vigentisq; potius iconē intueamur, in dictis & factis, non scriptis. Atque adeo, quid impediat quæso, quo minus dictum Æmilium, propter similitudinem vocis, orationis. incessus, gestus, denique morum & humorum, cum Viro Magnanimo, prout eum in moralibus descriptum it Aristoteles, παραλλήλως coronidis loco

con-

conferamus, hoc amplius, quia non ovum ovo, ficus ficui, similior, quam ille huic, hic illi. Quid ergo Aristoteles, Peripateticorum pater? Ille vero γνησίως magnanimum ita delineare ingreditur, ut huic adscribat, cum alias, quà animi, quà corporis, quà fortunæ, dotes, cum has, *quod sit dominus passionum suarum, & neque secundis rebus erectior, neque adversis dejectior, quod inquerulus & insupplex, inadmirator, immemor injuriarum, invindex, inconviciator, indissimulator, quod nihil minus, quam pronus ad laudandum, vel vituperandum, ut non laudator sui, ita nec adulator aliorum, quod aperte amicus & inimicus, verax, liberi animi atque linguæ, conversabilis, munificus, verecundus, vocis gravis, orationis sedatæ, incessus tardi, denique pulchrarum potius & infructuosarum, quam fructuosarum atque utilium rerum, possessor:* quæ charismata omnia sic in unum Æmilium confluunt, quemadmodum in circumfluum oceanum flumina. Ut ad singula me dedam: *Dominus passionum suarum est Magnanimus*; mortificando eas domi moraliter, ne quo pacto obstent virtuti, sed huic ancillentur, tanquam famulæ & pedissequæ rationis. Παραλλήλως Æmilius! *Nec rebus secundis erectior, nec adversis dejectior, est Magnanimus*, dum, utcunque ceciderint Jovis taxilli, tam εὐτυχήματα, quam δυστυχήματα, recte atque erecte fert; neque secundis rebus sublimatus lætitia, neque adversis profligatus mœrore, & neque perturbationi, neque fortunæ, neque hominibus, succumbens. Παραλλήλως Æmilius! *Inquerulus & Insupplex est Magnanimus*, dum de rebus ad vitam necessariis, si forte hæ ei desunt, non muliebriter conqueritur, aut aliis eo nomine supplicat, propterea quod omne querulum sua natura sit invalidum, hocque communiter factitent illi, qui toti in his rebus sunt, omnem operam ponentes in re familiari conquirenda, quæ res à genio atque ingenio magnanimi alienissima, quem sicut tædet queri, ita pudet, pigetque supplicare. Hinc non plorat, si forte non sit factus prætor Romanorum, non consul, aut si consul, quod non prior: non queritur de ariditate & siccitate, si æstus est, non de inundatione, si ubertim pluit, non de sterilitate, si infœcundior annus est, non de vilitate annonæ, si idem est fœcundior, scit ei, qui per frequentia urbis loca properat, in multos incursandum esse, alicubi labi necesse esse, alicubi respergi. Παραλλήλως Æmilius! *Inadmirator est Magnanimus*, quia nihil ei magnū

præ ſe, ac ſua virtute, quo fit, ut licet admiretur intrinſece virtutem ſui comparis, Ageſilaus virtutem Epaminondæ, Hannibal Scipionis, tamen non facile miretur extrinſece, vel res, puta, raras, novas, inopinatas, fortuitas, peregrinas, vanas, abſtruſas, vulgares, eo quod ſciat plerarunque cauſas; admiratio vero ex ignorantia earum, deficientiaque experientiæ, oriatur, vel homines, v.g. multorum famulorum comitatum, eo quod, quæ eximia pleriſque & præclara videntur, parva ducat, eaque ſtabili firmaque ratione contemnat. Παραμήλως Æmilius! *Immemor Injuriarum eſt Magnanimus*, parvi pendens injurias, ſibi non digno illatas, niſi forte ſint famoſæ, hoc eſt, alte convulnerantes & conſauciantes famam, quæ non magis ludum patitur, quam oculus. Cum enim ſibi domi non ſit male conſcius, ideo ſuam exiſtimationem haud lædi putat illis, quarum propterea nec meminit, gnarus, ſicut imbecilli animi eſt inferre injuriam, ita alti atque excelſi, eſſe, eam perferre cum Socrate, præſertim ab iis, qui non didicerunt bene loqui. Παραμήλως Æmilius! *Invindex eſt Magnanimus*, ut qui non cito moveatur ad vindictam, ſive injuriæ depulſionem, ne, dum geſtit contumelia probari indignus, faciat ſe ea videri dignum, cum domeſticæ imbecillitatis confeſſione, quia imbecillia ſe lædi putant, ſi vel obiter tangantur. Παραμήλως Æmilius! *Inconviciator eſt Magnanimus*, dum convicia, quæ vocant, ſtoliditatis, inſcitiæ, inopiæ, ignobilitatis, negligit, Philippi Macedonis exemplo, qui Nicanorem conviciatorem beneficio ſuum fecit, dicens, in ſua poteſtate eſſe, bene vel male audire; parilique Veſpaſiani, dicentis ad Demetrium Cynicum, ſe canem latrantem non occidere. Παραμήλως Æmilius! *Indiſſimulator eſt Magnanimus*, dum ea, quæ in ſe laudabilia ſunt, haud diſſimulat, niſi forte apud vulgus hominum, non capiens ejus magnitudinẽ, cujus ſicut laudes haud captat, ita huic nec conſilia ſua aperit, monſtrando totam ſuam magnitudinem, Afranii ſimulatorem agens hac parte, non Ulyſſis Homerici. Παραμήλως Æmilius! *Nihil minus, quam pronus ad laudandum vel vituperandum eſt Magnanimus*, quia neq; de ſe, neq; de aliis, libenter loquitur, neq; ut ipſe laudetur, vel alii vituperentur, magnopere curat, ne videatur eſſe ſimilis ventoſis hominibus, ſuperbiæ vento inflatis, qui aliorũ reprehenſiones ſuas laudes, aliorum laudes ſuas reprehenſiones eſſe exiſtimant; nedum ut laudet viciſſim

lau-

laudaturos, ne præsumatur mutuum rudere velle in præconiis, vanamque fœnerari gloriolam. Παραλλήλως Æmilius! *Vt non laudator sui, ita nec adulator aliorum, est Magnanimus: Non laudator sui,* ad exemplum Pyrgopolinicis Plautini, aut Thrasonis Terentiani, similes quos recte dixeris rotis, hoc vitiosioribus, quo majorem edunt strepitum & stridorem, Cymbaloque Dodonæo indesinenter sonanti, eccur? ut qui, cum Pisone, quæ agenda sunt, curet, absque ostentatione agendi, cumque Sallustiano Jugurtha, plurimum facere, & minimum de seipso loqui, soleat, non quasi non & ipse in sui ipsius laudes abeat quandoque, verum tempestive, citraque, ut invidiam, ita offensionem cujusquam: *Non etiam adulator aliorum,* ut qui nesciat alterius vivere ac regi imperio, ne dum aliis assentari, & palpum obtrudere, granditer facetiando, auriumq; castarum reverentiam nuptis incestando verbis, more scurrarum & parasitorum, quos constat quasi clavum figere in oculis Thrasonizantium, omniaq; ad voluptatem loqui, ad veritatem nihil, cujus professionē pro crimine læsæ majestatis habent in suo ludo. Παραλλήλως Æmilius! *Aperte amicus & inimicus est Magnanimus,* dum se palam amicum vel inimicum profitetur, animum in primori fronte gerens, cum Ennio tricorde, ut qui neminem metuat, ideoque nec dissimulet cujusquam causa, quod metuentis, cujus proprium, fronte occultare sententiam, quo magis ingenuum esse perhibent, quem vel aperto odisse odio. Παραλλήλως Æmilius! *Verax est Magnanimus,* ut qui ne pro Dei quidam laude mentiatur, itaque teneat veritatem, ut, quod in ipso est, hoc ipsum quoque sit in verbis, eaque, quæ per se dulcedinem habent, dulcia, quæ amaritudinem, amara appellet, scapham scapham, ligonem ligonem, neque unquam peripheriam ejus egrediatur, etiam tunc, cum taciturnitas prudentiæ & justitiæ leges jubent tacere, neque indifferenter omnem omnibus omnino veritatem enunciare. Παραλλήλως Æmilius! *Liberi animi atque linguæ est Magnanimus,* ut qui nesciat παραυλίζεσθαι, byssina verba loqui, omniaque, quæ libertatem dicendi prohibere possunt, magno animo despiciat, & extra miserias, & in miseriis, præsertim ultimis, quæ hoc habere perhibentur, ut dent animum ad loquendum liberiusculé. Παραλλήλως Æmilius! *Conversabilis natura est Magnanimus,* ut qui omnibus prudenter se accommodare sit doctus,

utens adversus summos, hoc est, eos, qui vel dignitate, vel copiis & genere, excellunt, magnitudine sua & gravitate, non quo jactare etiam inter magnos se velit, sed ut locum virtuti suæ debitum teneat, adversus vero mediocres, & multo magis infimos, moderatione & facilitate, gravitatem comitate temperando, ne videatur valentissimus cū valentulo certare velle. Παραλλήλως Æmilius! *Munificus sive Beneficus est Magnanimus hactenus*, ut libentius det, quam accipiat, beneficia, multoque malit audire, quos ipse beneficiis affecerit, quam à quibus his sit affectus, eo quod illud sit virtute superioris hominis, hoc inferioris, non quasi sit eôpse ingratus, beneficiorumque vel apertus ostentator, vel opertus exprobrator, verum ut datione sua, recordationeque datorum, renovetur ipsi domi sua excellentia. Παραλλήλως Æmilius! *Verecundus, minimum verecundans, est Magnanimus*, qui, ut erubescat accipere, accipit tamen erubescendo, imitatione Ulyssis Homerici. Ut enim verecundia non laudetur in magnanimo sumta passive, (liceat mihi quasi παρενθετικῶς Philosophari in argumento oratorio,) ut est simpliciter, &, ut includit propriorum actuum turpitudinem, tamen non non laudatur in eodem, sumta active, adeoque ratione modi, qui, sicut commendatur, cum medius est, ita vituperatur, cum est extremus, sicut commendatur in verecundo ac verecundante, plus metuente proprii actus turpitudinem, quam deprehensionem in actu suo turpi, ita vituperatur in inverecundante, plus metuente deprehensionem in actu suo turpi, quam ipsum actum turpem, cujus contrarium facit magnanimus, qui verecundatur, sumta verecundia magis pro quadam naturali inclinatione ad timorem confusionis, quam pro passione consequente ad talem inclinationem, ob deprehensionem in actibus turpibus, & reprehensionem de actibus turpibus, quia vere magnanimus est virtute, tam ornatus, quam ornatissimus, tales autem hau decet verecundari, cum non debeant patrare actum turpem, ob quem verecundari sit necesse. Παραλλήλως Æmilius! *Vocis hinc gravis est Magnanimus*, ut qui utatur domi forisque singulari quadam vocis majestate, indice majoris, & caloris, & roboris. Παραλλήλως Æmilius! *Orationis sedata quoque est Magnanimus*, dum declinata studiose, inde vocis acuitate, hinc præcipitantia, tenquam duobus infestis scopulis, sermone utitur constanti & æquabili, non cursorio atq; inter-

interrupto, instar hominum vocalium & clamosorum, quos videas affectare contentionem vocis majorem. Παραλλήλως Æmilius! *Incessus tardi, neque interim testudineus, est Magnanimus*, dum non utitur acceleratione gradus, cum properato ipsi haud sit opus, qui paucula curat, nec nisi magna, vel ipsius etymi argumento, acceleratio vero, vel negotiorum multitudinem, vel certe animi levitatem, significet. Παραλλήλως Æmilius! *Denique pulchrarum potius & infructuosarum, quam fructuosarum atque utilium rerum, possessor est Magnanimus*, dum mavult possidere res honestas & elegantes, licet infructuosas, loquitando secundum opinionem vulgi, infructuosas æstimantis possessiones, quæ nihil faciunt ad farinam & coquinam, nihilque afferunt lucri, ceu sunt, servorum comitatus, signa, tabulæ, statuæ, quam res alias fructuosas atque utiles, ceu sunt, pecunia credita, agri, pecudes, & similia, honestum utili anteponens, in argumentum, quod sit homo sibi sufficiens, seque ipso contentus. Παραλλήλως Æmilius! Usque adeo omnia hic congeminant & conduplicant, Æmilio existente Magnanimo, Magnanimo existente Æmilio? Sed tempus est, ut carbasa feralis sermonis contrahamus, pausamque orandi faciamus, auditores. Extulimus heri solenni pompa Professorem seniorem Academiæ, adhuc intra annos pubertatis constitutæ, eumque, si non primum, saltem modo non principem, primulum in Gymnasio, mox in Academia, postquam illud in hanc abire cœpit, comitante exuvias defuncti, è diversorio domus, frequenti atratorum pedissequio; Eundem, persoluto extremo Musarum debito, in præsentiarum efferimus è musæo Academico in Latium, sedes ubi fata quietas ostendunt. Quid restat ad summam sepulcralium atque exequialium sacrorum, nisi ut stante luctu publico Academiæ, quæ orbata forti antesignano, recta viam affectemus ad Capitolium, Deum veneratu, quod Collegam nostrum Æmilium difficili hoc nexu liberaverit è pistrino morborum, eo manumisso à servitio tot molestissimorum dominorum, sub quorum imperio misere vapulabat, velut alter Prometheus, aut Ixion: Hinc ad Curiam Capitolio proximam, deprecatum Patres Conscriptos, quo lethali vulneri Academiæ, quod accepit decessu Æmilii, præsentem medicinam afferre velint, substituto alio Hercule in locum Herculis decedentis de statione Academica, supremi Academiarchæ jussu, contra

quem non datur exceptionis aut provocationis provisionale remedium: Demum ad Academiam Curiæ proximam, omnium nostrûm matrem, ne animum propterea despondeat, cum apud se reputat, intra non totum semestre, duos Professores de Philosophica Facultate, vitæ vadimonium deseruisse, cum videat Curatores Studiorum Academicorum totos in eo esse, ut lacunam Academiæ, quantum pote, resarciant, quam Academiam, cum Diis suis Tutelaribus, Clientibus, & Pupillis, DEO Optimo Maximo, omnium Academiarum Conditori, Statori & Conservatori, rite do trado.

DIXI.

IN OBITUM
Doctissimi & Clarissimi Viri,
D. ANTONII ÆMILII,
Hist. & Polit. Prof.
Collega optimi.

ÆMILIVS cecidit, Musarum Mysta celebris,
Vltrajectina gloria magna Schola!
Vir gravis atque potens & prosa & carmine docto,
Romuleos referens ore manuque viros.
Volverat hic Gracos Scriptores atque Latinos:
Pra reliquis Tacitum triverat usque suum.
Gesta Latinorum ritusque sciebat ad unguem:
Graiorum promus condus & historia.
In cathedra magna cum majestate docebat,
Tullius eloquio, carmine Virgilius.
Quique juventutis vultus animosque trahebat,
More Demosthenico, Rhetor in arte potens:
Et qui mellifluo non multum cedat Homero,
Dum cuperet Grajo verba ligare stylo.
Lucernas oluit, morsos sapiebat & ungues,
Accurata probe Lectio, Prosa, Metrum.
Sustulit hunc annis maturum calculus acer,
Dignum Nestoreos exuperasse dies.
Ortus Aquisgrani, Trajecti mortuus, alma
Vxoris sequitur funera mœsta cito.
Fata viri tanti, pubes Academica, luge:
Non facile accipies ore styloque parem.

Mortuus

Mortuus interea tibi vivat mente repostus!
Et quantus fuerit charta loquatur anus.
Affectus testandi ergo L.P.
MATTHIAS NETHENUS, SS.Th.D.& Prof.

SCRIPTA.

Oratio de Politicis artibus Principis Augusti. *Ultraject.* 1638. in 4.
Oratio in obitum CL. & Præstantissimi Viri, Henrici Renerii. *ibid.* 1639. in 4.
De Civili ambitione. *ibid.* 1640. in 4.
Allocutio ad Cæsarem Germanicum jam moribundum, *ibid.* 1640. in 4.
Orationes variæ. *ibid.* 1651. in 12.

Acerbissimum & plenissimum luctu Funus,
Quo
Excellentissimus & Amplissimus Vir,

DN. VALENTINUS THILO,

Optimarum Artium & Philosophiæ
Magister, Oratoriæ Professor Publ.
Orator Celeberrimus, & Senatus Academici
Assessor, Collega & Amicus noster honorandus,
desideratissimusque,
Effertur,
Civibus suis indicit,
Honorem testatus meritum,
RECTOR ET SENATUS ACADEMIÆ
REGIOMONTANÆ.

MOrtalitatis, cum par fere & communis quodammodo sors quotquot vivimus, contigerit omnibus, tum illa præcipue memoranda hujus nunc occurrit particula, quod hominis sit, posse labi, clementiæ tamen in hominem divinæ sit, erigere labantem aut lapsum, proinde homini datum sit,

fit, surgere è lapsu posse: Ut superba nimis & lapsui proxima sit mens, quæ humani aliquid abs se sive putat alienum, sive adeo lynceam se existimat, ut si quis in istis, quæ circumdant undique tenebris offendisset uspiam aut incurrisset, susque deque habitis, quæ se offerre possent melioribus aliis omnibus, istud tantummodo exagitandum sat insolens præsumat. Hominem cogita, quem censes rigidus Cato, non Deum, nec Angelum, hominem vero servum Heri sui, quem hic restituerit non invitus, cum possit. Ita enim Regum potentissimorum aliquis efferentem se felicitate, quæ obtigerat animum, hac ad cubiculum sub exortum Solis audita ex aulicis pueri voce deprimebat; *Rex, memineris, te non Deum, sed hominem esse:* alius vero, eum orbis Victoriæ & cupiditates, hominum blanditiæ insuper, nimis se reddidissent efferum, somnum qui oppprimeret subinde, mortis inducere memoriam asserebat, ac, cum in obsidione crus è vulnere gravi obtorpuisset, ut, quod cæperat, omittendum fuerit; *Me Iovis,* inquit idem ille, *filium dicunt, corporis vero ægri vitium aliter sentire jubet.* Tandem, rigidissimos illos, cum ita placeat, vitiorum tantum spectatores compello, eligant utrumlibet; num araneorum more, è saluberrimis etiam flosculis, venena tantum parare cupiant? an apiculas imitari? quæ, quidquid venenati obveniret, prætervolant providæ, solos autem quos salubres flosculi exsudant succos, operi faciendo colligunt & comportant. Annon corpus hominis id vere dicemus salvum, quod & gaudet salubribus, & si quid se ingerat noxii, vel sudore vel quovis ejicit meatu alio? contra, quam debile est & infirmum, quod vel appetit indigna, vel non egerit, vel bilem plurimam vel crassum lienis humorem servat? Ipsi vobis id habete laudis, vos sancti scilicet, qui festucam fratris Zelo vultis perditam, trabem autem, quæ oculum affligit proprium, ne videtis quidem! Aliter edocta est Mater Ecclesia, Magistri ad pœnitentiam vocantis voce, qui idem ovem à grege palabundam quæritans, lætis reportat humeris, qui lucerna adhibita everrit domum, & drachmam quærit perditam; qui filio transfugæ ac substantiæ paternæ decoctori scelesto cum redire ad familiam cogitaret, occurrit misericors & reducit domum: Ut merito augustissimus Imperator Novatiano cuipiam, peccantes post baptisma spem pœnitentiæ ac remissionis non à Sacerdote, sed à Deo forte habere posse, referenti: *Pone ergo*

scalam

ſcalam Aceſie, regerebat, *& ſolus aſcende in cœlum*. Multa hic reſtarent memoranda; requirit enim pietas fugere malum, proſequi bonum, tolerare infirmos, malos, qui corrigi nolunt, odiſſe odio perfecto; experiri nihilominus omnia: tenere bonum prudentiæ eſt, quam à ſerpentibus diſcere jubet ſuos innocuam columbarum indolem imitaturos, Servator O.M. non raro ſane attendendum venit, ut non inſultemus eorum vitiis, quorum virtutes imitari non licet! B. Hieronymi certe vox eſt; *non eſſe vitii, hominem unum laudare in aliis, in aliis accuſare, ſed eandem rem probare & improbare. In Tertulliano*, inquit idem, *laudamus ingenium, ſed damnamus hæreſin. In Origine miramur ſcientiam ſcripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falſitatem. Magiſtrorum enim non vitia imitanda ſunt, ſed virtutes: Grammaticum quidam, Afrum habuit virum eruditiſſimum, & in eo ſe æmulum Præceptoris putabat, ſi ſtridorem linguæ ejus & vitia tantum oris exprimeret*. Ita Hieronymus. Cæterùm imagine quadam viva quaſi hæc omnia FLOS adumbrat; flos delicium oculis, cordi ægro levamen, jucundiſſimorum pater fructuum, dulciſſima mellis officina; florem enim dum carpimus, non circumvolitantes muſcas, non araneum veneni malum artificem, non hiſpidam ſæpe gemmam, non fruticis alicubi ſpinas curamus. Hodie verò FLORES aliquot ſpectabimus, quando, vegetis, dum viveret, viribus & amœniſſimis ſtudiis ac laboribus florido, at floris inſtar marceſcenti lente, *Excellentiſſimo & Ampliſſimo Viro, DN. VALENTINO THILONI, Artium & Philoſophiæ Magiſtro, Oratoriæ Profeſſori, Oratori ac Senatori Academiæ hujus, nec non inclyti Collegii Facultatis Philoſophicæ Seniori, Collegæ & Amico noſtro honorando*, juſſa fiunt & exequiæ. Quod viribus integer flores amaverit præcipue, in his ſtupendam Dei Majeſtatem contemplatus, & quod roboris aliquid reſtitui flore odorifero ſæpe ſenſerit, tandemq; noviſſima cogitans, ubi aliam rerum cæterarum curam ordinaſſet omnem, amicos ſic compellaverit; Per amorem omnem rogo, ne quid pompæ infuſcet meum funus, linteum me tegat mundum at ſimplex, coronam tamen capiti è floribus recentibus ne invidete, eosdemque large circum me ſpargite, (ſi non prohibuerit lues) ita enim refloreſcentis mihi ac meis recordor miſericordiæ cœleſtis, & revireſcentium aliquando oſſium: Fidelis eſt qui dixit, revictura hæc oſſa pollicitus;

Flore-

Florebunt, inquiens, *de civitate, sicut fœnum terræ*; ac iterum: *ossa vestra quasi herba germinabunt*; AcSanctos etiam ex Antiquis sub arbore frondente, aut in agro florifero sepultos, passim legimus, prout Servatori O. M. quiete sua hortum viridem & sepulchrum novum consecrare in spem vitæ lætioris restituendam placuit: & Poëta vero funus curaturus: *Manibus*, inquit: *date lilia plenis, purpureos spargam flores*; alius item defuncto honorem testatur, *tenuem & sine pondere terram, spirantesque crocos & in umbra perpetuum Ver*. *Primulam Veris*, supponamus Corpori Viri Optimi, quod flos hic Ver aperiat; & soli post hyemis sævitiem calore vitam reducenti se primus erigat obviam. Nempe ortum Viri Optimi considerabimus initio, quo lucem hanc aspexit, benedicente Deo, 19. Apr. stylo veteri, sub ipsum quasi Veris ingressum, Anno 1607. Patre, plurimum Reverendo & Clarissimo Viro, DN. M. VALENTINO THILONE, Ecclesiæ Palæopoleos Regiomonti Diacono, erudito, pio & bene merito Viro; Matre, honorata & Virtutibus sui sexus ornatissima Matrona, JUSTINA, Excellentissimi, Amplissimi & Consultissimi DN. M. ANDREÆ IRIDIS, Professione Academica Ethices & Historiarum, nec non Juris peritia clarissimi, adhæc Reverendi Consistorii Diœceseos Sambiensis, Officialis, filia. Primulam Veris vernacula *cœli claves* dicimus, & hos merito adspergimus nostro, quod precibus ac fide suorum, adhæc in sacro Baptismatis fonte redditus Christo cœlum sibi apertum viderit, amantissima hujus voce exceptus, ubi ait; sinite pueros ad me venire; & regenitus ex aqua & spiritu, illa Majestate præsente, qua Pater æternus de Filio coævo in Jordane testatus, & super hoc summus quievit spiritus, in Christo nos sibi filios adoptandos promittens. Primulam veris *Multifloram* aliam, aliam *Proliterram* advertunt naturæ consulti; & hæc debetur nostro, pietate parentum cum lacte materno omnium Virtutum semina tenello infanti instillante. Primula veris autem ita subjecta corpori, ad latera spargimus *Violam Purpuream*, quia vere & ipsa oritur, hyeme nondum plene deserente terras, humilis tamen ipsa adhæret solo, etsi suavissimo tum colore tum odore recreans passim. Adspergimus hanc merito, quippe sub primum ætatis ver, peste anno 1620. utroque parente orbatus, aliquid jam afflictionis sensit, ab aliis educatus, Cl. præsertim DN. FUNCCIO, Scholæ Palæopoleos tum Rectore,

ctore, sedulam adhibente operam; sub ejus ductu, accedente alterius tutoris opera plurimum Reverendi nempe DN. L. GEORGII MYLII, Theologiæ Professoris in Academia secundi, Ecclesiæ Cathedralis Pastoris & Venerandi Consistorii Sambiensis Adsessoris, egregia primæ & humilis adhuc ætatis specimina amœnissimi odoris instar spirantem videre licuit. Quid vero ad latera loculi, cui defunctum imponitur corpus, statuemus floris merito magis, quam *Tulipam varii coloris & lilium album*, Regem fragrantissimorum florum omnium? Alternis flos uterque hic latera defuncti stipet vicibus, quod tulipam præ cæteris dilexerit beatus, quæ colore ad miraculum vario, virtutis omnigenæ, in eaque prudentiæ, nec non eruditionis bonæ ac multijugæ commonet: quemadmodum vero tulipæ, quæ sub tempestatem ac vesperam ingruentem se claudunt, sole illustri panduntur; ita Virtus & eruditio, si post DEI O. M. benedictionem, patrocinium sortiatur bonorum, floret lætius. Hinc adeo Beatus noster Symboli vice tres tulipas flore partim clauso depictas sibi voluit, his adscriptis; *Panduntur Sole benigno!* Aut prout plenius hæc efferre solebat: *Quæ fera claudit hyems, panduntur sole benigno; Quos sors dura premit, spes melioris alit!* Ac tulipæ hoc decus jam prima exhibuit ætas, cum majorum suasu post Scholæ profectus, Anno 1624. ætatis 17. Academicis se studiis addiceret, Theologiæ inprimis, B. Parentis voluntate se mancipans studio, præeunte Magno D. JOH. BEHMIO, & juxta hunc B. quem diximus MYLIO; quibus Ducibus doctrinæ de Christo præsto præcipuæ capita abunde, se cum socio *Andrea Mylio* complexum è variis autoribus referre solebat. Cum vero Eloquentiæ exercitationes omni studiorum generi necessarias, ductu Excellentissimi DN. M. SAMUELIS FUCHSII, Oratoriæ Professoris, juxta Historiarum & Politicæ notitiam junxisset; adeo se probaverat illi, ut decedens hunc præcipue Academico Senatui commendaverit successorem, anno 1632. Quam Professionem ille humiliter deprecatus initio, discessum ad Belgii Academiam Lugdunensem impetravit, ubi Clarissimorum Virorum conversatione studiis suis profutura confirmavit. Unde 1634 reversus, Decano & Promotore plurimum Reverendo & Excell. DN. M. POUCHENIO, Hebr. Linguæ Professore & Concionatore Aulico, Magistri titulo ornatus, mox prævia Disputatione solenni, Professionem aggrediebatur

tur commissam. In ea autem ve eta cumprimis ætate, publicas lectiones & informationes privatas fideliter continuavit, ut dignitatibus & officiis ornati viri bene multi, gratiam ipsi habuerint idcirco sæpe. Institutis item exercitiis aliquot Oratoriis, iisdemque memoriter egregie habitis à se Orationibus quam plurimis multum meritus est laudis, quam typis expressa insuper scripta magis dilatant. Ne ultimi hi in officio anni, quod XXIIX. continuis sustinuit, sine labore erant, quem & scripta & consilia in studiis, & vox publica, ubi per morbum liceret, fuerunt testata. Interea septies Decanatus Collegii Philosophici functus sparta, quinquies Magistrorum promotiones instituit, quos ad optime continuandas studiorum Exercitationes, prout omnium erat amans, incitare consueverat: bis etiam Rectoris Academiæ functus est officio, in consiliis prudentiã, in adversis fortitudinem, in judiciis gravitatem contestatus. Sic tulipæ varium & multũ colorem videmus adumbratum; at & Lilii Albi frangrantiam subinde interspersam comperiemur merito, quoties bonos quam plurimos domi forisque amore prosecutos hunc cognoscimus: ita enim hinc abeuntem qui in Domino quiescunt beati dimiserunt decessores nostri, quibus ex Ecclesiis & Civitatum Senatu præcipui cernuntur juncti. Accedebant hi, quos studia cognata nectebant arctius ab ipso fere studiorum ingressu: Lilio id proprium est, quod pinguius eligat solum, quod calido sub sole efflorescat, nondum tamen Syrii urente æstu, quod umbræ aliquid amet: id post Deum O. M. Amicos plurimos præstitisse sibi gratus memorare solebat noster. Ita enim & Amoris & Amicitiæ non vulgaris intercessisse vinculum huic cum aliquot nobilibus & illustribus in re literaria Viris, eorundem testantur manus, ubi DERSCHOVIOS, HUNNIUM, CRAMERUM, MYSLENTAM, CALOVIUM, alicubi videre licet, quorum aliqui veritatem & pacem diligendam monent, aliqui, quam adeo oderit Dominus cum detestatione animæ omnem, qui seminat inter fratres discordias; Mox ordine suo peregre spirantes Lilii odorem comperies magnas illas eruditionis bonæ columnas, Seniorem VOSSIUM, SALMASIUM, GROTIUM, CUNÆUM, BARLÆUM, BUCHNERUM, KIRCHMANNUM, HORTENSIUM, HEINSIUM, BOXHORNIUM, qui & laudabant eruditionem ac ingenium, & amorem spondebant. Nec defuerunt alii

apud

apud nos, quandoquidem ab utrovis latere inter tulipas lilium volumus interfertum, REIMANNUS, TINCTORIUS; LINEMANNUS; DACHIUS; ADERSBACHIUS, SCHIMELFENGII nobiles literarum amantes, amici & Patroni, SCHARFFIUS; NAUWERGIUS; Musicos addimus & Mathematum cultores alios, quæ impense etiam diligebat, STOBÆUM nostrum & SWELINGIUM, inter alios. Ast; manus porro flore suo venient ornandæ! Ubi dextra *Heliotropium* teneat cordi admotum, sinistra *Rosam purpuream* (qualis ab Autoribus traditur Sinensis illa multifolia) sursum erigat florentem. Heliotropium quidem contra solem se vertens flos; de animo beati admoniet ad Deum suum & sincere & candide & constanter se vertere cupido; ita enim Catholicam Christi fidem, quam Augustana Confessio exprimit, amabat; ut de aliquibus aliquando admonitus dixerit; se ab ea B. Lutheri confessione non discessurum, quam de regenerationis, justificationis, renovationis ac confirmationis principio puerum docuisset Catechesis, Spiritus S. gratiam explicans, & tamen novæ obedientiæ gratitudine se merito urgeri; quam & Decalogus & Baptismatis sacri exigeret debitum. Possemus hic Pietatis, Psalmorum imprimis cum liberis exercitia, hymnos sacros, & scriptos & Musice in DEI honorem sæpe in Ecclesia etiam publice (quod non honorificum adeo videretur aliis) cantatos, à Dei invocatione cœptos labores, in hujus laudes institutas panegyres memorare, quæ Heliotropiũ exprimerent non minus. Rosam vero purpureã, quod altera manus sursum teneat erectam, Serenissimis Principibus Electoribus Brandenburgensibus, Prussiæ Ducibus, Ecclesiæ & Academiæ Nutritiis, Patriæ Patribus, Dominis nostris Clementissimis, DIVO GEORGIO WILHELMO, præsertim & MAGNO FRIDERICO WILHELMO, qui feliciter ac diu, bene & in pace imperet, honorem testatur, ab his quippe clementiam expertus insignem, hi subsidium omne quodcunque fulciendis rebus suis foret necessarium, promiserunt: hinc vegetum semper florem fuit precatus Rosæ Brandenburgicæ, tanta quidem cum amœnitate, ut non modo per Legatos, sed coram, tum in Actibus aliquot Academicis, tum in Palatiis Aulæ suæ, jucunde audire Ipsi voluerint THILONEM suum, rectiora etiam etsi laude eorum, quæ fieri decet, monentem. Dehinc corpus Defuncti reliquum quo flore ornabimus? *Cariophyllum* promendum est, purpureum maxi-

me & cœruleum, & variegatum, flore pleno amœnissimum. Hoc Patronos alios ex Aula Serenissimi, ast & benevolos aliunde multos nobis sistit. Invictissimum Poloniæ & Sueciæ Regem, VLADISLAUM IV. æternæ memoriæ Imperio Serenissimum, antecellere omnes hic videmus, qui datis ad Academiam aliquando literis, benevole acceptatam hujus nomine gratulationem à THILONE nostro est testatus aliquando, Regio etiam addito munere; tum Illustrissimos RADZIWILIOS, JANUSZIUM & BOGISLAUM (quem Dei porro foveat bonitas) memorare liceret, Mæcenates nostri magnos. Memoramus vero præ cæteris Illustre Consiliariorum Regentium Concilium extra hoc SWERINUM Illustrem, Magnificum insuper Cancellarium, SIGISMUNDUM von Gößen/ Consiliis gravibus & piis illustrem præ cæteris Virum, amicitiæ etiam spondentem tesseram, nec minus Generosum & Cancellarium & Burggraviũ, literarum & virtutis nobilitate insignem, TROSCHKIUM, studiorum amantem BRANDIUM, generosos insuper KREYTZIOS aliosque. His Fautores & Amici succedebant alii, præter hos, quos superesse diu cœli velit clementia, MOCHINGERUS, BABATIUS, ROBERTINUS. Tempus admonet, ut sive loculi sive corporis partes reliquas non destituamus ornatu suo; ergo, quandoquidem floribus utrinque non inconcinne interseri hæc videas, supra caput, hinc *Balsami*, inde *Myrrhæ* figemus ramusculos. Balsami frondem Judæa domita, inter triumphi spolia Romam duxisse fertur Pompejus; arbuscula vero stillans oleum illud, pretio & virtute summum, Spiritus S. verbo Dei efficacem gratiam sistet, de qua Psalmus alicubi; *Impinguasti oleo caput meum*; Unde frequenter in morbo etiam & sub imminentes mortis impetus, corpore & sanguine Domini pastus, Dei ac Servatoris sui, ejusdemq; Spiritus robore tum vivens, tum laborans, tum moriturus efficaciter se fultum gratus agnoscebat. Myrrha autem defluente resina suá contritum cor & contribulatum, pœnitentia & precibus DEO dum viveret oblatum testetur, thure suspiriorum & gemituum, quos serius Dei amor accenderit, intermistam. Caput ipsum *Laurus* & *Palmæ* fronde ornaremus, sed Imperatorum ac Regum gloriam vindicare sibi hic noluit beatus, in cœlo suo laurum perennantiorem etiam illa, quæ inter ignes etiam & flammas manebit illæsa, exspectans; palmam insu-

insuper, inter Agni & Pastoris summi triumphos tenendam. Corona tamen è floribus redimere debuimus caput; fiat hoc è floribus, quos horti noverint amœnissimi fragrantissimis quibusvis, & his similibus, quos circa Defunctum sparsimus plena manu: Corona victoriam signat ac triumphum, spem denique ac spei fructum Dei auxilium, hanc certe fluctibus & tempestatibus undique inundantibus gravissimis, hanc irruentibus sæpissime procellis, sacram in Deo figebat anchoram noster, subinde & voce & scriptis ingeminans ad Deum suum illud: *In Te, Domine, speravi, non confundar in æternum!* Ast & coronam imponit suam dulcissima conjux, mœstissima iterum Vidua, Ornatissima & Virtutibus sexus sui multum conspicua matrona, CATHARINA REMSIA, quam 7. Julii 1643. Amplissimi & Prudentissimi DN. JACOBI SAHMII, Consularis Palæopoleos Regiomontanæ Viduam, duxerat beatus noster; quæ, intra 19. annorum & 3. hebdomadum conjugium, amorem intaminatum, sedulam liberorum curam, patientissimum animum in variis mariti morbis ac ærumnis aliis, testata; vere virtutis texuit coronam, filio equidem ALBERTO, & filia MARIA olim exhilarans maritum: ast quos dira lues uno fere ictu surripuit, magno & intolerabili parentum mœrore. Soletur Viduam pater Deus, eidemq; reddat benedictionis ac victoriæ in malis coronam vicariam, quam decessurus precatus est maritus. Pedibus nondum appositum videmus quippiam; annon vero *Absinthii* herba sub Ver primum mox pollulans passim specie varia cum flore suo, & si quid est alias floris amari, huc conveniret? Horret profecto corpus, quoties degustandum est amari aliquid, nec defuit tamen & nostro idem, cum inter studiorum & officiorum labores, tum domi, tum foris: Deo hæc ille committens ac Magistratui, justitiæ recte decidenda reliquit, ipse quæ vincere non potetat vivens: Absinthium negligi nequit, quod putredini & fætori etiam obsistit, quin imo aërem à pestifero aut olido odore alio purgat, etsi amarum, sanum tamen & salubre. Quid vero floribus amœnis illis fit tandem? annon marcescunt & flaccescunt universi? Ita sane! Neque id effugit noster: quippe *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri!* Expertus ergo arthritidis sæpe dolores acutissimos, catarrhos item suffocativos varie, qui mortis etiam induxerant angustias, aliquot retro annis, dum præteritæ hebdomadas feria quinta,

 27. Jul.

27. Jul. St. Nov. 8. Matut. intra eam, quam diximus, suam & suorum pietatem, placide & tranquille in Christo suo obdormivit, anno ætatis LV. mensibus tribus & decendio hîc emensis. Admirandum aliquem fruticem ac florem hujus, *Granadillum*, passionis Domini imaginem, Indorum Orientalium nuper aperuerunt historiæ; Hic flos morituro vita fuit, inter brachia JEsu vivere ac mori. Tum *Iridis* aliquam speciem naturæ consulti memorant, quæ gelidissimis etiam mensibus, Decembri scilicet, Januario & Februario, flores ex cœruleo colore in violaceum inclinantes, aliis cadentibus, aliis subnascentibus, protrudat; est illa beatitudo cœlestis, Paradisi hortus, Semiramidis & mundi pretiosissimas delicias quasvis longe superans. Hanc gratulamur nostro, ejusq; memoriam digno semper prosequimur honore: Corpori vero ut hodie circa XII. tumulando in Professorum Conditorio, ut frequentes, sine tumultu quovis, ad Ædes notas confluant cives nostri, serio monemus, honoratissima familia, atque inter alios Privignus Professioni Academicæ non minus præfectus, officiose rogant. P. P. Regiomonti 31. Jul. 1662.

In Honorem

MAGNI ORATORIS,
VALENTINI THILONIS.

TVLLIVS Eloquii Romani gloria prima est,
PERICLES Graji gloria prima fuit.
Tute THILO ΤΕΛΟΣ *es, Suadaque utriusque Corona;*
Altius Eloquii scandere nescit honos.

REINHOLDUS ADAMI A ROLLEN.

SCRIPTA.

Topologia Oratoria, seu Praxis Locorum Dialecticorum in Oratoriis. *Regiom.* 1635. *Amsterod.* 1653. *Hala-Saxonum* 1666. in 12.

Christus patiens. *Regiom.* 1645. in 8.

Secularia Borussa, sive IX. Orationes in Academiæ Regiomontanæ Jubileo habitæ. *ibid.* 1644. in 4.

Secularia Regiomontana, sive V. Orationes, cum Academia Regiomontana seculum primum feliciter superasset, consecratæ. *ibid.* 1644. in 4.

Apollo Victor post superatum publico suffragio Pana, ac con-

condemnatum Midam, Orationes V. de vita rustica. *ibid.* 1644 in 8.

Consultatio Curtiana, *ibid.* 1643. in 8.

Exercitia Oratoria. *ibid.* 1645. *Iena* 1663. in 8.

Curtius Orator, sive Orationes Curtianæ brevi Analysi & pleniori Locorum communium evolutione illustratæ. *ibid.* 1646. 1653. *Amsterod.* 1655. 1664. in 12.

Pathologia Oratoria, seu Affectuum movendorum ratio. *ib.* 1647. *Magdeb.* 1665. in 12.

Rudimenta Rhetorica, de Periodis, Amplificatione, Connexione. *ibid.* 1651. 1673. in 8.

Panegyrici Academici, vel Orationes solennes (quarum pleræque jam ante diversis annis excusæ typis prostant) *ibid.* 1650. in 4.

Orationes Academicæ, varia occasione habitæ, cum alloquiis natalitiis & ejus generis aliis. *ibid.* 1653. in 4.

PROGRAMMA,

In Exequiis

Viri Amplissimi & Excellentissimi,

DN. M. CASPARI EBELII,

Logices ac Metaphysices, in Acad. Marpurgensi & Giessena, ultra XXXIV. annos Professoris emeriti,

Propositum ab

ACADEMIÆ GIESSENSIS RECTORE,

JOH. NICOLAO MISLERO,

SS. Theol. Doct. & Professore.

Meditationem mortis esse Philosophiam, antiquum Platonis in Phædrone est effatum: Sive mortem naturæ, solutionis sc. animæ à corpore, sive honestioris vitæ per vitiorum fugam, intelligas, nihil à fide Christiana dissonum dixeris. Philosophi enim nomen non meretur, qui sapientia est imbutus altiori ad mores solum & communem vitam

directa, præterque scientiam nudam post se relinquit nihil; PHILOSOPHIA sanior jubet vitiis ac illecebris mundi renunciare, seque totum virtuti ac honestiori vitæ generi consecrare. Adderem, cœlestis Sophiæ Cultorem sincerum illum esse, qui postpositis terrenis, animum erectum habet ad cœlestia. PHILOSOPHUM vere Christianum amisimus, eheu! Academiæ Decus Florem, cœtus Philosophici Caput, alterum in Hassia ARISTOTELEM, Lumen ubivis scientia Philosophica celebratum, Præclarissimum atque Excellentissimum Virum, DOMINUM, M. CASPARUM EBELIUM, Logices ac Metaphysices in hac Giessena & antehac Marpurgensi Academia, ultra annos 34. Professorem emeritum. Vere PHILOSOPHUS audiit, non solum sapientia solidiori imbutus, sed & haud ignarus modi, quo vita honestior transigi, & ad placidam mortem obtinendam salutaris instituí potuerit meditatio. Vitæ ejus primam lucis usuram dedit in hac Urbe dies 11. Decembris, Anno 1595. Patrem habuit spectatæ prudentiæ Virum!, *Dominum Melchiorem Ebelium*, Civem ac Senatorem Giessensem; Matrem vero *Catharinam*, de honesta Beckeriorum familia prognatam, quæ, nescio, feliciorne sit existimanda, quod tam præclaræ sobolis mater extiterit, an statuenda infelicior, quod honores ac laudes Viri, inter Eruditos, quam maximi ob mortis præventum, intueri non obtigerit. Puer diligenti cura educatus in parentum sinu, Præceptorum lectissimorum opera tantos fecit progressus, ut ad lectiones publicas Anno 1612. cum laude fuerit admissus. Ad optima quæque natus Adolescens delitescere noluit, sed in publicum prodiit, & posteaquam comparatæ sibi doctrinæ Philosophicæ specimina ediderat sub *Celeberrimo* tum temporis Professore, Domino SCHEIBLERO b. m. non sine ingenii ac industriæ laude, Anno 1616. mense Augusto Laurea Magistrali solenniter cum cœteris competitoribus suis fuit honestatus. Hoc laboris eruditi prœmio reportato, in uno loco consenescere noluit, WITTEBERGAM se contulit, ad studium Theologicum excolendum, ubi habita disputat. in August. Confess. sub Celeberrimo D. MEISNERO b. m. doctis omnibus multum se commendavit. Inde JENAM petiit, potestate ibidem impetrata ad Collegia præsidendo habenda. Anno 1619. lustrata Erphordia reversus est in Patriam, quam brevi postmodum ALTDORPHIO Noricorum mutare placuit. Ac

veluti vino vendibili suspensa hedera opus non est; ita virtus & eruditio Ejus se sponte in omnium oculos & aures ingerebat, ut sparta primum Rectoralis in Gymnasio Wormatiensi, postmodum Professoria Anno 1629. in Academia Marpurgensi fuerit concredita, quam tum in illa, tum in hac Giessena exornavit magna cum industria non sine laudis vigore perenni. Accesserunt alia munia Academica: Fasces Rectorales quater gessit; Decanatum sustinuit duodecies; Pœdagogiarchatum administravit annos decem. In Promotionibus undecim Candidatis Magisterii 139. tiarum imposuit. Musa Viri docti famam intermori vetans, Laudes Ejus in Academia commorari semper jubebit. Mortuus est Vir Excellentissimus, emortua sunt cum eo quævis afflictionum genera, quibus & opposuit Epicteti apud Gellium ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Assidua mortis meditatione, quæ sapientiæ præcipua pars est, animum exercuit, mortis prodromo, senectute, non destitutus, quæ mortem præsentem nunciavit: Quocirca piis precibus & sacro epulo se præparavit ad confirmandam fidem in peccatorum remissionem & spem certissimam vitæ melioris. Obtinuit in Christo, quod speravit, ex hoc vitæ ergastulo placide fuit ereptus 10. hujus mensis, cum annos 68. & quod excurrit, confecisset. Reliquiæ corporis in spem resurrectionis solenni ritu terræ, unde ortum traxerant, committantur. Id dum peragetur hora XII. Vestrum erit *Cives Academici* Exequias Viri Celeberrimi frequentes nobiscum persequi. Confluite, ô Cives, cogitate, quærite ex Sene pie defuncto: Humanum vivere quid sit? Responsum tenete: Principium vitæ dolor est, dolor exitus ingens:

Sic medium dolor est, vivere quis cupiat?

P. P. Giessæ sub Sigillo Academiæ Majori. Die 16. *Martii, Anno* 1664.

Celeberrimo seculi nostri Philosopho, EBELIO, *concionem* habuit *funebrem M. Conradus Mislerus,* Eccles. Giessensis, ex *Psalmo* XC. 10. 11. & 12.

EPICEDIUM.

Si Mors atra unquam Giessena damna Lyceo
Attulit; En noxam præsenti funere fecit.
Dum rapuit membrum facile ex hoc corpore primum,
Alterum Aristotelem, summa qui cognita habebat
Condita Pansophiæ tacitis mysteria claustris,

Cui gravitas prudens, simul & quamplurimus Usus
Rerum cunctarum summum pariebat honorem,
Cujus & Umbra Senis, pluris Virtute valebat,
Quam alterius gladius, qui cuspide acutus utraque,
Et quo nullus erat clara sublimior arte.
Ergo Giessa Viro tanto post fata perennes
Cantabit laudes, & quæ super astra volabunt.

PETRUS HABERKORN, SS. Theol, D. & P. Prim.

ALIUD.

Spectatus vita fato decessit EBELUS,
Doctrina clarus, dexteritate probus,
Instruxit sedulo doctosque probosque Magistros,
Moribus ornavit, dogmatibus coluit.
MARTINOS jactet Viteberga, *suosque MELANDROS,*
Hassiadum *splendor perpes EBELUS erit.*

JOH. CONR. DIETERICHIUS, Græcæ Linguæ & Histor. Prof.

SCRIPTA.

Metaphysicæ Pars Universalis & Specialis, *Marpurgi* 1639. 1651. in 4.

Disputationes Elenchticæ ad Apologiam pro Syllogismo Infinito, *ibid.* 1633. in 4.

Hermes Logicus. *Giessa.* 1637. 1647. 1656. in 8.

Dissertationes Elenchticæ, pro Veritate primæ Philosophiæ vel Metaphysicæ, adversus Guil. Amesii Disputationem Theologicam adversus Metaphysicam, *Marpurgi* 1640. in 4.

Aphorismorum Metaphysicorum recognitorum Disputationes XX. *ibid.* 1649. *Giessa* 1658. in 8. *Francof.* 1669. in 8.

Tractatus de separatione Propriorum. *ibid.* 1641. 1651. in 4.

Manuductio ad Logicam. *Giessa* 1651. in 8.

Compendium Logicæ Peripateticæ. *ibid.* 1645. 1651. in 8. 1670. in 8.

Tractatus de usu & necessitate Logica in disciplinis realibus. *Marpurgi* 1647. in 4.

De Syllogismo Expositorio. *ibid.* 1647. in 4.

De Regimine Judæorum, *ibid.* 1647. in 8.

De Judiciis Astrorum. *ibid.* 1647. in 8.
Discursus de judicio Contradictionis. *Giessæ* 1651. in 4.
Commentarius ad D. Thomæ Opusculum de judiciis Astrorum. *ibid.* 1651. in 8.

Inter quamplurimas, quas Excell. EBELIUS habuit publice disputationes, nos hic duntaxat aliquas recensebimus, e. g. De singulari & Universali: De ratione formali suppositi vel personæ: De Spiritu finito completo: De Vitioso Philosophiæ abusu, ejusdemque vero ac genuino in Theologia usu: De duratione: De constitutione Syllogismi simplicis in genere: De forma sive structura Syllogismi simplicis secundum figuras & modos: De Syllogismis Hypotheticis: De Oppositione complexa: De Angelis: De finito & infinito:

PROGRAMMA,

In funere
Viri Amplissimi & Excellentissimi

DN. REINHOLDI FRANCKENBERGERI,

Historiarum Professoris Celeberrimi & emeriti, Collegii Philosophici & totius Academiæ Witteb. Senioris devenerandi,

P. P. ab

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS RECTORE,
CHRISTIANO AUGUSTO,
LIB. BARONE A FRISEN, &c.
ET PRO-RECTORE,
MICHAELE SENNERTO,
Med. Doct. Anatom. & Botanices
Prof. Publ.

RArissimum in nostra Universitate funus indictivum grandævi adeo & incani Professoris Historiarum Publici, Viri Amplissimi, DN. REINHOLDI FRANCKENBERGERI, Collegii Philosophici & Academiæ hujus, post

divũ AUGUSTUM BUCHNERUM (cujus magna semper apud posteros recordatio pervigebit) Senioris venerandi! cum octogenariam fere illam, & jam pridem, inter postremissimæ ætatis fata habitam periodum attigisset, nudius octavus inde translatus ad æternitatem, dies Nobis hodiernus imperat. Quoto enim cuique ex millibus hominum id cessit, ut tam vicinus seculo propemodum extiterit? & quota vero eorum pars est, qui dimidium ævi fere, in tam nobili officio transegerunt? Jam inde à temporibus diluvii istius, quod cum flagitiis suis orbem universum merserat, ætatem mortalium elanguisse, semperq; lapsam in deteriora, historiæ sacræ juxta ac profanæ referunt. Latere neminem signatus à Mose terminus humanæ vitæ potest. Hinc in Thalia etiam Historiarum parens, spacium vivendi longissimum periodo annorum octoginta finit. Grandævus & dierum satur Propheta ille Regius, annos septuaginta natus audit. In omni Romanorum, Græcorum, Francorumque ac Germanorum Cæsarum, quatuor solummodo inventi, octogesimum qui attigere: è Pontificibus Romanis quinque. *Elisabetha Angliæ Regina*, isthæc supergressa sexum altera *Semiramis*, universos à *Guilielmo Conquestore* antecessores, vita, quidni & Imperii gloria? superavit. Vixit enimvero Davidis, regnaverat Augusti annos mulier. Adeo nimirum rara grandiorum natu exempla deprehendas, ut inter seculorum miracula vulgo ponerentur. Sic prodigio *Epimenides Cretensis* fuit, quod sesquiseculo illius vita constitisset. Trecentos (DEI hominumq; fidem!) annos, *Caroli*, à rebus gestis magni, armiger *Iohannes de temporibus* (sic vocabatur) & ultra aliquid exsuperasse traditur. *Laurentium Orcadensem* annos centum ac quadraginta jam emensum, sæva quoque hyeme piscatum cum navicula prodiisse, *Buchananus* autor est. Vidit apud *Herefordienses*, inter floreales ludos, institutam à senibus octo, quorũ simul computata ætas, annos octingentos ipsos exæquaverat, choream, *Verulamius*. Ac nescio quid veluti prærogativæ Britannis ad *μακροβιότητα* frequentiorem concesserit natura sollers? *VVilhelmum Barneslojum*, Equitem, post centum & viginti sex annorum spacia, annus cIɔ IɔcLI. Angliæ vitæq; exemit. *Thomas* quoq; *Parrius* centum trigintaque superstes, ante hos nunc undetriginta annos diem ibidem obiit supremum. Nondumque adeo elapsum lustrum est, quo *Lesburiensis* in *Northumbria* Ecclesiastes, biennio ante,

ante, quam finiretur (agebat tum enim duodecimum centesimumque annum) dentes aliquot & renatos etiam capillos sensit. Quas dum cumulatiores solito historias longævorum hic atteximus, nemo facile miretur, qui & *venerando Seni, & Historiarum diu satis merito Professori scriptionem funebrem* esse adornandam cogitet. Ac optabamus quidem, ut ad majorem Viri dignitatem, ipsum, quo vitæ complexus acta fuerat, chirographum nancisci licuisset; nunc quando per aliunde conquisita certitudinis argumenta id hactenus inventum est, quod ad summa rerum capita duntaxat pertinet, obtemperare mori cogimur. In lucem NOSTER prodiit hic Wittebergæ, anno seculi superioris octogesimo & quinto, sextodecimo Novembris die. Patre natus Clarissimo amplissimoque Viro, DN. M. ANDREA FRANCKENBERGERO, quem ante hos ipsos C. & XXVIII. annos, Memminga Francorum, ex præcipua loci ejus familia civem primo; & cum in orthodoxa Lutheranorum educatus fide esset, discipulum deinde, illi orbis & literarum miraculo, PHILIPPO MELANCHTHONI per annos aliquot; Rectorem postea celeberrimi Gedanensium Ludi mira dexteritate, ad annos duodecim perfunctum: huc denique Anno cIↃ IↃ LXXIX. vocatum ad nobilissimam Eloquentiæ & Historiarum spartam, Profess. Publicum, scriptis famaque clarum dedit & reliquit. Mater illi egregia Matrona BARBARA BöCKELMANNIA, Dantiscana fuit; sex liberorum genitrix, & quæ novissime NOSTRUM enixa olim est. Hi tam probe educabant filium Parentes (mater imprimis, quæ in annum usque XXII. hujus seculi superstes vixit, patre jam tum A. cIↃ IↃ XC. mortalibus exempto) ut per eximiæ probitatis specimina infantiam, pueritiam, adolescentiamque vero laudum pariter & eruditionis exspectata nobilitaret fruge. Sic cū ad ordinis suiematuruisset decus, in studia missus aliorsum est. Artem adamabat excolebatque Medicam; cui impetu naturæ singulari tamen, Chronologiam magis & notitiam historiarum, successu etiam feliciore prætulit. His enim adeo scientiis profecerat, ut sub insigni postmodum Theologo DN. D. JOHANNE BEHMIO, *de colligationis exterarum epocharū ad annos à mundo condito rationibus*, circa A. cIↃ IↃcVIII. multa cum laude disputaret. Exterarum quoque gentium adire Academias, ornamentum literis ejusdem videbatur

tur addere. Peragrata igitur Germaniarum magna parte, in *Gallias*, *Angliam*, *Belgium*, *Daniamque* iter meditabatur. Ad quod felicius expediendum, commendatitias, quas vocant, literas, à *decima illa Musa*, FRIDERICO scilicet TAUBMANNO (nomen enim Viri memorasse sufficit) ad illustres literarum Heroas, *Dominicum Baudium*, *Hugonem Grotium*, *Danielem Heinsium*, *Iohannem Meursium*, *Petrum Scriverium*, *Erycium Puteanum*, *Andream Schottum & Iohannem VVòvvenium*, Belgarum Lumina; sed & in Angliam, ad *Cambdenum*; *Isaacum* vero *Casaubonum*, *Nicolaum Rigaltium & Desiderium Heraldum* proh quantos in Gallia tum Viros!) communi nempe libello chirographum obtinuit. Hoc se comite in viam anno cIↃ IↃc XI. vicissim dedit, cum biennium ante, Germanicas lustrasset Scholas Regias. In *Daniam*, ut supra diximus profectus, aliquamdiu *Haffniæ* morabatur, ut clarissimo per orbem Mathematico, CHRISTIANO SEVERINO LONGOMONTANO, cujus familiari informatione mirum quantum fruebatur, innotesceret. Anno deinceps vertente ad suos redux à promotore & Decano, TAUBMANNO illo, artium, & Philosophiæ Magister, inter undetriginta Competitores primus, ob primam eruditionis virtutum laudem, publice renunciatus, nova de itinere in Bataviam reassumendo consilia agitabat. Peregrinabatur autem longe ac illi, felicius, de quibus *Plautina* isthæc mulier confessa veritatem:

Vrbis speciem vidi, hominum mores perspexi parum:

dixit. Ergo cum illuc commigrasset, non urbes modo magnificasque sedes ac propugnacula miratus, sed Viros adire illustres ac audire, præcipuam duxit curam: donec auctricem certioris fati Leucorin expertus suam est. Vacanti enim ex obitu WANCKELII Nostri, Historiarum Professioni, ad vocationem *Serenissimi Electoris*, Divi JOHANNIS GEORGII PRIMI, clementissime præstitutus, A. cIↃ IↃc XVI. Mense Septembri, huc iterum concessit. Quam ille provinciam sic publice privatimque exornavit, ut ingentem nullibi non gloriam; tamdiu, hoc est, per XLVIII. annos, quoad per valetudinum rationes licuit, administrabat, ut singularem sane ob præclaros libros quoque evulgatos, commeruerit memoriam. Et jam de matrimonio, antequam ad plura provehamur, edisserere oportet. Anno cIↃ IↃc XVIII. connubiale fœdus primum iniit cum Ornatissima fœmina

CA-

CATHARINA REICHENBACHIA, THOMÆ REICHENBACHII, Senatoris apud nos, & Negotiatoris primarii olim filia unica; celebravitque Christiano ritu d. XXVII. Octobris. Quam felix fœcundumque illud postea extiterit, VI. intra undeviginti annos liberi, THOMAS nimirum, ANDREAS, REINHOLDUS, totidemque sequioris sexus, DOROTHEA, CATHARINA BARBARA & ANNA MARIA, editi testantur. Quanquam tres fato præmaturé functi, secuto illos ante aliquot abhinc annos fratre etiam ANDREA, qui Cüstrini, ex conjugio & ipse suo, liberorum X. pater, vivorum adhuc tantum IV. relictorum factus est. Superstes cum REINHOLDO, cive Stralsundensi ejusdemque prole, gemina, DOROTHEA, præstantissima fœmina jam agit; quæ post prima illa cum M. MARTINO DÖRINGIO firmata thori vota, (ex quibus filios suscepit duos, JOHANNEM CHRISTOPHORUM & MARTINUM, viventes adhuc) ne propter obitum mariti, viduitatem diu coleret, secundo rite nupsit honestissimo Viro, BARTHOLOMÆO FREMELIO, à curandorum Electoralis castri vallorum rationibus, A. cIↃ IↃc LIII. pignora huc usque tria, sed duobus iterum ereptis, tollens. Ut sic nepotes XVII. numerarit, ex priore statu Avus A. cIↃ IↃc XXXVII. conjunctissima orbatus vitæ socia Excellentissimus Vir fuit. Ergo de novis, elapso anno, votis cogitanti, HEDWIGIS, Clarissima tum temporis arrisit virgo, Viri Experientissimi, Amplissimiq; DN. WOLFFGANGI SCHALLERI, Med. hoc loco Doct. Prof. Publ. & Archiatri Lichtenburgensis Principis, relicta filia; quam XXI. Aug. die, An. cIↃ IↃc XXXVIII. domum solenni ceremonia duxit, & per XXVI. annos hactenus fidam pacatamq; in omnibus, sed sine prole tamen, adjutricem ad ultima expertus est. Ceterum in publicis Academiæ & Professionis suæ partibus se talem gessit, ut Viri boni, gravis, & industrii nomen deperdidisse nunquam videretur. Ter Universitatis Rector, octies Decanus Facultatis suæ lectus, AA. LL. Magistros CLXI. creavit. Secutum ultimi honoris, ex morte maximi BUCHNERI Nostri complementum; cum ante triennium hoc proximum, Academiæ Senior venerandus evasisset; in quo, sicut in omni vita, temperatam comitate gravitatem singulis, honorem & amorem Collegis, officia proximo, pietatem Deo suo, inter quotidiana sacrarum meditationum ex SS. & ve-

terum

terum Theologorum libris, exercitia, approbavit. Sed nunc tendentibus ad finem, morbi quoque ac mortis adnectendum genus est. Jam diu fuit illud, ex quo tempore catharris sæpe, sæpe & podagra prostratus, lectulo adhæsit. Redierat pro more infelicior Arthritis, mense anni elapsi nuper adeo Novembri; abiitque iterum, sed in periculi majoris fraudem. Die enim XXX. Decemb. nimium frigoribus caloribusque per vices obrutum se sensit. Mox & pertinacissimus catharrus, à suffocatione dictus, lassum antea & emaciatum Senem sic attrivit, ut & ciborum potusque omni appetitu, & virium reliquiis, & loquelæ usu propemodum spoliaretur. Illam tot votis hactenus quæsitam instare horam intellexit, qua brevi post valediceret mundanis. Advocatus igitur in solatium divinioris vitæ, qui à confessionibus ipsi fuerat, Verbi per-reverendus Minister, DN. M. AUGUST. FLEISCHAUERUS, ut suum corde JEsum asservaret, admonens; cum ille teneo, teneo, responderet. Biduo ante, quam exspirabat, factum hoc. Die enim mensis hujus quintodecimo, aliquantum post X. antemeridianam, inter cantus precesque adstantium, placidissima finitus est analysi; annos supergressus LXXIIX. menses II. exceptis totidem diebus. Cujus dum est ad I. deinceps pomeridianam, ex Ædibus relictis, in templum primo oppidanum, habitaque prius Concione, ad Ædem arci contiguam, solenni pompa funus deducendum, ut condatur ibi corpus: reputabitis vobiscum, CIVES ACADEMICI, quantum & Nobis in universum omnibus, & Seni venerando ad exequias cumulatissime ornandas, debeatis. P.P. a. d. XX. Januarii Anno recuperatæ gratiæ M DC LXIV.

SCRIPTA.

Fundamenta veræ Chronologiæ Scaligerianæ, contra Dion. Petavium, Sethum Calvisium & Sam. Petitum. *VVitteb.* 1644. in 4.

Dissertatio Chronologica, pro Veritate Chronologiæ Scaligerianæ, *ibid.* 1652. in 4.

Chronologiæ Scaligero-Petavianæ breve compendium, *ibidem* 1661. in 4.

D

De Modo Colligationis exterarum earumque antiquissimarum Epocharum, ad annos à mundo condito, Disputatio, sub præsidio D. Joh. Behmii, *ibid.* 1608. in 4.

PROGRAMMA,
IN FUNERE
Perquam Reverendi, & Clarissimi Viri,
DN·MICHAELIS VVATSONII,
S. Theol. D. & Historiæ Sacræ ac
Profanæ Professoris,
p.t. Facultatis Philosophicæ Decani,
IN ACADEMIA
CHRISTIAN-ALBERTINA,
quæ est Kilonii,
Anno cIↃ IↃc LXV. *d. VII. Decembr.*
placidè in Domino defuncti.
PRORECTOR ET SENATUS
Academiæ Holsatiæ Kiloniensis
CIVIBUS SUIS
S. D.

QUod Sapientissimus Simonides præceptum Spartano Regi dedit; *Μέμνησο ἄνθρωπος ὤν*, id nostris quoque mentibus in omni infixum esse vita debet. Homines cum simus, humani nihil ut à nobis alienum esse existimemus. Id vero quid sit, rectissime Sacra nobis Volumina nervosis tot sententiis explicant, tot egregiis imaginibus illustrant, quas fere omnes Nazianzenus uno est complexus Disticho:

Χνοῦς, σκιὰ, φάσμα, δρόσος, πνοιὴ, πτερὸν, ἀτμὶς, ὄνειρος,
Οἶδμα, ῥόος, νηὸς ἴχνιον, αὔρα, κόνις.

Quis nos in hunc sermonem casus adducat, nemo est, qui nesciat. Ecce enim D. MICHAEL WATSONIUS (heu res hominum, & spes fluxas!) nobis per inopinatam mortem eripitur; cujus nomen cum posuimus, satis esse videri

possit:

possit: qui Die hujus Mensis VII. sub Horam X. ante meridianam ex hac nova CHRISTIAN-ALBERTINA in Coelestem Academiam placidissime emigravit; ac quantum viveris vidensque Splendoris & ornamenti eidem attulit, tantum nunc luctus squalorisque obitu suo excitavit: quo non contemnendum vulnus huic Academiæ nostræ est inflictum; nostræ autem? imo universæ Reip. literariæ: quod revera ita est, ac metuendum, ne qui hoc credere addubitant, eos verum *doceat post exitus ingens*; Sed de laudibus Viri, uberius alii propediem, atque alibi. Nos, quod Officium, ac recepta consuetudo imperare nobis quodammodo videtur, in antecessum faciemus, & Historiam Eximii quondam, nunc Desideratissimi Collegæ; strictim memoriæ gratia delibabimus;

Auspicatus est hanc lucem Stolpæ, quod Oppidum est Ulterioris Pomeraniæ haud ignobile, Anno ab instaurata per CHRISTUM salute mortalium MDCXXIII. a. d. XV. Augusti, quem Ipse sibi fatalem multis nominibus fuisse, in Oratione Valedictoria Rinthelii habita, quæ consuli potest, demonstrat. Patrem nactus est *Iacobum VVatson*, ex nobili, quantum quidem accepimus, in Scotia, ac celebri familia oriundum, Civem Primarium Stolpensem, & Mercatorum panni Serici Tribunum, ac Seniorem; cui optime de se merito Parenti Monumentum Hic Noster, Anno 1658. in Academia Hasso-Schaumburgica debitæ pietatis ergo posuit, quod impressum exstat, cum aliis compluribus. Matrem habuit Fœminam Lectissimam, & Spectatissimam, Sophiam Löfeniam, &c.

Ingeniosum nasci felicitas est, inquit *Augustinus*. Atque hic natus talis; quæ etiam causa fuit, ut Parentes ab ineunte statim pueritia iis imbuendum literis, Magistris, qua publice, qua privatim, commiserint, quibus teneram ætatem erudiri par est: ubi studio & diligentia ipsam ætatem prævertebat, neque calcaribus, quod vulgo solet, sed fræno potius opus erat, viam Sapientiæ & Virtutis terenti. Factus paullo adultior, cum præter docilitatem, ingens discendi ardor in ipso emicaret, & non obscura jam apparerent specimina, ad omnia eum summa ab ingenio armatum; Præceptorum hortatu, ad *Gedanense* Gymnasium se contulit, ad uberiores studiorum fructus capessendos, Anno cIↄIↄcXLI. Ætatis autem octavo decimo. Nec mora, nec requies; in omnes protinus

Phi-

Philoſophiæ, ac Philologiæ partes mature ſibi incumb[illegible]dum eſſe exiſtimavit; nihil iſte quidquam putabat actum, ſi quid agendum reſtaret. *Venatori*, inquit Columella, *viro non eſt, etiamſi non omnes feras, quas captat, ceperit:* at Hic Noſter vitam ſibi acerbam illico putabat, ſi non omnia pernoviſſet, quæ forte offenderat: ac in omni re minus diffi ulter ſuis poterat imperare affectibus; in ſola diſcendi Libidine, aut intemperantia, non poterat; & cum ſemper omnibus, ſibi tamen uni unquam ſatisfaciebat. Tantus erat & gurges; & helluo (ſi tamen ita loqui fas eſt Librorum; Primitias in Philoſophia itaque & Theologia *Dantiſci* depoſuit; quas feliciſſima deinceps meſſis erat exceptura, ſub celeberr mi. unde quaque Viris, *Iohanne Botſacco*, *Petro Oelhaſio*, *Daniele Lago*; *Iohanne Mochingero*; aliisque; quos nominatim hic recenſere nihil forte adtinet; quod prolixius & hæc & alia (quod ſemel monuiſſe ſufficiat) docere poſſit Programma ad Diſputationem Theologicam Inauguralem Roſtochii typis excuſum; quod nullus dubito in multorum manibus verſari. Itaque cum aliis virtutum dotibus, tum facilitate inprimis morum, tum doctrina quoque id eſt conſecutus, ut Viris paullo ante laudatis ad unum omnibus impenſe charus fuerit.

Eotundem conſilio Academiam *Regiomontanam* ſibi adeundam duxit; Anno cIↄ Iↄc XLIII. quam quaſi Studiorum magiſtram ac ſedem delegit; utpote in qua totis quinq; annis hæſit: quo ad divinarum juxta atque humanarum ſacraria doctrinarum penetraret; intimæ admiſſionis Diſcipulus *Caleſtini*; *Myslentæ*, & *Chriſtiani Dreyeri*, magni nominis Theologorum: *Hartvici* itidem: *VVichelmanni*, nec non *Alberti Linemanni*, Philoſophorum; ſub quibus hic Lauream, legitimus ſcilicet Olympionices, Philoſophicam eſt conſecutus; quam ut tueretur Collegium in Inſtit. Phyſicas Gilberti Jachæi frequenti Auditorio inſtituit.

Hinc Anno cIↄ Iↄc XLVIII digreſſus, ex itinere *I. A. Comenium Elbingæ*; *Dantiſci*; cum Veteres modo dictos Præceptores, tum Evergetas al os; *Stolpæ*, Conſanguineos & Amicos; *Stetini*, *Iacobum Fabricium*, *Iohannem Micrælium*; Adfines; *Gryphisvvaldiæ Beringium*, aliosque ſalutavit. Ex eo diverſis in Germaniæ Academiis ipſos VI; annos vixit; ac primo quidem *Roſtochii* ex morbo recreatus *Bataviam* petiit; *Enchuyæ*; *Paludani*. *Muſeum* vidit; *Lugduni Batavo-*

 rum;

rum, Spanhemium, Heinsium, Salmasium, Golium, quantas animas! in quorum notitiam, & familiaritatem, cum per annum, & quod excurrit, producto in Eth. Arist. Collegio, ibidem substitisset, admitti cœpit; uti *Franequeræ, Cocceji, Ultrajecti, Regii & Cartesii*, aliisque passim in locis aliorum consuetudine usus fuit.

Inde reversus *Hamburgum* salutato inprimis *Iungio*, non vulgari Philosopho, & *Lubecam* transiit, atque ita *Rostochium* rediit: Ubi Collegia in universam pene Philosophiam varia aperuit: Disputationes varias, & Dissertationes tam publicas, quam privatas edidit. Interea temporis transfretavit in *Daniam*, ejusque Metropolin *Portuam*, ac præcipuas Civitates Daniæ alias lustravit, & in iis Viros quosq. Præclarissimos. Tum & *Francofurtum ad Viadrum* accessit; ubi primus quasi ad dignitates publicas aditus ipsi patefactus; cum in Amplissimo Philosophorum Collegio inter Adscriptos, sive Adjunctos cum vulgo appellare libeat, tribueretur locus; quam Spartam ut exornaret, Collegiis & Disputationibus variis Metaph. Log. Orator. Geograph. præfuit. Ad Gryphiswaldensem deinceps Academiam amicorum literis excitum, cum spes, quæ tum de restauranda Universitate ista adfulserat, restincta esset, peramanter eum Stralsundam invitavit *D. Iohannes Schönerus*, Medicus & Professor Regius, Parentis ipsi loco semper cultus, quam per annum insedit, non ignotus, nec neglectus præterea Viris ibidem Claris. Istorum, inprimisque DEI O. M. nutu brevi post in luculentam incidit conditionem, ac Anno M DC LIV. M. Majo Matrimonium iniit cum non exigui nominis florentissima Virgine WENDELA, Reverendi Viri, *Dn. Simonis Henningii*, Ecclesiastæ officio Hafniæ annos sat multos laudabiliter functo, ac deinceps Pastoris Cathedralis Templi Bremensis Regii, Filia; cum qua suavissime hactenus, & conjunctissime (quæ summa Conjugum est felicitas) per undecim, & quod excedit, annos vixit: ut versus Poëtæ Veteris de illis usurpandus veniat: Corporibus geminis Spiritus unus erat. Ex ea liberos genuit quinque, binos nostri, tres sequioris sexus; de quibus tres adhuc tenera admodum ætate superstites, *Anna-Margareta, Simon-Iohannes*, & *Cæcilia-Maria*, quæ à Viduæ Matris adflictissimæ uberibus adhuc pendet; omnes eo majori commiseratione digni: duos vero *Margaretam-Sophiam*, & *Simonem-Iacobum* in primo infantiæ flore

flore mors intercepit. Sed ut nulla unquam mortalibus sincera est voluptas, ita & huic memoratæ felicitati sæpius calamitatum aliquid admistum fuit, ac illa Bonæ mentis Soror & Contubernalis, ut ipse alicubi testatur, in eorum Lares subinde commigravit. Verum, ut Historiæ filum pertexamus, eodem, quo conjugium rite contraxit, anno, ad Rostochium, Musarum vetus hospitium, Almam Matrem, aut nutriculam revisit; ubi ab utroque Professorum Collegio Professori designato ipsi rediit labor actus in orbem; quem quanta fide, quanta dexteritate, quam indefesso exantlarit studio, norunt illi, qui magna cum voluptate, insigni utilitate, rara admiratione docentem audiverunt; & res ipsa, ac præclara, quæ reliquit, ingenii monumenta abunde loquuntur. Cum enim per omnes ætatum gradus ad summam perfectamque contenderet sapientiam, maximarum rerum studia consectatus est, quæ nunquam intermisit, sed ne remisit quidem, intempestam sæpe noctem antelucanis horis, brevissimo somni interstitio, jungens: cumque virtutis laudem in actione sitam esse cognovisset, ita scite ac sapienter omne tempus distribuisse visus est, ut contemplando, agendo, docendo, disceptando, nullam ejus partem diffluere pateretur inanem. Evocatus autem anno cIɔ Iɔc LVIII. ab Illustrissimo, Celsissimoque Principe WILHELMO VI. *Hassiæ Landgravio &c. &c. &c.* ad Professionem Phys. Historiar. & Polit. in *Acad. Hasso-Schaumb.* nihil sibi habuit antiquius, quam ut illam omnibus modis exornaret, quo nomine, cum jam ante pluribus testatum reddidisset speciminibus, quantum in Theologia profecisset, Anno M DC LIX. Disputationem Theologicam Inauguralem de Fidei & Vitæ Christianæ articulis *Rostochii*, adprobante Theologorum Collegio, amicisque applaudentibus feliciter peregit. Jam vero si singula forent commemoranda, annis labentibus octo, Rintelii ab ipso sive gesta, seu docta, aut disceptata, non Catalogus mihi, sed Ilias pene ipsa esset texenda: ut in transitu tribus hic verbis attigisse sufficiat, bis Ipsum *Rectoris*, bis, nisi memoria fallit, *Decani* munere functum; *Doctoris* autem Titulo Anno M DC LXIV. exornatum: cum telam hanc abrumpendam, ac ad finem properandum, & chartæ angustia nos admoneat, & instituti ratio suadeat. Neque vero iisdem de causis, Viri laudes persequi, dignoque eas prosequi Elogio nobis est

integrum; quam splendido fuerit ingenio; quam incredibili propemodum variarum cognitione rerum; quanta, quamq; eximia virtute, pietate, modestia, probitate, constantia, fide, candore septus: de quibus, & id genus aliis silere præstat, quam parum dicere. Illud vero minime videtur prætereundum, quod, cum apud alios Principes, summosque Viros gratia floreret, etiam *Serenissimi, ac Clementissimi Principis Nostri*, inter alios Celeberrimos Germaniæ Viros, non indignus fuerit judicatus, qui in CHRISTIAN-ALBERTINA Academia Philosophicæ Professioni Primariæ admoveretur.

Atqui, cum serena viderentur auspicia, insperatus Viri obitus, nescio quomodo istud lumen obnubilavit, ac acerbissimo luctu, doloreque totam Academiam pariter ac familiam confudit. Usque adeo nihil humanis in rebus sincerum est, aut certum, sæpeque, ut Poëta canit; medio de fonte leporum Surgit amarum aliquid, quod in ipsis floribus angat. Quem scopulum utinam nobis prætervehi liceret! Veniendum enim ad extrema Viri; quæ non nostris, sed Celeberrimorum Medicorum verbis ex Historia morbi heic inserere visum fuit.

Seriem itaque morbi, causamque quod attinet, quoniam CL. Vir natura visus fuit Melancholico-Scorbuticus, & meditando cæteroquin à pluscalis annis bonam noctis partem consumere consuevit, unde famam quidem nominis æternam, sed corpus etiam valde debile; loco præmii, maciem & lividum faciei colorem retulit: præterea currente vita, stando pleraque, dextrumque latus in mensa, memorabili studiorum suorum palæstra, fortius firmando, scribere vel meditari consuevit; ut hoc pacto ob iteratas continuatasque thoracis compressiones, partes ejusdem interiores debilitata, ominosam humoris congestionem facile admitterent. Sicque dispositus Beatus Collega noster, dum proxime elapso die 28. *Nov, à nuptiis pie & frugaliter transactis, abesse, ob amorem alteri cuidam Collegæ debitum, non potuit, hora circiter* 10. *vespertina rationem valetudinis suæ, ac Lucubrationam habens, domum petiit, à qualicunque ista mutatione aëris blandi in frigidiusculum, impedita sine dubio transpirationis autorem, male continuo habere cœpit, afflictusque punctorio dolore dextri lateris, cum tussi sicca & molesta, & levi primum febricula, quam vero sitis aliqua, mediocris dolor capitis, spirandi*

randi difficultas, & sueta alias, sed concitatior ventriculi subversio comitabatur, totam noctem expertus est insomnem, turgescentibus interim, ante & post sanguinis detractiones, venis. Sed jam secundo die statim graviora omnia, Morbusque, cum Febre ardentiori, majus majusque incrementum sumsit. Cujus oppugnandi gratia mature satis, Collega amicissimus D. Joh. Daniel Major, *auxilium rogatus est. Et is quidem rite perpensis omnibus, nihil eorum prætermisit, quæcumque vel ad minuendi morbi causam, vel diversionem ejus, discussionem, aut alterationem, vel mitiganda symptomata, & tuendum Naturæ robur fieri debere, juxta artis Canonem, rationem sanam, & experientiæ dictamen, videbantur, tam eo tempore, quam diebus subsequis. Horumque periculum veluti bene prævidit, ex indicio multiplici, Medicus, ita continuo, antequam plura ageret, actu quamtumvis necessaria, attamen, ne in suis contra morbum adeo ferocem, acutum & dubium, consiliis, careret vel teste erudito, vel adjutore gratissimo, ipse in Societatem curationis invitari Celeberrimum Virum*, Dn. D. Casparum Marchium, *conjunctissimum Collegam, petiit, qui facile proin accedens, Ei quoque sedulo ac æqua prudentia collaboravit. Sed debile Naturæ robur, quod partim copia Sanguinis regurgitantis oppressum in ægro exstitit, partim justo plus resolutum fuit per vigilias nimias, doloris vehementiam, continuitatem Febris, vomitiones crebras, & his succedentes, usque ad finem fere, singultos crebros, nullaque arte domabiles, nec non causæ morbificæ contumacia, quæ vanas utplurimum reddit Crisium exspectationes, juncta effecerunt omnia, ut omnis medicamentorum, quantumvis exquisitissimorum virtus frustra adhiberi visa fuerit, & B. Collega violentiæ mali occumbere facile potuerit. Et hactenus quidem laudata modo Historiæ verba. Nunc reliqua breviter pertexamus.*

Itaque vi ipsius morbi fatalis magis magisque ingravescente, accersito Reverendo Dn. Johanne Brawero, Archidiacono Ecclesiæ Nicolaitanæ Dgnissimo, φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίκακον, ut locutus est B. Ignatius, Sacrosanctæ, inquam, Domini Cœnæ ἐφόδιον, devotissima prius animi reverentia, Exomologesi facta, participavit. Non facile dici potest, qua fide, qua patientia, qua Spiritus alacritate mortem ipsam exceperit, quamvis non solum corpus

non contemnendis subinde doloribus afficeretur: sed ipsa etiam rationis arx valide tentaretur, quæ tamen per intervalla, DEI beneficio, recuperata ei fuit, adeo, ut ipse quidem triduo ante digressum ex hoc seculo, ut loqui Tertullianus amat, quem spiritu religiose præsagiebat, è lecto funebri ad calamum ultimæ quasi voluntatis Oracula dictarit, ac ut majorem in animis Lectorum fidem obtinerent, ac suavitatem, suæ manus, licet debilis, subscriptione obsignarit, & confirmarit.

Tandem VII. Decembris ad eum, quem in ore semper habebat, quem animo spirabat unum, JESUM CHRISTUM, Servatorem nostrum evolavit, ac placide, & dormienti similis, sub Horam X. antemeridianam, magno adstantium Collegarum & amicorum luctu, exspiravit; ut minime sit dubitandum, quin adgregatus beatarum cætibus animarum, æternis jam gaudiis, ac DEI conspectu & luce coram perfruatur, perennes sapientiæ veræ latices, quorum rivulos in tot Academiis libavit, ex plenissimo divinitatis fonte hausturus. Etsi vero Academiæ causa dolendum est, quod tantus Vir, qui novam eidem circumfundere lucem potuerat, immature videatur ereptus: tamen, cum providentiæ, ac voluntati divinæ, ex qua penitus pendere omnes est æquum, reluctari sit nefas; in ea placide nobis adquiescendum esse intelligimus; ac Homeri illam ἐπιφώνησιν, nostram, uno tantum immutato in rectius verbo facere; θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή. Ac cum apud eundem Telephus ab Achille vulneratus, oraculo admonitus, ab eodem remedium petierit, multo magis nos in ejusmodi malis ad ipsum DEUM, quod divina jubent Oracula, confugiamus, qui ut solus talia infligit vulnera, ita etiam nobis laborantibus subvenire solus, & medicinam facere potest.

Reliquum est, ut tempus Exsequias solenni ritu eundi, & locum indicemus. Effertetur itaque Hodie, Hora II. Pomeridiana, ex ædibus, quas habitavit hactenus, vel potius è regione vicinis, in Ædem Sacram, funebri Concione condecorandus. Convenietur autem in Area Collegii ante mediam secundam. Præter rem vero faceremus profecto, si quemquam vestrûm una ire impensius vel rogaremus, vel hortaremur, quod scimus universos ultrò & frequentissimos, qua fieri potest, facturos, & sat scimus, quod postremum hoc pietatis & humanitatis officium, ac sola nominis WATSO-

NII,

NII, quod singulariter hoc meretur, mentio omnes Bonos fortius alliciet, quam ullius hominis, aut Scripti Exhortatio. P.P. sub Sigillo Academiæ, Anno MDCLXV. a. d. XV. Decembris.

EPITAPHIUM.

Hospes, siste gradum, ac adstans hac pellege pauca,
Addita quæ tumulo qualiacunque vides.
Sub lapide exiguo situs heic VVATSONIVS ingens,
Exsuvias spolium linquit inane sui.
Cui (proh meta brevis!) vix octo vivere lustra,
Augustos licuit vix numerare duos.
At faciunt diæ mentis monumenta tamen, quod
Tempore pro parvo Fama perennis erit.
Huic merito atque lubens tribuit PASSERTIVS urnam,
Misturus cineres hic aliquando suis.
Hospes, abi, postquam fueris bona verba precatus,
VVATSONI tumulo molliter ossa cubent.

PAULUS SPERLING, SS. Theol. Prof. Ordin. Præpositus Holsaticus.

SCRIPTA.

Unio Sapientiæ sive Synopsis totius Philosophiæ. *Bremæ* 1658. in 12.

Oratio Valedictoria habita *Rinthelii* in 4.

Clinodium Aristotelicum, in quo Dissertationes in universam Philosophiam continentur. *ibid.* 1661. in 4.

Theatrum variarum rerum, exhibens Excerpta & Annotata in libb. de rebus Memorabilibus Pancirolli & Salmuthi. *Bremæ.* 1663. in 8.

Oratio in Introductione novæ Academiæ Kiloniensis, Facultatis Philosophicæ nomine, recitata, & post obitum Auctoris edita. *Slesvigæ* 1666. in fol.

Disputationes Philosophicas oppido multas habuit in Regiomontana, Rintelensi, Rostochiensi & denique Kiloniensi Academiis, ex quibus nos aliquando vidimus: De Substantia mobili & imobili: De Sapientia prima & primis principiis: Theses ex universa Philosophia conscriptas: Historiam Anti-Diluvianam: De Fidei & vitæ Christianæ Articulis, quæ Inauguralis fuit: De

De Origine Philosophiæ: De Virtutibus in primis de Temperantia ejusque oppositis: De propria laude: De justa præmiorum & pœnarum irrogatione: De Curiositate: De Anima: De officio Magistratus: De primis Societatibus & Republica: De Tyrannide: De veteribus & novis Rebuspublicis: De optimo ex voto prudentium Politicorum: De demonstratione scientifica: De Sophisticationibus: De Sensuum Organis: De Imaginationis efficacia: De Tempore: De norma Physicæ: De Sensibus animalium: De Cœlo & stellis: Habuit quoque plurimas Disputationes in Dialecticam, Physicam & Mephysicam.

PROGRAMMA,

In Funere

Viri Amplissimi, Excellentissimique,

DN. CHRISTOPHORI NOTTNAGELII,

Mathem. Super. Professoris longe meritissimi, & Academiæ Witteb. Senioris Venerandi,

Publicè propositum à

RECTORE ACAD. WITTEBERGENSIS,

MICHAELE WENDELERO,

SS. Th. Doctore, ejusdemq; P. P. Extraordinario, & Moralis Philosophiæ Ordinario.

TRiste verbum, & nulla satis emolliendum via, vixit CHRISTOPHORUS NOTTNAGELIUS, Vir Excellentissimus, Mathem. Super. Prof. Publicus longe meritissimus, Senior Academiæ nostræ venerandus! Illud licet inter labra luctetur, quod funestæ rei indicem mens ipsa exhorreat, extrudendum tamen ab invito ore, & sine ambitu dicendum, quòd publicæ calamitatis sensus jam vulgavit. Atras nobis nuperrime fecit Calendas pulcherrimi mensis mors clarissimi Viri, annuis licet literariæ Reipublicæ comitiis

tiis festivas. Vix purpura novis humeris incubuerat, vix congratulantium voces finierant, cum atrox fama rebus lætis repensque ægritudo gaudiis intercessit. Avertat Deus ferale omen ejus diei, ne ab infelici exordio, succedentium rerum similis ordo fluat. Abominamur certe turrium casus, nec sine suspicione venturarum cladium ruinas magnarum molium contemplamur. Augetur ea, si publicis illæ dicatæ fuerint usibus, si diu cum admiratione spectatæ, si metum sui calamitas prævenerit. Et si ex pretio amissæ rei jactura crescit, quo dolore fatum illud deflendum sit, non apparet satis. Annulos ponere, mutare vestes, capillos promittere, justitium indicere, morti atque fortunæ diem dicere, Diis ipsis invidiam facere impotens gentilium dolor solebat. Nec nobis animus deesset in eum affectum, nisi Christianorum sanctior disciplina alios mores postularet. Osculis excipienda summi Patris ferula, & patiente silentio tolerandæ, quascunque rebus humanis Dictator ille Maximus posuerit leges, quibus non obtemperare facinus, irasci flagitium, contradicere piaculum est. Non injurius est creditor, qui sua repetit; sed malus debitor, qui non nisi cum gemitu aliena reddit. His limitibus cum coerceatur luctus noster, per aliam viam exonerandus est pius in defunctum amor. Indolere suorum morti, etiam improbi, vitam laudare, non nisi grati solent. Et, ut ab ovo quod dicitur, ordiamur, natales Amplissimus Vir debet Franconiæ, optimorum ingeniorum fœcundissimæ matri, quæ ipsum Hilpershusæ Coburgensis Ducatus oppido, Anno æræ Christianæ M DC VII. undecimo Calend. Octobris primum protulit. Parentes sortitus est ex honestis & antiquis ejus loci familiis JOHANNEM NOTTNAGELIUM, DOROTHEAMQUE THOMASIAM, à quibus non modo prima pietatis, virtutumque reliquarum semina hausit; sed &, cum nobilis animi atque capacis manifesta indicia daret parvulus, ludo patrio commissus est, ex quo literarum culturam acciperet. Ita fit illa adeo feliciter in optima indole, ut manifesta divini favoris argumenta nemo non animadverteret. Agebatur interea annus M DC XXVI. cum ille undevigesimum ageret, opusque videretur, ut nobilis ille surculus, ex umbra in solem transferretur. Electum est huic spei Gymnasium Coburgense, ubi vix integro vertente triennio, radices ille egit in quamvis altitudinem suffecturas; Latinas quippe, & cum

Græcis Ebræas literas ea fide imbibit, his ut idiomatis perorans non sine applausu audiretur publice. Quo factum est, ut judicio Præceptorum suorum maturus pronunciaretur Academiis, ex quibus tunc Regiomontanam prætulit. Eam cum peteret, ex via in nostram divertens, aliquantulumque non sine fato moratus, destinatum iter perrexit. Sed trepidabant tum Musæ illæ, ex tumultu armorum quod Sueci & Poloni in urbis ejus fere pomæriis hærerent, unde noster circumactis velis, ad Nos paulo post rediit. Et licet non exigua ipsi spes ex Upsalia & Dania affulgeret, illeque jam consilia in septentrione haberet; tamen quasi injecta divinitus manu, semper Wittebergam, velut in portum fatis definitum rejectus est. Commorandi itaque impetum cœpit, atque anno M DC XXX. Lauream hic Philosophicam adeptus non sine laude, mox ex Collegiis Philosophicis,& ante alia, Mathematicis necessarios sumptus laboresque impendere cœpit. Complexus tunc erat vasto animo Theologiam, eoque jam gradum promoverat, ut Anno M DCXXXIV. dignus videretur, cui Heldburga Francorum, Superintendentis arduum munus offerret; Sed interceperat jam patriæ votum, Witteberga nostra, quæ paulo ante adsciverat sibi illum Superiorum Mathematum Professorem, nec id sine fatorum benignitate, quod non multo post tempore, Heldburga Martio igne conflagravit. Totus itaque in astra & Mathesin suam incubuit Noster, licet difficillimis illis temporibus stipendia aut nunquam, aut ægre suppeditarentur. Successit temporum fortunæ improbus labor, cum in diem quinas senasve horas juventuti studiosæ daret. Exercebant tunc belli injuriæ, continuique præsidii importunum onus Academiam, nec fere erant, quos molestia & pericula à publicis curis non absterrerent. Eò tamen valuere Collegarum preces, ut deploratis istis temporibus subveniret ille, continuoq; septennio in rebus militaribus ipsi publice commissis, occupatissimo munere fungeretur. Deus bone! qua fide, quo Academiæ, civitatis, omniumque egenorum emolumento & solatio! Norunt illud omnes, fatentur boni atq; candidi. Nec obstabat quod summo valetudinis & virium dispendio ea fierent; sed quasi publico tantum natus, suam neglexit, ut aliorum saluti consuleret. Non minus interea rationes officii urgebat, quod eo semper animo esset, in hoc situm omne felicitatis suæ cardinem, si demandatas sibi partes

tes

tes cum fide impleret, pauperibus vero, quanta per fortunas licet, efficacissima ope subveniret. Decanum Facultatis suæ quinquies, Academiæ Rectorem bis egit, maxima prudentia, majori fide, summa omnium utilitate. Nec bello saltem, sed pace quoque spectata Viri virtus, cum publico Academiæ nomine legationibus ita fungeretur, ut felicissimam ejus efficaciam admirarerentur omnes, assequerentur pauci. Hæc publice. Si ad privatas laudes divertamus, non minor campus sese aperit. In decantato illo Cæsaris Augusti proverbio, non abs re inter humanæ felicitatis capita refertur εὐγαμία, quam ad arbitrium Viro celeberrimo obtigisse, omnes norunt, qui ipsum non ignorarunt. Primo autem matrimonio Anno 1634. sibi junxit Virginem omnibus virtutum dotibus conspicuam, DOROTHEAM ELISABETHAM MüLICHAM, DN. CASPARIS MüLICHII Pharmacopæi quondam in hac urbe celebratissimi filiam, cum qua ex animi sententia vixit, factus ex illa quatuor masculorum, octo filiarum parens, ex quibus tamen JOHANNES CHRISTOPHORUS, JOHANNES CASPARUS, GOTOFREDUS, DOROTHEA ELISABETHA & CHRISTINA ad cœlestia regna illa adierunt. Superstites ex eo conjugio sunt filius CHRISTOPHORUS, cum filiabus, omni virtutum laude cumulatissimis, ANNA CATHARINA, Viro nobilissimo & perquam strenuo DN. ERASMO EGERLANDO, castri Elect. & excubiarum amplissimo Præfecto nupta, MARGARETA SIBYLLA, Viri reverendi clarissimique DN. M. JOHANNIS WERGERI, Illustrissimo PRINCIPI ANHALTINO Servest. à concionibus aulicis, conjuge: DOROTHEA, cui maritus cessit Vir Excellentissimus DN. ANDREAS SENNERTUS, Ebr. & Lingu. Oriental. P. P. ELISABETHA, juncta Viro Amplissimo Dn. GEORGIO CASPARI KIRCHMAIERO, Eloqu. P. P. ANNA MARIA, quæ elocato est Viro nobili atque strenuo DN. GEORGIO CHRISTOPHORO RIEBENSTEINIO, castri Wiltzb. ac rei tormentariæ Præfecto, nec non Protribuno delectus militaris ex provincialibus ibidem: & virgine deniq; florentissima MARIA MAGDALENA, Parentis desideratissimi obitum acerbis lacrymis prosequentibus. Postquam autem priorem hanc Conjugem marito abstulit fatum, peracto luctus tempore A. M DC LIV. mense Julio, ad secunda vota transiit, quibus Virginem, incomparabile sexus sui ornamentum, ELISABETHAM,

Viro

Viro Consultissimo Amplissimoque DN. CHRISTIANO KREMBERGERO, J.U.D. & Juridicæ Facultatis in hac Academia Assessore prognatam, solenni ritu sibi sociavit; cujus matrimonii pietatem, fidem, suavitatem, absolutissimam denique felicitatem, nunquam satis deprædicare Noster potuit. Et quippe liberos è priori conjugio susceptos pari atque suos amore complexa, usque adeo nihil novercæ habuit, ut nulli labori, nulli molestiæ parceret, quo ad virtutis legem illi formarentur & crescerent. Omnes denique modestiæ & prudentiæ œconomicæ partes ita implevit, ut unico huic ingravescentis senii solatio gratias ille ageret, non sine lacrymis, paulo ante, quam moreretur, liberisque in ultimis mandatis daret, post DEUM maximo matrem semper colerent affectu. Prognati ex hoc matrimonio quinq; liberi, duo virilis, JOHANNES CHRISTIANUS & JOHANNES PAULUS, reliqui sequioris sexus, ANNA ELISABETHA, ANNA MARGARETHA, ANNA SOPHIA: superstites omnes, præter primam ex filiabus, quæ triennio fere ab hinc decessit. De pietate, & reliquis Viri meritissimi virtutibus, summi, infimi, cives, exteri, uno ore testantur. Nec quicquam ille antiquius habuit unquam, quam bono publico consulere, navare operam amicis, egenis subvenire. Candoris vero usque adeo amans erat, ut non nostri seculi homo, sed ex priscis illis esse videretur, quorum intemerata sinceritas istud elogium popularibus olim peperit: *Neminem mortalium fide ante Germanos esse*. Omnium dierum exordia juxta & exitus precibus dedicare solebat, quibus se, suos, & ante omnes, PATRIÆ PATRIS salutem Deo commendabat, in genua profusus, feriatosque Numini dies non publica saltem in templis, sed privata etiam pietate domi cum uxore & liberis transegit. Et ne quis illius in Cathedra Mathematica fidem aut laborem desideraret, non docendo modo, sed etiam scribendo effecit, editis in publicam lucem aliquot libris, quibus summi ingenii fœtibus alios additurus erat, nisi summam manum inopina mors subtraxisset, à cujus mentione etiamnum calamus abhorret. Speculatus jam dudum erat velut è longinquo, venerandus Senior, sive illud animi præsagio factum, sive ex collabentium virium conjectura, semperque piissima sollicitudine, se ad excipiendum hanc comparabat. Hoc animo cum esset, septimanis ab hinc circiter novem d. 25. Februarii. Colicis

licis dolotibus ex inopinata opprimebatur ea vi, ut animum fere plerique desponderent. Restitutus tamen sensim meliori spei eo usque fuit, dum 30. Aprilis, malum, quod ejectum videbatur, recidivo impetu ipsum invasit, cui abigendo quamvis diligentissimam operam navaret Vir Experientissimus, Excellentissimusque DN. CONRADUS VICTOR SCHNEIDERUS; Philos. & Medic. D. P. P. Facult. suæ Senior juxta & p. t. Decanus, ac Celsiss. Princip. Anhaltin. Archiater, ea tamen intemperie morbus incubuit, ut artem omnem non frustraretur modo, sed quoque eluderet. Qua remotus Noster, ut meliorem sui partem ex eo naufragio eriperet, salutari viatico ut instrueretur; desiderabat enixe. Accersitus in ea mysteria, Vir perquam Reverendus DN. M. AUGUSTUS FLEISCHHAUERUS; piissime pœnitentem voti sui compotem fecit: quibus peractis, Deo ille calidissimis precibus arbitrium de se permisit; nihil plane turbatus, nisi quod amantissimæ conjugis, liberorumque vicem intime doleret. Interea dum avertendo periculo nihil omittitur, conquisitissimisq; medicamentis naturæ labenti succurritur, illuxerunt funestæ illæ Calendæ, sub quarum initium meliuscule quidem habere cœpit. Secesserat interim ex animi ægritudine conjux afflictissima; cum ille ad dulcissimum Generum & Collegam DN. KIRCHMAIERUM conversus, certissimo animi præsagio se nosse, ait, fore ut hodie Salvatorem suum conveniret. Ad preces deinde & hymnos circumstantes; ad obsequium & pietatem liberos cohortatus, nihil horum intermisit, quæ ad levandos animi & corporis dolores faciebant. Adulto jam plenius die, Medicus accessit, à quo licet iterum felicissimæ medicinæ adhiberentur, calculus tamen & intestinorum dolor pertinacior fuit, quam ut vinci posset, & exhausta viribus natura, nihil ad conservationem sui conferret. Et licet circa meridiem, nescio quæ spes erigere mœstos videretur, non diuturna tamen ea fuit, dum mox præter calorem, languor quidam insolitus ægrotum occupat. Jamque in quartam pomeridianam processerat dies, & pallor suffusus faciei, signaque alia adesse finem indicarunt. Crebriuscule igitur à Sacerdote rogatus, numquid JEsum suum corde complecteretur, in ultimis affirmandi vocibus, defecit inter medias preces cantionesque cum in hoc mortalitatis stadio confecisset annos LIX. exceptis mensibus IV. septim. 2. dieb. sex. Ita malis omnibus cu-

risque

risque & laboribus ereptus NOTTNAGELIUS est, Deoq; suo junctus, æterna celebrat gaudia. Mæstissimæ interim cum liberis necessariisque ceteris relictis, Viduæ, divina ex intimis pectoribus solatia precamur, Numen clementissimũ obtestati, ut & jacturam hanc resarciat mature, & à funestis porro istiusmodi cladibus Academiam hanc immunem servet. Qui piis exuviis & memoriæ beati SENIORIS Nostri supremus adhuc superest solvendus honor, peragetur rite, cum ad hor. I. postmodo ex ædibus τȣ̃ Μακαρίτȣ in Templum Oppidanum funus Christiana pompa ducetur primo, & habita concione funebri, in Templum omnium Sanctorum, Arci contiguum deducetur. Vestrum est, CIVES ACADEMICI, decenti & prolixissimo comitatu, Viri clarissimi, longisque ut in rem alias literariam, sic in hanc imprimis Universitatem meritis conspicui, SENIORIS ac Præceptoris fidelissimi exequias ire: quod ut faciatis, non multis adeo hortamentis opus esse arbitramur. P.P. Dominica Jubilate, anno recuperatæ gratiæ cIↄ Iↄc LXVI.

SCRIPTA.

Institutionum Mathematicarum Pars Prima, continens Mathesin generalem, Arithmeticam vulgarem, Logisticam Astronomicam, Algebram, Geometriam, Trigonometriam, Geodæsiam. *VVitteb.* 1645. in 8.

Synopsis Mathematica. *ibid.* 1665. in 12.

Manuale Fortificatorium, oder kurtzes Handbüchlein von der Festungs Bau-Kunst / darinnen sieben Arten einen fürgegebenen Platz zu befestigen / und CCXII. Krieges-Regulen. Lübeck 1660. in 8.

Gründlicher Bericht/von dem Anno 1665. erschienenem importierlichen Cometen. Wittenb. 1665. in 4.

Manuale Architecturæ militaris, Teutsch. *ibid.* 1659. in 16.

Disputationes quoque nonnullas publice habuit e. g. de Silesia: De hypothesibus Astronomicis in specie, quibus motus stellarum ab occasu in ortum demonstrantur: Diatriben Chronographicam, qua de paucis regionibus, quarum in Historia sacra fit mentio, disquiritur, &c.

MEMO-

MEMORIA
Viri Summi, Literarum Phœnicis,
DN. THOMÆ REINESII,
Philologi, Critici, Polyhiſtoris ac Medici Incomparabilis,
Sereniſſimo Saxoniæ Electori à Conſiliis,
Lipſiæ XVI. Kal. Februar. An. cIↃ IↃc LXVII, placidiſſimè defuncti,
Cum ex Curriculo vitæ ab ipſo B.Doctore Germanicè conſcripto, tum ex aliis Schedis,
Renovata & translata,

NE igitur ſe inſolentius ſuo Hiſpania CIACONIO, Italia FULVIO URSINO, Gallia SALMASIO, Anglia SELDENO, ac Belgium MEURSIO jactarent, ipſe DEUS immortalis altiſſimam REINESIO indolem, ad totius Germaniæ decus, exterorumque admirationem, quadam conſilii ratione, contuliſſe videtur. Is *Gothæ Thuringorum*, anno ipſo ſupra ſeſquimilleſimum octogeſimo ſeptimo, Idibus Decembris, circa primam nocturnam, felici admodum ſidere, in orbem illuxit. Patre natus Virorum Integerrimo, *Iohanne Reines*, cive iſtius loci haud poſtremo; & Matre *Anna Zimmeriana*, Virtutum ſpeculo terſo ac limpido. Quibus nihil prius, nihil fuit antiquius, quam ut huncce filiolum eximie carum, per luſtricum ſacrum, Chriſto ejusque Eccleſiæ infererent. Cum vero bonæ mentis & ingenii ſtudiorum capacis igniculi confertim emicantes in puero conſpicerentur, Muſis eum, nec ſine maximo ſucceſſu, conſecrarunt. Vix triennis Scholam jam frequentare cœpit, ſimulq; cum duobus fratribus, privatos intra Muſæi poſtes, ſub ſtudiorum Magiſtris fidelibus atque doctis, mature operam dedit literis. Duodecimum cum ætatis annum attigiſſet, utramque linguam, Græcam nimirum ac Romanam, adeo calluit, ut intrepide proloqui, ſatisque congrue quicquid

quid vellet, calamo excipere valeret. Hinc singularis industriæ specimina, ista adhuc ætate constitutus, exhibuit, inter quæ Evangelia Dominicalia cum variis Psalmis precibusque, non soluta minus oratione, quam ligata facta, omnem laudis adoream adepta sunt. Quamobrem Viro impense docto, *M. Andreæ VVilkio*, ludi tum literarii in Patria Rectori solertissimo, maximeque fumigerabili, perquam gratus & acceptus extitit, qui eum sæpius in exemplum tot Scholastico cætui imitandum proposuit. Et quamvis minime ineptus jam tum, Scholas qui adiret regias, judicaretur, dexterrimis tamen Moderatoribus suis, *VVilkio*, *VVeitzioque* placuit, ut teneræ ejus ætat paululum parceretur. Unde factum, quod integro adhuc biennio primum inter συνδρόμους locum tenuerit, cum eo præprimis tempore Gymnasium illud Gothanum alumnos triginta etiam annorum aleret. Pater εὐσεβογόνατος, circa Pentecosten, anni CIƆ IƆC III, filios suos, *Christophorum* (Pastorem postea Ecclesiæ Lagenhemensis; in Districtu Hennebergico) nostrumque *Thomam*; studiorum, quam exorsi erant, telam pertexendi gratia; in Wittebergensem Academiam transtulit. De meliori vero nota Viris apud exteros quoque ingentii gloria fulgentissimis; *Taubmanno*, *I. Stelio*, *Balduino* commendabantur. Horum postremus eo inprimis laboravit, ut THOMAM REINESIUM, de quo plurima sibi eaque magna in omni literatura olim præstanda promisit; Theologiæ sacris conscraneum redderet; Nec destitit absentem, cum Altorfii, Noribergæ atque Geræ nonnihil subsisteret; creberrime monere, ac pene efflagitare; omnes ingenii vires ad sacram intenderet militiam; fore enim Eum aliquando Reipublicæ Christianæ Præsulem oppido salutarem, sagaci jam tum mente prævidebat *Balduinus*, Sacri Ordinis protomysta. Verum, quo minus gregem Christi suæ concredendum curæ susciperet, causam ejus rei, ut rebatur, satis habuit ponderosam. Ingenti quippe formidine correptus, dum a teneris Caninam istam literam decenter efferre neutiquam potuit; id quod, in recitandis ad populum concionibus, noxium sibi crediditi Consuetudine tamen ætatisque decursu illud linguæ vitium planissime emendavit. Præ studio itaque Medicinæ spiritualis elegit corporalem, ductus illustri præprimis exemplo Patruelis quondam sui, *Nicolai Reinesii*; Æsculapii non imæ caveæ. Ille etenim superioris ævi anno octogesimo secundo,
læva

sæva tum peste totam ferme Germaniam, adeoque & Noribergam, ubi sedem fixerat, passim occupante, affectorum plerisque opem attulit perutilem. Promeruit inde Vir experientia Medica longe inclutus, ut ab Invictissimo Romanorum Imperatore, RUDOLPHO II. Pragam evocaretur, vitæque illibi colophonem feliciter imposuit. Noster autem ὁ πάνυ, dum Athenis Albiacis, ceu supra innuimus, omni cum laude & alacritate literis incumbit, ex ore *Iacobi Martini, Trautleri, Rhodii, Gifenii, Stranchii, VVerenbergii* atq; *Lippii* ἀπρὶξ pependit. *Hettenbachium* insuper *Cocum* & *Sennertum*, (hujus præcipue ἀκρίβειαν summe admiratus, eidem ἀδιαπτώτως adhæsit) Medicam artem profitentes, flagranti & nihil non conante industria excepit. Annus tum erat seculi præsentis septimus, cum Jenam eo quidem animo se contulit, ut munificentissimum Serenissimi Principis Saxo-Coburgici stipendium, pro Medicinæ Operantibus delegatum, nancisceretur. In prænobili isthoc Musarum Prytaneo ὁ ἐν ἐυφημίᾳ Noster, Veteranus tanquam Apollinis Miles, etiam ante susceptum (quod raro fieri assolet) Magisterii gradum, Philosophica ut & Memoriæ artem per Imagines & loca, intra Musæi sui cancellos, benivolo Superiorum indultu, professus est. Quamvis vero à Spectabili Collegii Philosophici Decano, *Thoma Sagittario*, inter secundæ Laureæ Candidatos, gratuitus jam tum ei locus assignaretur, maluit tamen, publicis aliquot ingenii fœtibus, eruditioni partæ hederam præfigere, ac in alterum usque annum oblatum exantlati laboris brabeum rejicere. Anno cIↃ IↃcX. iter Bohemicum ingressus, Pragæ apud *Henricum Erndtelium*, Cæsareum Pharmacopolam. divertit, binosque ejus filios suavi virtutum ac literarum liquore imbuit. Eandem postea operam Perillustri *Iulio, Comiti à Schlikken* strenue navavit, ibidemque gratam sui apud omnes reliquit memoriam. Relicto Bohemorum regno, Francofurtum ad Oderam, fama atque meritis Excellentissimi *Rulandi*, Medici Cæsarei, pertractus, in consortio celebrium Virorum vixit non sine gloria, studiorumque suorum incremento. Neutiquam & hic acris REINESII sedulitas, quæ toto indies impetu ad altiora rapiebatur, se retrahi passa est; sed stadium sibi præfixum immoto animo & immarcessibili prorsus industria dexterrime absolvit. Tanta nunc Virtute, tanta etiam scientia perpolitus, non potuit non omnium bonorum in se amorem elicere.

Hinc *ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος*, *Henningus Arniſæus*, quam primum Noſtrum Beatum cognovit, ſingulari ilicet ipſum benevolentia omniq; *προθυμίᾳ* complexus eſt, & nihil quicquam intermiſit, quod gratum ei atque commodum accidere poſſe judicabat. Cum itaque ad uberiorem ingenii cultum capiendum, & externarum quoque regionum viſendarum cupidine flagrans, in Italiam contenderet, Paduæ aliquantiſper commoraturus, ſummis illum literarum Heroibus ſerio commendabat. Hîc, inſito naturæ ductu, rei cumprimis Medicæ ac Antiquariæ ſe totum mancipavit, inſignium ad hæc Doctorum contubernio & alloquio cotidie uſus. Non enim, ut plurimi hodie peregrinantium ſolent, perfunctorie, aut veluti Canis de Nilo lambit, exteras obibat REINESIUS regiones; verum penſiculate minutiſſima quæque animadvertebat. Si ergo quippiam ad futuræ vitæ commodum, ſanitatis recuperandæ artem, Venerandæ Antiquitatis notitiam, populorum denique diverſorum mores rite notandos, ſpectare videbatur, id ubivis mente oculiſque attentiſſimis obſervabat. In reditu perantiquam Rauracorum Academiam ſalutabat, apud Lycei hujus Baſilienſis Proceres favoris ac familiaritatis vadum tentabat, qui decenti rurſus eum humanitate ſuſcipiebant, nec niſi mitra Doctorali inſignitum, prout exquiſita ejus doctrina merebatur, dimiſerunt. Ita exornatus Altorfium Noricorum plenus adibat ſpei, ut ſympatriotæ atque Adfinis ſui, quem per omnem vitam intime coluit, *Caſp. Hoffmanni*, Medicorum Phoſphori, cura & favore, in Profeſſorium ordinem cooptaretur. Accidit circa annum cIↃ IↃc XV. ſummo annuente Numine, ut fidem *ὁ Μακαρίτης* Noſter dederit connubialem Virgini tum quidem ſexus ſui, ætatis ac generis ornamento, *Magdalenæ*, Nobilis & ſpectatæ probitatis Viri, *Chriſtophori Tèzelii*, Noribergæ ex numeroſiori, ceu vocant, Senatu, & Telonii ibidem (in der Oberwage) Præfecti, filiæ, ex qua, inter *ἀντιφιλήσεως* contentiones, tres filios, unamque ſuſcepit filiam; ſed cuncti in ipſo ætatis flore extincti, triſtem ſolummodo ſui memoriam Optimo Parenti reliquerunt. Contubernalem vero ſuam ita dilexit, ut in ea omnes theſauros ſuos poſitos exiſtimaret, nec quicquam pretioſius ea in rebus humanis ſe poſſidere ſtatueret. *Τῶν γὰρ πλούτων ὅδ᾽ ἄριστος, γενναῖον λέχος εὑρεῖν*, ut Comicus Græcus ait: *Optimas* nempe *divitias* ſtatuens, *ſi quis egregiam ac generoſam*

con-

conjugem nactus esset. Cæterum anno seculi hujus XVI. à Celsissimi Principis Marchio Brandeburgici Consiliariis gravissimis, *Mauritio Kanne*, & *Ioh. Baptista Baumio*, ut & Reipublicæ Bareitinensis Physico, *Tobia Bauerschmidio*, eximie commendatus, Variscíam petiit, inque urbe, quam Curiam sive Hoff, appellant, Medicinam exercere cœpit. Quum per biennium ista sparta peregregie ac provide functus esset; à Generosissimo & Perillustri Dynasta ac Domino HEINRICO, juniore, Lineæ RUTHENICÆ ac totius familiæ tum Seniore; Domino à Plavia &c. ut Archiatri partes; Scholæq; Ruthenicæ ἐπισκοπὴν susciperet, benigne invitabatur. Divinæ huic vocationi obicem ponere non ausus; sed quo fata ducerent, promto ubivis animo sequebatur. Qua vero fide, prudentia & dexteritate ab anno XVIII. ad ævi nostri XXVII. adeoque per novennium, in prædicta Civitate pariterque Aula se gesserit, documenta sane plurima, eaque inter ipsius Illustrissimi Dynastæ manu consignata; abunde loquuntur. Inde Alteburgum commigravit, ac ibidem amplissimis quoque muneribus conspicuus; in luce hominum & dignitate summa vixit. Sed quantum & hic XXX annis perpessus fuerit, durissimo præsertim belli pestisque tempore, quo se animo saluti publicæ devoverit, quoties maxima vitæ subierit discrimina, dummodo alios iisdem liberaret, ac Patriæ bene consuleret; sciunt dubio procul, & grato, ceu decet, pectore prædicabunt, quicunque Germani hujus Catonis prudentiam, animi candorem, & intrepidum pectus exactius noverunt. Cum autem ille, post primæ conjugis διχοτομίαν aliquandiu Cælibatum probasset, tandem tristia Viduæ domus mala ferre amplius haud potuit. Quare ad secundas, nec diu tamen ei secundas, nuptias adjecit animum, sibique anno cIↄ Iↄc XXXVI. Mense Februario, junxit præstanti Virtute & indole fœminam, *Dorotheam*, Viri quondam Clarissimi, M. *Iohannis Lozii*, Viduam. Cum qua, per XXI. annorum spatia, licet vixerit ἄτεκνος, amoris tamen reciproci haud ἄστοργος vixit. Ad reliquam REINESIANÆ vitæ ὁδοιπορίαν si convertamur, silentii potius siparo tanti Literatorum Principis Virtutes Christianas involvere, quam frigide de illis verba facere præstaret. Quoniam vero plane tacere non decet, extremis hic duntaxat lineolis Maximum Virum, tanquam Leonis unguem, depingemus. Hoc profecto solicite admodum agebat, ut non ipse solum ad ὑπο-

χαμμὸν à Servatore nobis relictum, humanitatis scilicet, patientiæ, mansuetudinis, aliarumque Virtutum, actiones suas componeret, sed & aliis exemplo egregie præluceret. Congregationibus sacris devote se agglutinabat, epulique divini usu frequentiori publicorum conventuum nervum arctius constringebat, atque sic fidei radios per charitatis opera foras mittebat. Sicut enim Beatus Noster singulari ardore φιλόθεος dici meretur; ita attenta sedulaque Sanctissimi Codicis lectione illud demum obtinuit, ut in genuinum ac literalem cujuslibet textus Biblici sensum, adhibitis interpretandi mediis, fontium nempe evolutione, ac Versionum diversarum collatione, penetraret. Hocce summum animi sui oblectamentum cæteris quibuscunque in fidei mysteriis altercationibus, quæ futiles sæpe, ad Christianæ religionis nucleum parum vel nihil prorsus conducibiles, & ex uno tantum alterove versionis rivulo, aut iis superstructis hominum commentis, deductæ esse solent, multis præposuit parasangis. Quid? quod domesticam ejus pietatem non parum promoverit utilissimus iste labor, quo Hipponensis Episcopi, D. AUGUSTINI, *Soliloquia*, nec non Consummatissimi inter Nostrates Theologi, B. GERHARDI, *Meditationes quinquaginta* plane aureas, Elegiaco Carmine, Latioque sermone, tersissime reddiderit. Alias externa REINESII conditio non pomposa & splendida, sed simplex, recta & ad ipsam honestatem erat composita, à blanditiis & mendaciis prorsus aliena: Fastum & fucum seculi ὀλοψύχως detestabatur, istasque artes, quibus hodie nonnulli sibi mirifice placent, versuti magis ac callidi, quam prudentes, & quod tantopere audire cupiunt, Politici, angue pejus fugiebat. In demandatis sibi officiis tam caste versabatur, ut DEO conscientiam puram utique & illibatam, superioribus obsequium & reverentiam, ac proximo cuique promtum inserviendi studium omnibus modis probaret. Testantur tot undique pauperes atque egeni, quos consilio, ope, imo variis ac pene infinitis sibi arctissime devinxit beneficiis. Testantur ingenui isti cives, quos, Consulatus sui tempore, æquitate & justitia rexit. Nunquam muneribus, nunquam gratia à veritatis tramite flecti poterat. Afflicto Reipublicæ statu, cum Atheniensium Duce fortissimo Conone, *non quæsivit, ubi ipse tuto viveret, sed unde præsidio esset civibus suis.* Vere igitur pauperum asylum, oppressorum refu-

gium,

gium,& errantium altissima pharus habebatur. Sub auspicium anni cIↃ IↃc LVI. à Serenissimo Saxoniæ Duce Altenburgico, clementissime impetravit REINESIUS, ut à publicæ rei cura & administratione quam immortali nominis sui gloria hactenus gessit, paululum liberaretur, ne immensis laboribus excellentissima ejus idoles, aggravescente etiam indies ætate, plane succumberet. In praxi autem Medica, intricatissima quæque morborum genera, quamvis alii Podalirii de iis plane desperarent, singulari fato ad Nostrum devolvebantur, in quibus si non voto semper eventus responderit, prudentiores tamen facile animadvertebant, qua ille peritia, judicio, fide atque solertia singula ponderaverit παθήματα. In lectione vero ea progrediebatur methodo, ut priscos ante omnes scriptores ἀκριβεστάτως evolveret, & quæ in iisdem loca depravata, obscura, non intellecta, præcipue in *Hippocrate, Aristotele, Galeno, Aretæo, Plinio Vtroque, Scribonio, Largo, Apulejo, Sexto Corlio, Aureliano, Marcello, Empirico dicto, Garioponto* emendaret, illustraret, explicaret, Græcorum versiones corrigeret, atque sic sensum cujusvis loci maxime proprium, sublimi ubivis mente investigaret. Simili quoque scrutinio aliorum optimæ notæ Doctorum volumina excussit, quemadmodum partim ex MS. Adversariis, partim illis ipsis Auctoribus, quorum editionibus emendationes suas variaque ἀξιομνημόνευτα apposuit, luculenter videre est. Præter ea, quæ publicæ jam luci exposita, continuis eruditorum manibus teruntur, ingenii REINESIANI documenta, reliquit ὁ θαυμάσιος Noster ingens quoddam *Volumen plus quam M. CC. Observationibus, Curationibus, Consiliis & Responsis Medicinalibus locupletissimum: ἱστορήματα Medicinæ, seu historiam, successiones & vitas Medicorum, ab aliis βιογράφοις prateritorum: Miscellanea Lectionum & Emendationum Medicarum: Libellum de notis veterum & Abbreviationibus, in plerisque linguis, nondum à quoquam observatis.* Hæc & ejuscemodi plura dubio procul absconditæ raræque eruditionis κειμήλια produxisset, si Deus ei vitæ pausam prolongasset. Tractatus porro Philologicos (quorum tamen omnes editos esse, nondum vidimus) ipsemet alicubi Auctor sequenti recenset ordine: *Commentationem Historico-Philologicam de Comitiva Palatina, ad Virum Perillustrem, Octavianum Roberetum, Cæs. Maj. Rudolphi II. Persona*

Medicum: De Lingua Punica: De Deo Endovellico: Notas ad Ioh. Seldeni Syntagmata de Dis Syris: Supplementum ad Gerh. Ioannem Vossium, de Historicis Græcis & Latinis: γλώσσας ξενικὰς, sive Glossarium vocum Barbararum apud Autores tam veteres, quam recentiores repertarum, κατὰ στοιχεῖον: Censuram nonnullorum in Claudii Salmasii Plinianis Exercitationibus: Sex libros Variarum Lectionum: Apologiam Chemiæ, contra ejus Osores; Tractatum Germanicum de Peste, multis subinde novisque observationibus adauctum: *Antidotum contra Sycophantæ Lipsiensis edentuli morsum: Commentarium* denique de difficillimis & à nemine hactenus explicatis *Inscriptionibus*. Accessit eidem *Auctarium*, in quo pleraque in Italia inventa, nec operi magno Gruteriano inserta reperiuntur ac dilucidantur; Hæc à Viris undique doctissimis Italis, Gallis, Germanis, Danis, Anglis atque Belgis tenerrime fuerunt expetita. Primitias harum Inscriptionum typis jam splendentium me Lipsiæ apud Autorem vidisse recordor. Sub exitum anni labentis seculi LXIII. *Fridericus Brummerus*, juvenis Virtutum experimento clarissimus, magno suo Mæcenati, THOMÆ REINESIO, de divino illo Veterum Inscriptionum volumine, venuste admodum gratulatus est. Ita autem ille Patronum suum inter alia alloquebatur: *Huic operi inest quiddam ἀκοινώνητον. Quippe quod nec exemplum habuit, nec parem sibi invenit.* INSCRIPTIONUM VETERIS ROMÆ SYNTAGMA, *è sinu Tuo prodit, quas novissime repertas, & varie hinc inde dispersas, partim summum in Te literas demerendi studium conduxit, partim in cœtu Musico præstantissimi quique Tibi unico in dubiis Apollini interpretandas transmiserunt. Has ex obscuris perspicuas, ex mutilis integras, ex depravatis correctas exhibes. Exhibes autem tanta cum explicandi dexteritate, ut non ex nostra, sed ipsorum στηλογραφησάντων memoria ætas tua videatur interpretanda. Nec dubito, si extincti fatu auctores harum inscriptionum jam reviviscerent, quin plenissimo veritatis testimonio εὐστοχίαν tuam sint comprobaturi. Occupasse quidem Scaliger & Gruterus, edito grandi Inscriptionum volumine videntur, sed quanto Tu ipsos post Te intervallo relinquis. Illi sylvam caduam dedere, Tu repurgatam. Illi ænigmata vulgarunt, Tu prodis Oedipum: Seu quo alio nomine adpellem illud, quale nunquam ab ullo*

Eru-

Eruditorum profectum est EPONYMOLOGICVM *, quod Syntagmati tuo additum perfectam expletamque omnibus numeris & partibus cognominum Romanorum notitiam nobis suppeditat. Nihil quippe horum neque in lapidibus, neque chartis extat, quod non hic legamus dispositum apte: evolutum ingeniose: dijudicatum acriter. Quin etiam Romanis illis Graca quadam & Teutonica miscentur, De quorum explanatione, nisi Tu contigisses, desperatum erat omnino. Vt per hoc demum Eponymologicum Gruteriana Inscriptiones fructuosissime in doctorum manibus sint futura. Neque vero est, quod post Gruteros objiciantur mihi Chiffletii, Pignorii, Liceti, Vrsati, Tomasini, tanquam explicatarum Inscriptionum fama illustres. Etenim dubito, an honestius pudori suo consuluerint, si intra Gruterianam se modestiam continuissent: si cogitassent, non eadem astimatione Scriptorum & Inscriptionum expolitionem esse metiendam, quod in illis plenus Orationis contextus longe faciliorem commentandi laborem faciat: in his ex literis & syllabis Inscriptionis mens elicienda: illic consueta & regulis suis definita sit verborum constructio: hic insolens & arbitrii inscribentium: illic offusam caliginem exorta sape in Inscriptionibus lux disjiciat: hic multa occurrant, quibus sanandis frustra ex Historicorum libris medicinam quaras.*
Tanto proinde eruditionis omnigenæ apparatu instructus Noster REINESIUS, tanto insuper Virtutum splendore coruscans, non potuit non à Magnatibus Europæis justo æstimari pretio. Ad Aulas quippe, Academias atque Respublicas illustres subeundas, aliquoties expetitus, illis tamen suam addicere operam, promissis licet stipendiis perquam amplis, minime voluit. Nam ab inani mundanorum gloria, sub qua maxima sæpenumero latet miseria, experientia edoctus, meritissime abhorruit. Quin & quaslibet, scivit, sub sole dignitates fluxas esse & inconstantes, ideoque tales, quæ possessores suos è solio facile dejiciunt atque perfundant. Nec tamen adeo latere potuit, quo minus indies è longinquis terris, ab inclutis Viris, Epistolæ adfluerent REINESIANAM facundiam ac sapientiam avide sitientes, ut quasi in mercatura bonarum artium μεγαλέμπορος videretur. Ipsi enim hanc Fata gloriam destinarunt, ut merces ab ingenio divite profectas, in hac mortalitate immortalitas commendaret, elegantia eidem pre-

tium imponeret. Numerarunt hoc merito in felicitatis suæ censu absentes Theologi, JCti, Medici, Philologi, per universum orbem eminentes, qui τὸν ἐν εὐλογίᾳ Nostrum intimo adfectu & honore prosecuti, literarium cum ipso commercium frequenter instituere. Indubie Vir Summus id sibi proposuit, ut à turbis mundanis paululum remotior DEO Opt. Max. eo arctius adhærere posset. Hinc Lipsiam elegit, senectutis suæ receptaculum, ubi *optabile* fuit, juxta illud Busquetii, *sibi posse vivere & Musis, & cum paucis non fallacibus Amicis in agelli sive Musei angulo consenescere. Aut nulla est in hoc terrestri exilio, aut ea demum vera vita est.* Interea temporis ad piam placidamque ἀνάλυσιν se continuo præparavit, prout quam plurimis ex imo corde fusis declaravit suspiriis. Quorsum & illud spectat, quod Græco versu expressit:

Οὖλος ΡΕΙΝΕΣΙΟΙΟ βίος· τὰ δ' ἔπειτα μελίσσης,
ΧΡΙΣΤΩ Ζωοδότῃ γράψατε ταῦτα λίθοις.

Cum ævi nostri Varrone, *Scaligero*, animam suam profecturam hunc in modum allocutus est:

Egredere, ô miseris multum defuncta ruinis,
Egredere & servis servilia regna relinque.
Aude, Hospes, tenebris horrendi imponere finem
Exilii, & patria speratos quærere sedes.
Tristes exuvia, falsaque incommoda lucis.
Istic nunc, fera turba, jace, nos libera cœli
Pignora sperato jam jam potiemur Olympo.

Et iterum:

Nate Deo, frater, rerum pia victima IEsu,
Adspice me, qui cuncta animas, mortemque senilem
Exue morte nova, atque nova vita indue vitam.

Piis & árdentibus ejuscemodi innixus Meditationibus ferme Octogenarius, vitæ humanæ satur, ad plures abiit, ut Christo æternum serviret, XVI. Kalend. Februar. Anno cIↄ Iↄc LXVII. & quinto Kal. Martii honeste sepulcro illatus est. Ita hoc Germaniæ Oraculum obmutavit: Ita inexhaustæ eruditionis fons exaruit: Ita ἔμψυχον μουσεῖον oculis nostris subtractum dolemus. Vos, quicunque Gratiis Musisque sacra facitis, perpetuos Amaranthos, grati animi Symbola, piis inæstimabilis REINESII Manibus adspergite. Vos abditæ antiquitatis Amasii, ubinam etiam

loco-

locorum degitis, Nomen tam amabile & ipsi Apollini honoratum, non columnis, trabibus aut saxis; verum monumentis æternæ laudis incidite. Stabunt ejus effigies, non ut olim in foro aut agris, sed in illorum mentibus, qui hæc ampla & diffusa Viri in Rempublicam literariam merita candidis, & à vulgi alienis judiciis æstimabunt. Obstupescet docta posteritas, & quandoque inter illam quæretur: An MAXIMA REINESII Opera ab homine confici potuerint?

In Excessum
Nobilissimi, Amplissimique Viri,
THOMÆ REINESII.

Hector Musarum REINESIVS occidit! Ergo
In nos barbaries qua data porta ruet.
Dic, quem dicemus, nostro Varrone remoto,
Hellados & Latii Teutoniaque decus:
Vt Cato erat summus Rhetor, Dux atque Senator;
Sic hic, quod nunquam fama negabit, erat
Philologus, Medicus, Polyhistor denique summus.
O felix! qui sic incubuit studiis.

L. FRIDERICUS GEISLERUS,
Silesius, Maj. Princip. Colleg.
Collegiatus.

SCRIPTA.

Chematria, hoc est, Medicina Chemia exornata, *Geræ Ruthenicæ* 1624. in 4.

De Vasis Umbilicalibus eorumque ruptura, observatio singularis. *Lipsiæ* 1624. in 4.

De Deo Endovellico, ex Inscriptionibus in Villa Vizosa Lusitaniæ repertis, commentatio Parergica. *Altenb.* 1637. in 4.

Γεωργήματα Linguæ Punicæ, errori populari Arabicam & Punicam esse eandem, opposita. *ibid.* 1637. in 4.

Variarum Lectionum libri tres, in quibus de Scriptoribus sacris & profanis, classicis plerisque, disseritur. *ibid.* 1640. in 4.

Defensio Variarum Lectionum. *Rostochii* 1653. in 4.

Commentarium in Veterem Inscriptionem Augustæ Vindelicorum haud pridem erutam. *Lipsiæ* 1655. in 4.

Epistolæ ad Casparum Hoffmannum & Christophorum Adamum Rupertum. *ibid.* 1660. in 4.

Petronii Arbitri Fragmentum cum epicrisi & Scholiis. *ibid.* 1666. in 8.

Epistolarum ad Nesteros Patrem & Filium farrago. *ibid.* 1670. in 4.

Epistolæ ad Joh. Vorstium. *Coloniæ-Brandeb.* 1667. in 4.

Epistolæ ad Christianum Daumium. *Hamburgi* 1672. in 4.

Herodoti Halicarnassei Orationes cum notis. *Lips.* 1675. in 8.

ORATIO PARENTALIS
In
Tristem & luctuosum obitum
VIRI
Nobilissimi, Amplissimi & Excellentissimi
DN.
JOH. CUNRADI DIETERICI,
Græcæ Linguæ & Historiarum in Academia Marpurgensi & Giessensi Professoris famigeratissimi,
Scripta, & d. 18. Mart. Anno 1669.
In solenni Auditorio dicta,
à
M. HEINRICO PHASIANO.

Magnifice Domine Rector, &c. &c.

VIX ulla salutaris æque variis hominum calamitatibus, quibus à Deo exercentur, parata medicina est, ac Patientia, summe mortalibus tanquam certissima mentis anchora

chora necessaria, ad quam exorientibus periculosissimis in infesto hoc humanarum vicissitudinum Oceano procellis atque fluctibus tutissima fuga patet. Quæ quidem prima malorum facie eò afflictorum animis hæret difficilius, quò major quæ premit miseria est; Temporis tamen tractu indole mali perspecta in pectore radices agit, longaque assuetudine in consortium quasi admissa pullulare incipit, uti dubium sit, majornè vis in toleranda calamitate dictæ Virtuti sit, quam tempori adscribenda. Et sane hoc magnum rebus momentum adferre, è variis deprehendere experimentis licet. Tempore namque silices atteruntur, tempore Leones innata feritas destituit; Eodem generosissimorum Equorum ferocia domatur, Tauri efferatissimi ferunt jugum, exponente ingeniosissimo Vatum Nasone: Luctum denique & curas etiam gravissimas si non omnino è miserorum animis eximit, at lenire tamen easdem in cofesso est. Inde dubio procul profectum fuit, quod tristi Academia nostra tacitoque secum mærore perpenderit jacturam, quam passa ex obitu est *Viri*, dum viveret, *Nobilissimi, Amplissimi, atque Excellentissimi, Domini Ioannis Cunradi Dieterici, Historiarum & Græcæ Linguæ Professoris famigeratissimi,* huc usque debitum Virtutibus tantis piæ Parentationis officium distulerit. Nimirum expectabat ut luctus mœrorque vetustate imminutus animos redderet sedatiores, & oratio tandem tot tantisque Viri meritis par exsurgeret, qualis nequit, ubi mæstis affectibus cor oppletum in luctu constitutis verborum ne tenere quidem modum concesserit. Et hoc quidem prudens nostrum, certè pium, erat consilium, quod dum exsequi dicendis Beati Viri laudibus sperabamus, ecce! recruduit soporatus dolor, & vix depositi luctus memoriam præsentium curarum facies renovat, quæque Patrum Mortes deprecatam se in longum esse sperabat Academia, affligitur denuo, funere funus insequente. Hinc tantum in subselliis inane est, migrantibus ad Beatarum Mentium sedes Procerum Optimis, quorum è numero B. quoque noster Dietericus erat, qui quidem abitu suo felix imo immortalis est factus, at nobis amplissimam lugendi materiam suggessit! Equidem Tullii decreto fas haut erat, ad vetustatem recurrere, atque à tempore expectare medicinam, ratione vero & prudenti consilio luctum eodem Autore moderare debebamus; sed morata bonum consilium

tot tantaque mala æque omnem fere pacatæ rationis usum inhibuerunt. Degeneret igitur in lessum oratio sereno olim lætiorque schemate proditura, & pariter mecum lugete A. casum Viri, lugete cum Rep. literaria casum Theologi, Medici, Philosophi; lugete casum cum Familia Patris olim fidelissimi. Dumque unde luctus merito cietur quali quali orationis filo deduco, ore linguisque favete, & vestro declarate silentio, esse communi luctu postquam fato functus est dignissimum, qui dum fuit, Studiis, Consiliis & Actionibus suis commune adjuvit bonum, ejusque incrementum pro viribus promovit.

LUGE ô Respublica literaria casum hujus Viri, Philosophi, Medici, Theologi! Atque ut luctus hujus publici materiam è postremo arcessam primum, quotusquisque est qui nesciat hoc Viro stante, stetisse verum Theologum? Theologum dico, studio enim sacro uti initiatus ita beate eidem immortuus est. Id quod jam jam liquebit. Natus in hanc lucem est Anno supra millesimum sexcentesimum duodecimo, decimo nono Januarii die, horam inter undecimam & duodecimam diurnam, & natus est stemmate summorum Theologorum feraci, qualis Parens fuit & Patruus, uterque SS. Theologiæ Doctor, hic post maxima in patriam Academiam merita Ecclesiarum Ulmanarum, ille tandem Giffensium Superintendens vigilantissimus. His curæ fuit, inprimis autem Parenti, nativas filii virtutes excitare, ergo Sacri Baptismatis fonte lotus (ex quo Patris & Patrui omine felici nomen tulit) postquam pueritiæ annos attigisset, quantum per teneram ætatem licuit, in prima literatura & pietate profecit. Per Scholas porro tum patrias tum alias eundo literis humanioribus ad votum suorum excultus animum ad ulteriora intendit. In quem finem Academias adiit, Marpurgensem, Argentoratensem, Jenensem, alias. Quam se gesserit Strenuum in Studio Sacro tot loquuntur Exercitia, quibus & publicè & privatim interfuit. Argentorati quidem audiit Dn. Notterum SS. Theologiæ Professorem, ut & Dn. D. Schmidium, quem quoties memoria Ejus obversaretur, B. Dietericus celebrare solebat, tanquam qui sibi fuerit πρὸς τὴν ἀλήθειαν κάλλιστος ἡγεμὼν, καὶ πρῶτος καθηγητής. Nec sane minor Athleta fuit in aliis Academiis. Cum enim Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto Jenam Studiorum gratia se contulisset, nihil habuit antiquius,

quius, quam Theologos ejus loci tum temporis celeberrimos, Dn. D. Joannem Geratdum, & Dn. D. Joannem Himmelium adire, eorumque consortio & laudata in rebus Theologicis informatione frui. Et vero pulchre processit negotium, sub hoc enim privatum habuit Collegium Syntagmaticum & Galatinum publicum; Illum publice posteriorem Epistolam Petri interpretantem, privatim autem ternis Collegiis Aphoristico, Isagogico, & Anti Wendeliniano, celebri cuique Auditorio, præsidentem audivit. Et ut ostenderet frustra se tantos Theologos non audivisse, eodem anno, vigesimo septimo Septembris die de publica cathedra cognitionis Theologicæ præclarum specimen edidit, theses de Natura Dei, & Attributis Divinis defendens, quæ Disputationem tertiam in Collegio B. Gerhardi Isagogico constituunt, ubi & Dn. D. Joan. Major, Superintendens amica συζητήσει examinabat & approbabat Nostri in rebus sacris scientiam; nec contentus tale industriæ suæ documentum se exhibuisse, sequenti Anno proprio Marte elaboratam publice habuit Disputationem Anti-Wendelinianam, Dnn. Theologis Marpurgensibus inscriptam, quam ut conscripserat docte, ita contra Strophas Adversariorum eam defendit, Bonorum omnium applausu. Imo qua ratione in oculis fuerit Theologis orthodoxis etiam in locis remotioribus viventibus Matthiæ & Brochmando, ut reliquos taceam, ex Elogiis variis quæ B. Dietericus hisce suis Doctoribus scripta reliquit, elucescit, quibus debitorem se post fata profitetur. Quanti vero Eum Hieron. Prætorius ob Studium Theologicum fecerit, ex ipsius ad Amicum quendam literis doceri posset, si instituti ratio permittere, in quibus vocat Eum indefessi Ingenii Hominem, cui nihil difficile, quemque ad summa natum videat agnoscatq; lubens. E quibus omnibus constare arbitror, fuisse B. Dietericum nostrum à Theologis summis non mediocri habitum loco, neque falsam fuisse famam, quæ inter celebres Eum dudum locarat. Equidem ob causas gravissimas Studio Theologico ita porro incumbebat, ut tamen aliis potius vitam dare secum statueret, per quam totam erga Deum, Principem, Collegas, Familiares, Proximos suos ita se gessit, ut cerneres esse animū Ejus vera Theologia subactum. Elucescebat id ex omnibus Ejus Actionibus: in loco sacro observabatur

Reli-

Religio, in conversatione Fides sincera & Candor, erga omnes cujuslibet Conditionis & ætatis homines animus intemeratus, talisque qui nollet esse nobiscum, qui omnia nostra cogitata, dicta, facta, audiat videatque. Imo si penitius omnia Ejus acta introspexerimus, deprehendemus vitam ipsi inter mera ad DEUM suspiria esse transactam. Sic ait cum de Nomine cogitationes piæ mentem subirent: *In Baptismate Ioannis Cunradi nomen accepi; spondente pro me D: Cunrado Dieterico, Professore tum Gisseno; Parentis Fratre unico Germano; Ioannis nomen monet me de DEI gratia; quod ut DEI gratiam Hebrais notat, ita oro; ut eam semper & in hoc seculo & in futura vita sempiterna DEVS O. M. mihi benigne concedat!* Atque ut prima nascendi conditio & impositio Nominis meditationes Christianissimas suggellerunt; sic de felici ex hac vita exitu beatoq; in Cœlos ingressu cogitavit frequentissime. At quid dico, cogitavit? ardentissime precatus est, quæ preces inter alia Ejus scripta sic elegantissime leguntur concepta: *O Domine IESu! da in hora mortis meæ mihi efficaciam solatii; da ut superem constanti animo insultus quotquot sint: Sustenta Cor, erige Mentem contra infirmitates carnis & tentationes Diaboli; Cordis extremas palpitationes per viscera Misericordiæ fove; extingue igniculos labascentis caloris irroratione Sanguinis tui, & Spiritus Divini vehiculo spiraculum vitæ ad quietem æternam perducito. Amen! Amen! O IESV! in quo sunt omnia, Amen! Fac & hoc Amen!* Quam vero sedulo in agone sibi tandem constituto in tempore voluerit cautum, ex eo satis superque apparet, quod propria manu hæc mandata suis reliquerit: *Morienti mihi proponantur dicta CHRISTI Ioh. V. 28: & VI. 41:* Quæ ipsa cum de Resurrectione argumento adversus mortis formidinem efficacissimo solatiique plenissimo agant, extra dubium est; hanc vera in CHRISTUM fide B. nostrum Dietericum apprehendisse, eaque fretum contra omnis generis hostes magno & imperterrito animo pugnare decrevisse. Quam etiam post fata Corpusculi curam habuerit ex hoc ejus relicto scripto colligitur: *Inferri mea sepulcro Parentis Ossa si possunt, gratum erit supremum hoc & ultimum honoris Officium, ut Patris sic Ossibus Ossa Filii contigua expectent simul apparitionem Gloriæ Servatoris nostri in universali Resurrectione, quæ ut Parenti, sic spero mihi eveniet salutaris & beata. Faxit Supremum Numen ut audiam latam vocem! Intra*

in gaudium Heri tui. Quibus continuo subjunxerat: *Veni Domine IEsu! veni! ut Ego ad TE veniam, ad TE per TE traductus.* Ut & hosce puram pietatem spirantes versiculos:

Me do meque dedi me sum TIBI CHRISTE daturus,
TV Dominus Vita Mortis erisque mea.

Atque hæc quidem sufficienter probant fuisse B. nostrum Dietericum Theologum doctrina pariter atque vita insignem, cujus animum intrepidum ne quidem mors fregit, qua ad Beatos transiit, expleturus omnimode, quæ dum in terris egit ex parte addidicerat.

LVGE casum hujus VIRI ô Respublica literaria, tanquam casum consummati Philosophi! Si hic altius à Cunis ordiri, si latius quæ bullata ætate ingenii se prodiderunt signa describere; si annos prætextatos Ejus, & qui hic animi igniculi radiarunt commemorare velim: Si lætissimam juventam, applausus Formatorum, Parentum gaudia, Patriæ spem, omniũ admirationem describere; denique si omnes B. Dieterici Philosophiæ addiscendæ gratia susceptas peregrinationes variaque exercitia enarrare præsumerem; næ nimis ampla orationis sese panderet materies! imo dicendis dies vix ac ne vix quidem sufficeret. Placet itaque plerisque silentii siparium obducere, contentus per summa tantum ire rerũ fastigia, unde tamen appareat facile, longe infra Viri merita esse, quæ Fama de eo per orbem circumfert. Quo igitur recto ad Philosophiam tramite duceretur, primo statim ætatis flore in patria Schola educatus ad annum quartum & decimum est sub Præceptoribus Urbicis, quos inter multum debere se B. Dietericus fatetur Georgio Friderico Kirchnero, Thuringo, in politiori literatura Informatori Strenuo. Fundamentis igitur feliciter jactis missus est Ulmam, flagitante Patruo itemque susceptore, loci tum temporis Ecclesiaste & Superintendente, uberioris Eruditionis capessendæ ergo, sub Rectore tum temporis Joanne Philippo Ebelio, Con-Rectore vero Jo. Merckio. Primumque semestris curriculum fuit in Classe sexta, è qua postea in Septimam, quæ suprema fuit, promovebatur. Cursum autem hoc in Gymnasio maxime tum florenti cœptum absolvere non licuit, non quidem per Facultates, sed ob impedimentum aliud quo suffiaminabatur; ut aliquid Parentis expectatione votoq; suo condignum præstare non potuerit. Inde avocatus Marpurgum mittebatur,

tur, ut firmiora in Illustri Pædagogio præsidia literis compararet, è quo tandem cum aliquot συμφοιτητῶν καὶ συμπαιδευθέντων exemptus atque ad publicas Lectiones admissus fuit. Tum vero alto supercilio contra communem fere hujus ætatis consuetudinem corporis illecebras, adversus rationis arcem jugiter molientes eidemque insidiantes, despicere cœpit, gnarus viliora corporis mancipia iis detineri, nec facile ab infima cupiditate tolli ad degustandum verum & Summum illud Bonum, quod ipse strenue sectatus est; quod animo conceptum honestati adblanditur, Voluptas vere Philosophica, quam Plato in suis de Republica libris nuncupat. Existimabat voluptuariam hanc corporisq; deliciis affluentem, brutalem potius quam humanam esse vitam, meramq; noctem, cui nullus affulgeat Virtutis aut Rationis splendor. Existimabat Voluptates illas Corporis esse Beatitudinem tenebris involutam, qualis ab Arriano in navigatione Lybica describitur, & quam videre Hannoni Atheniensium Imperatori contigit. Existimabat sævire tandem in cultores suos hæc voluptatis corporeæ lenocinia, & sub eorum delinimentis hamos occultari & laqueos, quibus miseri demum impliciti misere pereant. Existimabat Tarantulam, oblectantem & titillantem sensus, interim corpori noxium virus instillantem. Iis igitur valere jussis veram illam non corporis sed animæ Beatitatem Virtute & industria parandam mente concepit, quem & in finem Anno 1630. Argentoratum se contulit, Nomenque suum apud Rectorem Casparum Bitschium J.U. Doctorem & Professorem professus, Reipublicæ illi fidem, Rectori Obedientiam, Professoribus Observantiam, Civibus Humanitatem; Vitam denique totam Academiæ legibus convenientem promisit. Quibus promissis quamdiu ibi commoratus fuit, stetit, vixque tandem à Doctoribus suis dimissus Jenam comitantibus lætis gratantium votis profectus est. Hac in Academia post varia Eruditionis Theologicæ specimina supra tacta se tandem totum studio Philosophico in specie Linguarum & Antiquitatis dedit, norunt id qui adhuc superant commilitones, declarat autem B. nostri Dieterici Disputatio de Usu Lectionis Scriptorum Profanorum in SS. erudite conscripta, ac sub Præsidio Dn. Dilherri animose tertio Octobris die Anno 1635. asserta, postquam communi omnium Auditorum suffragio non mediocriter docti Viri juvenis nomen est adeptus. Quanta vero industria

dustria studia sua prosecutus fuerit, vel ex hoc manifestum est, quod non contentus proximas Patriæ Scholas frequentasse, ad Exteros quoque, Belgas puta, Danos, Borussos adierit, atque eruditionem ex universo literatorum Choro haurire cum insigni tum impensarum jactura, tum Vitæ & Sanitatis certissimo periculo veritus haut fuerit. Postquam enim Parens Ejus diem suum obiisset, à Fratribus ad componendas privatas res Gissam vocabatur, profectus dereliquit quidem Jenense Doctorum Collegium, sed tanta erat quærendæ apud Exteros quoque Eruditionis Cupido, ut, quin aspera hyeme in Belgium etiam per media infensissimorum hostium castra, locaq; periculosissima excurreret; detineri non potuerit. Visis itaque omnibus fere ad ripas Rheni urbibus & oppidis, visa Colonia urbe illa antiquissima, ejusq; Academia, per Vesaliam, Embdam, Arnhemium, Ultrajectum, Amstelodamum tandem delatus est, ubi ut Gymnasii Professores Gerardum Joannem Vossium, Caspatum Barlæum & alios salutaret per oćtiduum substitit. Inde viso Harlemo Leydam profectus est, cujus Urbis Academia virorum doctissimorum Copia in omni studiorum genere tum affluebat. Quos præcipue consuluit B. noster Dietericus erant Marcus Zuerius Boxhornius, Dan. Heinsius, & Constantinus L'Empereur. Cæterum quoties aditus patuit ad Bibliothecam hujus Academiæ, Scaligeri ut & Bonaventuræ Vulcanii MSS. nobilitatam, quod singulis septimanæ, Mercurii & Saturni diebus fieri solebat, rarissima in usum suum monumenta evolvit, inter illa Chrysostomi editionem Etoniensem, in quam Henricus Sacilius Præfectus Etoniensis Colleg i viginti florenorum millia fertur impendisse. Publice hic audivit laudatum Constantinum L'Empereur Ebræo ore explicantem perspicue & facili modo aureum illud Filiorum DEI Alphabetum, Psalmum centesimum nonum & decimum; privatim autem Rabbinorum doctissimos explanantem. Maximum vero fructum ex conversatione hac, ut & mutua cum Joanne Gronovio, qui Hagæ Comitis tum substitit, συζητήσει literaria cepisse se B. Dietericus fassus est sæpissime, nec omissum hoc literarum commercium cum remoti, alter Hardewici, Marpurgi alter degerent. Belgio lustrato libido animum Ejus incessit Daniam visendi, ut Soram adiret & Haffniam, & Regni hujus Bibliothecis Eruditorumq; frueretur congressu, in quo Regno dum per annum ageret, literatorum Meursiii imprimis, Stephanii, Burleri,

Laurembergii & aliorum ob egregia animi dona tantum expertus fuit favorem, ut per Cancellarium Reventhalium Regi, per Regem Academiæ Haffniensi ad Professoratus Officium commendaretur, rem vero hanc ita nec aliter esse, è regiis literis in Archivo Academico asservatis liquere poterit. Borussiam tandem non alia de causa adiit, quam ut Doctos audiret, seque consortio Eorum indignum haut esse probaret. Et Regiomonte quidem jucundissimam & salutantium & gratulantium expertus Doctorum benevolentiam est. Vix enim Urbem erat ingressus, cum interprete Clarissimo Viro Simone Dachio, de adventu Ejus Academia sibi gratularetur, á singulis ex eo per aliquot septimanas liberalissima compellatione exceptus, locupletissimam Bibliothecam ingressus est, ut, quod factum quoque, instructior inde abitet, professus enim est ingenue B. Dietericus, magna se quidem delectatione Urbem adiisse, abiisse vero emolumento longe majori. Non poterat non fertilis esse redux è tam longinqua Doctorum negotiatione animus, igitur antequam patrios lares contingeret, operæ duxit pretium dudum promeritos Magisteriales Honores Jenæ petere, quos facilime A. 1639. 19. Februarii die, sub Rectoratu Viri Magnif. Dn. Guerneri Rolfinckii, Phil. & Med. Doctoris Celeberrimi, Promotore M. Daniele Stahlio, Metaph. & Phys. P. consecutus est. Non fuit B. Dietericus ex eorum numero, qui dum vix ab Eruditionis Officina calent, altum sibi sapere imaginantur, atque supremos in facultatibus honores ambiunt; sed primo ei & potior cura fuit animum solida scientia instructum habere, deinde vero, quando ita more receptum esset, admittere titulos, id quod & Epigramma aliis Amicorum acclamationibus à M. Joanne Fabricio Noribergensi insertum, laureæque B. Dieterici dedicatum testatur.

JAN-DIETERICE Patris Patrui, *propriaque celebris*
Virtute, Ingenii divitiisque Tui;
Hassia *quem genuit, tenuitque & fovit Amico*
Annos complures incluta IENA sinu:
Qui perlustrasti Belgarum *providus ora,*
Quique tuo Cimbris *notus es alloquio;*
Cur summos dudum meritos Virtutis honores
Tam sero adsequeris? quærere si modo fas.
Quod si fas quoque sit mihi respondere, vetustum
Tu comples verbum: Sat cito, si bene sat.

Cum

Cum bene promeritus decus hoc sis Philosophorum;
Confert id reduci jam quoque Jena cito.

His igitur Honoribus auctus, à Serenissimo gloriosæque memoriæ Principe ac Domino, Dn. GEORGIO II. Hassiæ Landgravio, &c. &c. eodem anno clementer vocatus est, ut in illustri, quæ tum erat Marpurgi Academia, Linguam Græcã profiteretur, auxiliarique manu Dn. Victoris senectam rude donatam & otio in posterum domi fruiturã sublevaret. Qua vero solertia, qua industria à primo vocationis tempore officio suo fuerit defunctus, testes è longinquo petere opus non est, Vos ipsos A. O. invoco qui maximam partem laboriosam Ejus operum vidistis, audivistis, comprobastis. Testem satis locupletem produco dictum Beatissimum Principem, qui cum Lingua Græca Historicen quoque profiteri Nostrum jussit. Numquam sane sordide hoc suum Professorium munus prostituit, non vili mercedula, non solo propriæ laudis aucupio id exercuit, sed unice Supremi Numinis gloriam & post hanc discentium promovere Bonum sibi propositum habuit. Aversatus semper Themistii aliorumque Sophorum abjectionem & ignominiam est, quorum alii laudis & famæ studio frumento passim suppeditato Auditores ad sua Gymnasia advocabant, alii vero veluti scientiarum caupones grandi eas pecunia venditabant. Quos jure meritoque Tacitus & Athenæus veluti gloriæ & avaritiæ mancipia arguunt, aut vanitatem aut sordes mercedesque à Discipulis captantia. Non sic noster erat, nec ex eorum choro, qui aquam ne proflueret in publicum, distinebant, à Themistocle olim mulctatorum; ut Hydrophoræ Nymphæ imaginem dedicarent. Imo majori mulcta dignos censuit Doctorum illos, qui sordida tenacitate scientiam ingens illud & gratuitum DEI donum, quo ornantur, detinent, & cum Seneca cupiit omnia in alios transfundere, quæ noverat, quod nullius Boni sine socio sit jucunda possessio. Indeque profectum est, ut pro innata generosæ indolis voluntate sui communicandi ita se orbi consecraverit, ut nulli nunquam pectus Ejus & domicilium fuerit clausum, sed semper patuerit, tanquam augustum Eruditionis sacrarium, ad quod tanquam ad perennem ingenii fontem & doctrinæ undique confluebant, non Adolescentes tantum, sed Mystæ, imo Musarum Antistites, illustri loco positi, quos allegare instituti non patitur. Docere autem ad extremum usque

Spiritum perstitit, ratus Professione publica dignitatem omnem ornari non minui; memor idem docendi munus quosdam quam Præturam maluisse; & Isocratem licet octo & nonaginta annos natum nunquam à docendo cessasse. Cæterum orbi exposita ingenii, laboris, atq; industriæ pignora, multifariæ Eruditionis albo Doctorum calculo notata monumenta. Agmen merito ducunt *Antiquitates Biblicæ*, sequuntur quæque splendore suo, *Breviarium Historicum & Geographicum, Breviarium Pontificum, Antiquitates Romanæ, Historia Imperatorum, Breviarium Electorum, Comitum, Doctorum, Hæreticorum, Conciliorum. Dissertatio de Vsu Scriptorum Profanorum in Sacris.* Et hæc quidem historici argumenti sunt. Ad illustrandam Græcam Linguam potissimum sequentes lucubrationes faciunt: *Lexicon Etymologico-Græcum, Lexicon Græco-Poëticum, Harmonia Linguæ Græcæ & Latinæ, item Linguæ Græcæ & Germanicæ; Harmonia Græco-Thalmudica, Commentarius in Hesiodum. Aphorismi Hippocratis illustrati, Iatreum Hippocraticum, Græcia exulans superioris seculi, Discursus Peregrinantium, Musæum totius Orbis literati.* Mirati fæcundum hoc pectus Procerum multi enixe sibi id conciliare allaborarunt. Diximus supra de Daniæ Rege Christiano IV. Helmstadii cum diem suum obiisset Græcæ Linguæ Professor Breneccius, primum Philosophicę Facultatis, post publico Academiæ totius Consilio, Serenissimorum Ducum Consiliariis nominatus Beatus noster Dietericus est, qui in locum defuncti Breneccii succederet, etiam scriptum est, ut quid B. Dieterico de exornanda hac sparta animi esset constaret, sed cum literæ intercide-rent, & Helmstadienses sequiora è silentio conjicerent, res ad alium devenit. Indoluerunt interim re comperta huic literarum suarum casui, proinde paulo post, ne hunc virum elabi sibi paterentur, ad professionem Ebraicæ Linguæ Eum invitarunt, & ex secunda hac vocatione propensionem æstimans secutus esset, nisi Patriæ suæ Patrem, supra memoratum gloriosissimæ memoriæ Principem, nunquam satis laudandum, deserere religioni duxisset. Exorientibus in Hassia nostra dissidiis inter utramq; Domum gravioribus, primum Principis jussu in Aulam ad disponendum Archivum secessit, post venia ad tempus impetrata Hamburgum Anno 1647. se contulit, tranquilliorem rerum Statum expectans, revera autem majorem apparatum Bibliothecæ quærens,

dum

dum paulo longius ab illo jugi armorum strepitu abesset. Vix hic per aliquot septimanas in illustrium Virorum hæserat complexu, & præter opinionem percommoda ei occasio Reverendo Capitulo Hamburgensi inserviendi offertur, cujus Nomine solus Osnabrugam mittitur, Decanatu tum fungente gravissimo Viro D. Joanne Langermanno Regis Daniæ Consiliario. Dumque Marpurgum varia fortuna affligitur, negotium è negotio nascitur, dum occupatum in Hamburgensis Collegii re animum habet, Salvio Regni Succiæ Legato innotuit, qui omnem Ei exhibuit benevolentiam, usus Ejus in studio Græco Consiliis, cujus capiebatur amore, impendebatque quicquid poterat temporis inter catenatos labores suffurari. Videtis quibus, quam charus B. noster Dietericus fuerit, videtis quanto labore, quantis peregrinationibus & difficultatibus constiterit Viro huic, ut verum se tandem Philosophum sisteret, talemque qui Rem literariam posset promovere, quod cum fecerit egregie, quis est, qui dignis satis lachrymis casum Ejus defleri posse, asserere audeat? Quantus Ejus animus futurus erat, erectus scilicet, vereque Philosophicus, olim conjicere licuit, cum Amstelodami in diversorio clandestina surreptione omne Viaticum iniqui Hospites ipsi abstulissent. In hac enim difficultate è Philosophia solatium cœpit, nil nisi Ciceronis illud effatus: *Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut alicujus eripuit injuria, facile, dum existimatio est integra, honestas consolatur egestatem.*

LVGE casum ô Respublica literaria Dieterici tui Medici non postremi. Atqui vero nullus vereor me dum hæc dico vanum videri, inprimis illis, qui norint quam hic Vir æternitate dignissimus per omnia Eruditorum monumenta indefessum circumgestarit animum. Plinius in præfatione operis sui meminit cujusdam Grammatici Apionis nomine, [est autem hic ille Judæorum inimicus Apio, contra quem Flavius Josephus Apologiam suum conscripsit, ad miraculum eruditam, censente Petro Cunæo in de Hebræorum Republica, meræ Eruditionis & Venustatis opusculo] Apionis inquam, tanta Nominis celebritate viventis, tanto Doctrinæ & Eruditionis strepitu se ferentis, uti *Cymbalum Mundi* dictus à Tiberio Cæsare, atque ab omnibus *publicæ Tympanum famæ* habitus sit. In B. nostro Dieterico nullus erat ex Eruditione fastus, nulla in publicum jactantia, & ostentatio, ma-

luit tacitus suffragia Eruditorum expectare, quam publicæ famæ captator, propriæque buccinator laudis audire. Atque absque hoc si fuisset, inextincto tamen per omne Scriptorum genus ardore grassando heluonem egisset, sed librorum, sed Eruditionis. Et ut ad Medicinam revertar, unde eram digressus, quotusquisque est qui nesciat, Virum hunc, sive Theoriam spectes sive Praxin, non cessisse in hac arte Clarissimis, ut qui Galeni & Hippocratis scripta & monumenta habebat in numerato, uti suos digitos, ut de aliis rum vetustis tum recentioribus Medicis nil addam. Asserenti hoc mihi facile assensum præbebunt, quotquot pervolverint Jatréum Hippocraticum, Opus Eruditionis inexhaustæ, in quo non in eo tantum est, ut Coi sensa in Græcismo latitantia eruat, sed & ut de Medicina, Morbis, Morborum caussis, variis experimentis & Medicaminibus mira quadam differat dexteritate. Et quis divinas Hippocratis Aphorismos tam nervosa brevitate illustrare valuisset, nisi Medicus fuisset. & is quidem non vulgaris, qualem B. nostrum fuisse Dietericum Excellentissimi ipsius artis Professores liberrimis suis Elogiis testati diu sunt. Taceo, quod multis in hoc studio privatim præiverit, ut non diffitetur in anteloquio Jatréo præfixo quorum & ibi nomina exprimit, & quam tum gnaviter sub suo directorio studiorum jecerint fundamenta, exponit. At, inquis, de Praxi quod dicebatur, commentum est, quis enim unquam vidit Nostrum ægris medicinam porrigentem, quis invisentem, atque suis consiliis decumbentes juvantem? Sed hæc non sunt tanti, ut ad primum eorum projectum sententiam meam mutem. Hoc equidem facile largior, quod nullos unquam inviserit ille ægros, quod Medicas languidis non propinarit potiones, quod nulla deficientibus pharmaca ministraverit; at Practicum Eum egisse, dum salutaria contra omnis generis morbos remedia in Scriptis consignata dedit, quis est, qui negabit? In hac sane Praxi felicissimus extitit, dum sibimet ipsi regulas præscripsit, per vitam utilissimas, quam pene totam his mediantibus sine morbis eg..., excepta fatali illa Febri quæ pervicacem vitæ flammulam depasta est. Erant hæ Diæta atque Exercitatio, illa absque omni violentia medicamen optimum corpori conducens, hæc vegetum idem reddens, cui deditus ad stuporem erat. Equidem omnes fere qui Studiis operam navant, posteritatiq; vigilant, ita se solent Camænis consecrare, ut præterea nulli litent

pro-

piophanorum, & opera indefeſſa quam ſemel adepti ſunt curant ſpartam, atque exornant; ſed B. noſter Dietericus adeo mortuis ſe Doctoribus ſuis mancipabat, ut neſciam an pares aſſiduitate habuerit multos. Semper ab horum conſiliis pendebat, nunquam extra horum erat conſortium. Nunquam ſero veſpere rubebat cœlum, quin B. noſter Dietericus doleret ad evolvenda Doctorum monumenta facem extingui. Nunquam Phœbus lucem ſummo mane revehebat, quin vigili idem oculo expectaret Muſæum ſuum auroræ purpura infici, ſibique viam tenebris interſeptam ad ſuas delicias recludi. Atque hac laborum tolerantia durabat hyemante cœlo, nec adſtrictiſſimum frigus adurere valuit pertinacem legendi ardorem, qui manſit quoque ad extremum vitæ ſpiritum, & ut olim Veſpaſiano negotiis Imperatoriis, ſic Noſtro literatorum voluminibus inniti immoriq; ſtatutum fuiſſe deprehendimus. Ægyptii de neſcio quo gloriantur Mercurio, ob Philoſophiæ, Sacrorum ſuorum, & juſtitiæ Notitiam Triſmegiſto dicto. Quid opus ad Ægyptios divertere, & vana exquiſitione fabularum commenta ſequi? Hic Noſter vere Hermes, complurium ſc. Linguarum fideliſſimus interpres erat, Philoſophus, Medicus, Theologus præterea ſummus. At tandem ſi Academiæ noſtræ faciem intueor, proh quanta illa macie fæda! quam alto ſqualore oppleta eſt!

LUGET Academia caſum ſui Antiſtitis, lugent Patres jacturam fidiſſimi Collegæ, lugent ſtudioſa cohors, illique quibus animum gravioribus ſtudiis non leviter tingere ſed imbuere cordi erat, mortem Præceptoris fideliſſimi. Hic denuo ego omnium conſcientias obteſtor adjuroque eorum, qui diſcendi gratia frequentes ad B. noſtrum Dietericum ventitare olim ſoliti ſunt, an unquam ab eo reverſi ſint, ſolidiori doctrina non inſtructi? an unquam acceſſerint quin B. noſter Dietericus animum literatura omnigena refertiſſimum in gratiam Diſcipulorum excuſſerit omnem? Ad omnia requiſitus prodibat, quid digitum admovebat, oſtendebat qualia è quibus haurienda Eruditionis fontibus. Atque ſi proprium Exemplum hic allegare conceſſum ſit, quam triſti memoria recolo, profunda diſſertatione ad petitum privatum de omni antiquitate quondam verba facientem, prudentique conſilio aperientem, qua ratione ad omnem Eloquentiam Græcam, ſolutam pariter ac ligatam, ſolidã acqui-

rendam singulari brevique methodo deveniri posset. Desti- nearat omnia hæc felicissimo fructu tandem publicanda, sed præsecuit mors spem hanc, ut verear exulandum denuo Græciæ esse, quam olim ab exilio revocatam restituerat feliciter, & per novum hoc ausum sine dubio eandem conciliasset nobis in perpetuum. At inquis, omnia hæc ut alia multa in schedis sunt. In schedis sunt fateor, at quotusquisque est qui digno rebus artificio tractare eas queat? Atque ut Alexandrum nonnisi Apelles pingeret, duceret ex ære Lysippus, Pyrgoteles sculperet, sic vix concessum hæc sacra tractare alteri præter Eum quem nunc lugemus defunctum. Vetus dogma Pythagoræ est, mirandam Harmoniam præcipue in cœlestibus corporibus observari suavissimumq; concentum. Quod etsi de ordine & motus regula & recte quidem Philosophi soleant explicare, non tamen injuria detorsero hoc ad Academias earumque Doctores, quos nil æque decet atque concentus ille Pythagoricus sideribus attributus. Hi censente Sacra Scriptura sideribus æquiparantur collucentibus; utque hæc æthereum orbem varia luce exornant, & interjectum illi vastum terræ globum illustrant: sic illi concinente virtutum choro mirum quam inferiora non tam oblectent, quam juvent atque ædificent. Sua hic conspicuus luce Dietericus fuit, æque gnarus suo fulgore & Collegarum illustrare, longe lateq; virtutum suarum radios disjicere, ac aliorum excipere. Ut autem oborta nebula lucidorumq; corporum intercepto splendore multum pristino ornatui decedit, imo hinc inde lucentium reliquorum acies obtusa apparet; ita mortis caligine Doctorum Choro tenebræ inferuntur, luce quorundam extincta, mæroris nebulis obfuscata. Atque hoc est cur hactenus Patres & Proceres Academici in luctu constituti de pristino suo splendore remiserint. Noverant porro quam nobile Academiæ membrum amiserint, quamque vero Antistitis nomine & dictus ab omnibus & habitus pariter fuerit. Noverant, quanta pectus ejus fuerit munitum prudentia, prudentia dico virtutum anima, sine qua quicquid reliquarum est, virtutis tantum umbram habet, pretium non habet. Quanta hæc & quam diffusa virtutum Rectrix eminuerit in Nostro omnium clavum moderans, si explicare præsumerem, mirum quam vasti panegyrici præsto esset materies! occurreret namque non vulgaris prudentia, non præcox, non superficiaria & fuco tincta; sed veri di-

cenda

genda Nestoris ex ipsis solidæ sapientiæ fontibus hausta, Natura, Experientia & Artis industria. Illinc insitæ erant dotes, animi erecti sagacitas, sublimis judicii dexteritas; isthinc longus rerum usus per altas capitis nives ad præfixum mortalitatis terminum productus: Hine ad omnigenam prudentiam compendium stabant, historia, illa *temporum Testis, Lux veritatis, Memoria Vitæ, vitæ Magistra, vetustatis nuncia*; præeuntes & familiares ut Historiæ, sic prudentiæ Dictatores perpetui. Atque inter hos communis ille rerum summas tenentium Heroum formator Tacitus, à cognomine Principe Tacito Augusto tanti habitus, ut quotannis decies descriptus publicisque Archivis illatus, cura solicita in futurorum seculorum usum asservaretur. Quæ quæso potuit alia emergere prudentia in Nostro, quam edecumata, quam omnibus numeris absoluta? In viro, obstetricantis Naturæ pariter ac Artis Magistræ manibus quasi formato, vivis exemplis & præsenti rerum usu exasciato. Quæ potuit emergere inde Prudentia alia quam quæ Magnates, Principes, Reges, in admirationem raperet sui. At frustra sum & vanus dum hanc & reliquas viri Virtutes verbis ornare aut enarrare ad minimum satago, insignium tot rerum testimoniis illustres, atque omni laude majores. Agnovit easdem Academia, atq; in rebus arduis sæpe feliciter experta est. Agnoverunt divinas hujus Viri dotes Exterorum multi, non capite censi, non assidui, sed splendidissimarum & Illustrium conditionum viri, quid? Principes dico, & alii in Majestate constituti, qui post tot virtutum occasum una cum Academia, lugubrem vestem sumpserunt. Per summa tantum Dieterichianarum laudum capita dum eo, eaque enarro, quæ desiderium Viri magis magisque in nobis excitant, vereor, ne patientia vestra A. abutar. Equidem in hoc certa mihi stat sententia suavissime vobis horum esse recordationem, atque mistis gaudio luctuque meditationibus indulgere sponte quemque vestrûm; at nec hoc me fugit; utut jucunda desideratissimi Viri memoria sit, non tamen in auribus vestris talem hanc meam orationem esse, quam fateor rerum pondere maxime elevari. Proinde durate tantisper, dum desertæ familiæ Dieterichianæ luctum causasque ejus expono, quo facto perorabo.

LUGET casum fratris Frater illustris, cujus auspiciis Dieterichiana Virtus debitis præmiis conspicua orbi est. Diverterat Ille ad Nostrum, si negotiorum gravitas fraternæ

compellationi faveret, dumque mutuis hærent complexibus, mors eosdem dirimit; dubium fueritné major inter vivos germana fides & dilectio, quam altero defuncto recognoscendarum desiderium.

LUGENT casum Viri hujus Vidua, quæ ut marito opem; lugent Filii, qui ut patri amorem & observantiam; luget famulitium, quod ut Domino fidelitatem olim & obsequium præstandum religiose addixerat. Atque ut de Vidua primum dicam, merito illa luget maritum tantam sui curam suscipientem, tam ob varias virtutes se foventem, honorantem, suspicientem. Duxerat hanc conciliante Deo, suadentibus amicis, impellente animorum occulto impulsu, quamque nuptiæ hæ fuerint felices, placet audire B. nostri Dieterici tabulas hac de re erectas, dignas sane quæ evolvantur, amoris conjugalis castissimi indices, ad quarum conspectum prisca quæ circumferuntur amoris ac fidei Exempla obsolescunt. Atque hæ ejusmodi sunt. *Uxor mihi contigit ex animi sententia, Pia, Prudens, Provida. Quæ mihi fuit instar apis, ad opus sedulo iens, foris domique laborans, domum comportans, provide condens, parce promens, totam familiam ad pietatem informans, ad servitia & ministeria fidelia instituens, in re familiari ordinem servans, & id agens, ut singula suo ordine peragerentur.* Pergit, *An.* 1653. *nuptias celebravi cum* Barbara Bellin, *Gerardi Bellen Senatoris Butzbacensis Filia, quam viduam factam è duobus maritis singulari DEI ductu accepi, quæ me blande venerata beabat obsequio curaq; mei, prolis domusque; quæ mihi visa fuit extitisse obedientia Sara, fide Michol, Moderatione Abigail, comitate Esther, pudicitia Susanna, cum qua utramque fortunam sustinui, & fiducia præsentiæ Dei omne incommodum vici, & quam semper expertus sum citra ostentationem optimam.* Et ne forte, quæ malevolorum poterant esse nugæ, antiquatum hunc tandem amorem esse, ingeratur, en & Epitaphium quod erectum amatæ conjugi maritus desideratissimus voluit! *Hic sita est* Barbara Bellin, *Gerardi Bellen Senatoris & Scabini Butzbacensis ex octo Filiabus ultima, quam pietas ardens, candor germanus, castitas illibata, rara modestia, plene conciliaverant* Joh. Cunrado Dieterico, *ut fidam vitæ sociam eligeret, anno* 1653. *cum qua in amœno conjugio vixit annos complures placide & pacate, sine jurgio, sine simultate, sine molestia, feliciter & ex sententia, quam expertus fuit in precibus erga Deum ferven-*

ferventem, per varios casus crebrosque labores constantem, in dubiis rebus animo promptam, in domus cura strenuam, in liberorum ex secundo matrimonio susceptorum educatione solicitam; cui ultimum hoc Elogium in memoriam suavissimæ conjunctionis, intimæ concordiæ, sinceri affectus, mutui consensus, incomparabilis fidei, esse voluit maritus, ut post fatalem vitæ nostræ pausam sciat posteritas nos mutuo dilexisse. Hi sunt sinceri & intemerati amoris certissima indicia, hi veri effectus à Deo junctarum mentium, quæ nec post mortem separantur. Eadem reponens vidua optima in luctu constituta, de ejus termino quæsita, responderet idem quod Portia nobilis matrona; quæ cum diutius lugeret maritum rogata: *Quem habitura esset diem luctus ultimum?* respondit: *Quem & vitæ.*

LUGENT casum Viri; Filii è secundo Matris Conjugio suscepti, natura vitrici quidem, sed cura Patris Optimi. Patris prima cura esse debet formandorum in filiis morum, ut videlicet pravæ inclinationes eradicentur, deinde ut justa ad omnem honestatem disciplina erudiantur. Et Filios procreare parum est, nisi bene instituantur, nec vita beneficium esset nisi bona eadem esset, probe id agnoscente Macedone Alexandro, dubio num Genitori debuisset aliquid, Formatorem animi Aristotelem non nactus; atque etiam Patre Philippo, qui, quod temporibus tanti Philosophi nasci sibi Filium voluerint, Diis suis ingentes gratias egit. Imo præstat non nasci filium, quam malum fieri natum curatoris aut custodis incuria. Noster igitur utut sterilem optimæ conjugis thalamum expertus sit, attamen dum naturam Filiorum Ejus ad sequiora ut omnis pueritiæ proclivem immutavit quasi, & præceptis juxta ac Exemplo ad frugem bonam reduxit, optimi sane Parentis supplesse vices dicendus omnino est. Nota est Solonis lex, quæ apud veteres judicata quoque sapientissima semper fuit, qua sanciebatur, ut filius necessaria vitæ subsidia Patri non deberet, à quo nullam accepisset artem. Imo e Dione notum quoque, majorum suorum sepulcris prohibitos filiorum illos esse qui nec didicissent doctrinam, neq; artem aliquam exercuissent. Hic, ne Pater æque ac filii contra se quid admitterent, certatum utrinq; est. Præcipere ille, docere, hortari; hi dicto Patri audientes esse, morem gerere, proficere. Quo ipso effectum est, ut digni paterna Institutione prodierint dudum Discipuli, nunc in Exemplum

formati aliorum, unde posteritas discet, quam sit magni momenti res Parentibus uti, quibus Filiorum educatio curæ cordique est. Atque ita A. constare puto, quam luctuosus Universæ Reip. literariæ, Academiæ, & tandem Familiæ B. nostri Dieterici fuerit obitus. At vero non talis est conditio beatissime defuncti. Non, si nostræ res pejori sunt loco constitutæ, ex quo ad Beatorum sedes migravit, etiam magnæ Dieterici animæ. Nos quidem desiderio Ejus tantum non contabescimus, illius autem anima in cœlis triumphans perpetuo gaudet Angelorum consortio; ingens anima, olim nobile apud nos depositum, nunc cœlo adscita supra terrenorum rerum caduca evecta Dei obtutu beata existit. Ignara illa nunc desideriorum nostrorum secura & alta pace fruitur. In portu tranquillitatis constituta sibimet gratulatur, post arduum studium, post sudores & improbos tot labores, Herculeis æquandos, coronam tandem supremi Diribitoris manu se nactam esse. Gaudia hæc si non tollunt plane, mitigant tamen tristitiam nostram, lucrum ejus nostram jacturam compensat, solitudinem nostram triumphalis ejus solatur gratia. Nobis equidem B. Dietericus mortuus est, sed incepit vivere sibi. Vixerat in terris satis, ornarat spartam suam, quantum gloriæ suffecit ejus, restabat aliud nil, quam cœlestem porro & æternam vitam vivere. *Non enim hæc dicenda vita est, quæ corpore & spiritu continetur, sed quæ omnium seculorum viget memoria, quam posteritas alit, quamque ipsa æternitas semper intuetur.* Quanquam nec inter nos in terris laus ejus emoriatur. Et hîc adversus mortalitatem parata panacæa est. Vivet inter nos, & omnium bonorum animis ejus obversabitur memoria, quamdiu porro numeranda secula, virtutemque & scripta Ejus seri Nepotes mirabuntur. Vigebit fama, quam posteritas recolet, quamdiu virtutem æstimabit. Nec alia dies Nominis gloriæ erit novissima, quam quæ mundi finem accelerabit.

In Ecclesia B. DIETERICUM insuper laudavit concione funebri *Petrus Haberkornius*, S. Th. D. Prof. Prim. Pastor & Superintendens, ex II. *Timoth.* IV, 7. seqq.

In Celeberrimi Philologi,

JOH. CUNRADI DIETERICI

Obitum.

Sedibus excessit nostris DIETRICHIVS, eheu!
Giesseni Aonidum stella corusca chori. Di-

Dignus erat, vitam numerum numeraſſe dierum
Innumerum, innumeris commodus ecce fuit.
Spartam, quam nactus, decoravit Lingua Pelasga,
Hanc juvit cultis excoluiſſe typis.
Noverat is mundi & rerum monumenta ſacrarum,
Annorum ex ſerie dinumerare ſimul.
Quicquid Philologûm, vel nomina clara Virorum
Ediderant, habuit cognita quæque ſibi;
Nunc jacet heu! locuples tumulata peritia rerum,
Conditur & Medices atque Themiſtos Amor.
Securum recubat tumuli ſub fornice noſtrum
Delicium, ſolum non recubare poteſt.
Nam Pietas, Doctrina, Fides atque inclyta Virtus
Cultori exuvias appoſuere ſuas.
Poſt lethi ſomnum requieſcunt oſſa ſepulchro
Mortua, ſed vivit neſcia fama mori.
Vive inter ſuperos, terreno Exempte Lycéo,
Pro terris, cœli gaudia mille cape.

JOH. NICOL. MISLERUS,
SS. Th. D. ejus & Hebr. Ling. Prof.
Superint. & Pædagogiarcha.

SCRIPTA.

Diatribe de uſu, abuſu, & neglectu lectionis ſcriptorum ſecularium & Antiquitatis. *Hafniæ* 1638. in 4.
Diſcurſus Hiſtorico-Politicus, de peregrinatione Studioſorum. *Marpurgi* 1640. in 12.
Græcia exulans, ſive de infelicitate ſeculi ſuperioris in Græcarum literarum ignoratione, Diſſertatio. *ibid.* 1640. & *Gieſſæ* 1650. in 4.
Hœdoporici ſacri ſpecimen. *ibid.* 1640. in 12.
Notæ in Epiſtolam D. Martini Lutheri, ad Hartmundum à Cronberg. *ibid.* 1641. in 4.
Specimen Antiquitatum Biblicarum. *ibid.* 1642. in 4.
Antiquitates Romæ veteris novæ. *Francof.* 1643. in 18.
Specillum Chreſtomathiæ Græcæ. *Gieſſæ* 1651. in 4.
Hippocratis Aphoriſmi illuſtrati. *ibid.* 1656. in 4.
Hilaria Livoniæ, ante CXXX. annos, ob renaſcentis Evangelii lucem celebrata; Nunc cum duabus D. Mart. Lutheri

Lutheri Epistolis ad Rigenses, Revalienses & Dorpatenses renovata. *ibid.* 1656. in 4.
Breviarium Historicum, exhibet Historiam Reip. Judaicæ, & IV. Regnorum Catholicorum. *ibidem* 1662. in 8.
Progymnasmata Linguæ Græcæ. *ibid.* 1651. in 8.
Jatreum Hippocraticum. *Vlma Suev.* 1661. in 4.
Breviarium Pontificum Romanorum. *Giessæ* 1663. in 8.
Imperatorum Germanicorum Familiæ Saxonicæ Historia Augustea, Henrici I. Aucupis, Othonis I. Magni, Othonis II. & III. ac Henrici II. Sancti. *ibid.* 1666. in 6.
Historia Augusti & Caligulæ Tiberii. *ibid.* 1665. in 4.
Commentar. in Hesiodum. *Francof.* 1669. in 8.
Historia Neronis. *Giessæ* 1667. in 4.
Antiquitates Biblicæ, in quibus Decreta, Prophetiæ, Sermones, Consuetudines, ritusque ac dicta V. Test. de rebus Judæorum & Gentilium expenduntur. *Francof.* 1671. in fol.
Lebens-Lob der Heiligen Jungfrauen Margareth. *Marpurg.* 1649. in 4.
Disputationes habuit de usu lectionis scriptorum secularium & Antiquitatis: De Cajo Caligula. De Sparsione Florum, &c.



ELO-

ELOGIUM CHRISTOPHORI FORSTNERI,

Scriptore

JOAN. HENRICO BOECLERO.

CHRISTOPHORUM FORSTNERUM posteritati narrare, pium magis quam facile est. Huic enim nomini statim æqua expectatur oratio. Cujus si quis fiduciam animo concipiat, parum meminisse videri queat nobilissima ingenii monumenta, quibus vir tantus non minus quam nomine suo celebratur. Ergò etiam qui desperavit certamen, certare voluisse vel debuisse cum tanta eloquentia, putabitur. Sed adversus hæc vulgaria magis quam probata rationum nomina, superest inculpatum amicitiæ & innocentiæ genus, si cum quo jam loqui non possumus, de eo nunquam loqui desinamus. Nec dissimulo, me, quicquid id est officii, ultro invasisse. De viro enim quem à prima juventa colui, amavi, quem frequentibus & mutuis literis semper, non raro colloquiis & salutationibus, haud vulgariter fautorem sensi, habuique; tum silere, cum necessitudo consuetudinis, quæ vivis propria est, intercidit; vereor, ne crimen animi à natura & literis non adeo bene instituti, magistri & arbitri humanitatis appellitarent. Probe inter hæc commemini, quam decora ingenia, ipsoque ætatis & eloquentiæ flore eminentia, de cultu FORSTNERIANI Nominis inter se & ad posteros contendere decreverint. Quibus tantum abest, ut præreptum aliquid hæ pagellæ velint, ut potius certa me spes foveat, istis veluti stimulis excitatos, quicquid est amicorum, longum pietatis & officii ordinem expliciturosesse.

Genus CHRISTOPHORI FORSTNERI, etiamsi natalium splendore non præcelleret, ab ipso certe, idoneo nobilitatis auctore, incipere poterat: Qui ad omnium excellentium hominum indolem & laudes tam feliciter se composuit, ut in majoribus suis pulcerrimo propinquitatis specimine, quicquid nominum merito & virtute simillimum

in

in generosis familiis est, annumerare posset. Sed non parcâ fuit, vel natura vel fortuna, in Avitis gentis hujus ornamentis cumulandis. De quibus tamen ut facundus fieri velim, non optant, qui unius Viri propria decora, omnibus undecunque accitis præferri oportere, haud inerudite arbitrantur. Hujus enim dotes artesque, tum universæ familiæ, tum parentibus inprimis gratulari debet commemoratio nostra.

Avus CHRISTOPHORUS FORSTNERUS, Budvicii in Bohemia Judicis ordinarii functus est munere. Parens PAULUS, Comitum de HARRACH Dynastiæ Birckensteinianæ in Austria præfuit: donec religionis purioris studium pro crimine esse cœpit. Tum ergo in secessu præsidii sui Breitenfeldii, quod nunc Comites de SCHALLENBERG agnoscit dominos, ad privatam redactus vitam, tranquillissime senuit. Licet enim nova ipsi exilia consciscere agitarent, quibus familiare per ea tempora fuit, odio suo in viros innoxios & cordatos pietatis speciem præferre; Filius tamen, cujus memoriæ nunc operamur, in ea jam ingenii & morum specimina adoleverat; ut Cardinali CLESELIO primas tum in aula Cæsarea partes potentiæ obtinenti, facile insinuatus, & sibi multa dehinc beneficia, & tunc patri suo plenam vacuamque ab omni vexatione & molestia immunitatem à tanti patroni favore impetraret. Ita sibi Deoq; permissus PAULUS anno demum ætatis nonagesimo & tertio vivendi finem fecit. Susceperat autem ex nobili & ornatissima matrona MAGDALENA Capelleria, conjuge sua, filium avo cognominem CHRISTOPHORUM, quem lugemus, anno superioris sæculi nonagesimo octavo, die Septembris tertia, septimam inter & octavam à meridie horam.

Propitia nascenti affulsisse sidera dicerem, si de eo divinandi genere quicquam certi mortalium ingeniis compertum esse constaret. Illud extra dubium ponitur, divini muneris esse, si cui ex optimis parentibus nasci, eorumque indolem referre & exprimere contigit. Tum enim facile ad summa ascendunt, & exempla originis suæ superant, illustrantque excellentes naturæ: quod genus propagandæ nobilitatis non privatis modo decoribus aptissimum, sed Reipublicæ plerumque saluberrimum esse solet. Habet suas gratias & prima educatio; facitque ut domo emissus elegans puer, magistris publicam adolescentum disciplinam

pro-

professis, primum admirationem, mox amorem sui moveat: quo accedit tacitus quidam pudor, si non conferat pro se quisque, quantum potest pollerque, ad ornandam eam ætatem, quæ maturitatem communibus votis expetendam tot pignoribus ac rudimentis promittit. Nec sane vulgaris aut quotidiana hæc occasio est, sua bene feliciterque collocandi officia. Nunquam CHRISTOPHORUS noster amisit memoriam Athenæi Lincienfis; quin ingenue & liberaliter Præceptorum suorum merita in adolescentiam suam collata, etiam senior prædicaret. Tubingæ THOMÆ Lansio civi suo traditus, adeo indole & moribus enituit, ut eodem anno, qui seculi hujus decimus tertius erat, tanti viri testimonium pene invidendum mereretur: Quo ad celebrem Medicum Persium, *toti Patriæ ornamento & præsidio futurum quandoque hujus adolescentis ingenium*, rescripsit. Nec aliud fuit aliorum Academiæ Doctorum judicium, quorum favore & applausu mirifice floruit. In iis MICHAELI Ziglero, & postea magno Theologo MATTHIÆ Hafenreffero, etiam propiore convictu amatus dilectusque est. In eloquentiæ studio Buchnerum & Zachariam Schæferum habuit adjutores testesque amantissimos. Quid multa? anno ætatis nonodecimo, post alia meditamenta Academica, & pericula, experimentum famæ facturus, Hypomnemata Politica in publicum prima vice emisit. Ex quo tempore supra votum & spem frui cœpit fama sui: LANSIO præsertim & BESOLDO, quorum celebratis non TUBINGÆ tantum, sed longe lateque nominibus, præscriptum erat opusculum, demonstrantibus & ambitiose jactantibus id eruditionis, in ætate parum civilibus curis matura, sed abunde sufficiente, specimen. Hic diffusam historiarum lectionem, hîc exactum in comparandis ad præterita præsentibus negotiis ac temporibus judicium, digito signabant: exemplaque quibus antiqui illustrium ingeniorum florem ex forensibus adolescentiæ tyrociniis ostentant, æquari & superari, declarabant: tanto benevolentiæ & candoris certamine, ut ad Fabii Dialogum & Apuleji Apologiam eruditissimorum hominum, Crassi, Pollionis, Calvi, Antonii, Mutii, Sulpicii, Furii, Curionis nominibus & elogiis, FORSTNERUM in margine honorifica nota adjungerent.

Revocatus eodẽ anno (seculi decimus septimus erat) in Patriam, mox Vindobonæ, quam vulgò Viennam appellant,

triennium impendit. Trahebat animum Reipublicæ devotum, non antiquæ tantum Academiæ celebritas, sed Aulæ Imperatoriæ cominus venerandæ consultissimum studium. Nam ut fama & majestate nominis universum orbem in se convertit Augusta Imperii mater, ita lucis suæ radiis propius admotos aquilarum indole non indignos oculos, non explorat modo, sed confirmat assuetudine contuendi Solis emendatque. Hic se æstimandam offert Respublica eo vultu, quo omnium gentium nationumque pulchritudinem antecellit. Ut bene uti possis notitia orbis exteri, Germaniam in Vienna prius contemplare: Ita fiet, ne tu diu peregrinatus, nuspiam tamen magis quam in patria peregrinus habearis. Sed FORSTNERUM multo jam viri civilis instructu copiosum, Tubinga viris studiisque eximiis tum florentissima, denuo hospitii necessitudine devinxit, & ab anno seculi vicesimo ad tertium & vicesimum retinuit. Multis ergo literis artibusque, nec minore jam publice, fama, compos, ad politiores extra Germaniam populos visendos, anno insequente animum adjecit. Nulla est natio, quæ majori hodie peregrinandi studio teneatur, quam nostra: sed successus in ancipiti fere est. Ingrediuntur hæc itinera plerumque adolescentes, ætate convictus civilis imperita, mente nec studiis, nec moribus firmata: & propterea exteriorem rerum scenam oculis, ne satis curiosis quidem, usurpant; nullo ad interiora, & quæ polliceantur pretium operæ, profectu. Si præclare res geri putanda est, admovetur spei adolescentuli adultior aliquis, qui vel amittit vel perdit auctoritatem, suo alienove ingenio aut fato. Tum enimvero, si Forti Fortunæ litatum est, rector minori additus, aliquid peregrinæ mercis artisve refert; regendus probe vacuus, aut nimis onustus dediscendis, redit.

Res misera & fortioribus remediis digna. GERMANIÆ nostræ viscera inficit hæc labes. Qui enim non animo, non judicio competunt ad peregrina cognoscenda; postquam nihil serium, aut publice privatimque proficuum foris intellexerunt, superba tamen & præpostera prudentiæ peregrinæ opinione, domi, reipublicæ, & haud raro familiari imponunt, illuduntque.

Verum in viro ad ornandam patriam genito, non habet magnam commendationem, si dicatur, à sinistris vulgi non vulgaris, consiliis, suas rationes sejunxisse: nisi quod peregri-

nationem

nationem FORSTNERIANAM tantum boni Germaniæ præstitisse, quantum malorum usitata plerisque aberrandi consuetudo affert, intelligi licet. ITALIA primum excepit, & triennio fere integro retinuit gratissimum hospitem. Quanquam autem nihil magnopere interest, quas primum terras, quas deinde adeat, qui rebus optimis peregre addiscendis operam daturus est; valet tamen adhuc illa ratio, quæ civilium artium cupidis primam & præcipuam demonstrat magistram Italiam. Nam qui animos Italorum à consuetudine victus cum peregrinis jungenda alienos esse queruntur, sua narrant crimina; dum nec à quibus oportebat, nec quomodo oportebat, discere norunt. Forstnerus Latine pridem, Italice statim peritus, moribus præterea ad unguem expolitus, faciles & obvias habuit Italicas Gratias. Qui enim omnē arrogantiam inculti moris effugerat, cautissimaque modestia, nec nisi tempestiva libertate, verba & facta sua moderabatur, non potuit habere minus propitios homines, alta & recondita & elegantia rimari non minus quam adamare suetos. Athenas Venetas, Patavium, non celebritate tantum magnorum nominum pellectus, libenter incoluit: sed, quod uberior hinc copia sperari poterat, Venetias propius adamandi colendique. In hanc ille Rempublicam mira quadam cupidine animum & studia sua converterat. Hujus instituta & exempla, non aliter quam veteris Romæ solent alii, consectabatur: omnis rei Venetæ scientissimus. Tulitque sui consilii fructum insignem, tum nobilibus amicitiis, tum vel præcipuo amore DOMINICI MOLINI honoratus. Viro ad sustinendam non familiæ modo, sed gentis & Reipublicæ illustrissimæ gloriam divinitus illi ætati donato, vel in salutantium turba innotuisse, magnificum & erat & habebatur. At vero ille FORSTNERUM selegit, interiore admissione æstimavit: multis officiis & laudibus ornavit: ut, quæ de Principatu TIBERII ad TACITUM jam tum commentatus erat, publici juris faceret, hortator auctorque, etiam contra objectas, nescio unde, difficultates præsto fuit. Impressus est Liber eximius Patavii; & JOHANNI CORNELIO Venetiarum Principi inscriptus. Nam & huic Italiæ decori, in cujus elogiis familiaribus etiamsi non legerentur Asiatici & Africani triumphi, regius tamen splendor, etiam matronali merito illatus Reipublicæ, late præfulgeret; luculenta occasione insinuatus erat Forstnerus. Cum

enim anno præcedente novum honorem CORNELIO, nomine florentissimæ in Patavino Lyceo Germanicæ Nationis gratulatus in consessu Excellentissimi Ordinis esset: non auditus modo benevole, nec sine testimonio politæ eloquentiæ, sed Eques quoque Divi MARCI creatus est: quo genere insignium Veneti non nisi præclaram testatamq; pacis bellive laudibus virtutem honorari, majestate nominis sui dignum judicant. Decorum fuit ergo & opportunum, gratias agere tanto Principi, & offerre ea, quæ non nisi virorum usu rerum & ingenio præstantissimorum judicium subire debent. Accessit oratio, de qua memoravi, cum præfatione ad DOMINICUM MOLINUM. Inter ornamenta editi hujus operis non immerito numeres LAURENTII PIGNORII, inter rarissima ejus temporis & elegantissima nomina celebrandi, applausum, quem facta ad antiquitatis specimen inscriptione, ceu pulcerrimam amicitiæ sanctioris, etiam alibi antea professæ, significationem apposuit. Præter communem exquisitiorum literarum amorem congruebat arcano miroque affectu utriusque viri indoles. Pignorio, matura, electa, utilia, ex alto doctrinarum secreto promere, judiciumque politum in promtu habere, sine ostentatione ars erat. FORSTNERUM in eandem sollertiam, modestæ & habilis scientiæ genius adornaverat. PIGNORIUS & intelligere & amare candorem amicorum doctus, nec minus FORSTNERUS, ingenuæ humanitatis fidem discernere & mereri peritus. Et dum neuter in altero quicquam nisi solida virtute imbutum spectat, aut exspectat, edita sæpius mutui animi pignora, perpetuitatem vinculi, quo colligari ratio fuit, adstrinxerunt.

Licet autem constitutum nobis non sit, omnes Italicas FORSTNERI amicitias enumerare, taceri tamen omnino non debent, quarum memoriam commercio frequentium literarum in Museo FORSTNERIANO custodiri novimus. In his monumentis, præter Pignoriana, Epistolæ FELICIS Osii, CÆSARIS Cremonini, FORTUNII Liceti, CASPARIS Scioppii, aliorumque, nobilem supellectilis rarioris & elegantioris partem faciunt. Quodsi, more vulgato potius quam probabili, ex his liberet excerpere laudes, & judicia de FORSTNERO nostro, sane non parum esset auctoritatis in tantorum virorum testimonio. Sed ex consuetudine & judicio ipsius FORSTNERI, aliis forte usibus rectius

ctius hæc atque talia reservari, non erraverit qui existimet.

Non prætereundum est, quod in Italia, cum ad CAMPANELLAM inviseret, ei usu venit. Tenebatur ille in custodia, nec ad videndum nisi custodibus arbitris quisquam admittebatur. Plures una accesserant, & de more ævi libellos colligendis illustribus nominibus destinatos, CAMPANELLÆ in cubiculo tradi jusserant. Postquam inscripserat is quæ voluit, admissos contemplatus, sine hæsitatione FORSTNERUM nunquam antea visum nomine compellavit, manuque prehensum de futuris honoribus & quibusdam aliis eventibus edocuit. Extitit fides prædictis, sive ex liberali & multarum bonarum rerum indice facie, feliciter conjecturam facere contigit; sive veterem de divinatione prudentum sententiam, ad hoc quoque præsagiorum genus, monitu exemploque CARDANI referre, fas est. Quanquam tutius est in his, facta scire, causam ignorare.

Ex Italia in Galliam profectus, ingenium Aulæ multis tricis per ea tempora impeditum, principum mores, æmulationes, studia odiaque perspexit ac memoriter tenuit.

Ibi Genium illum rebus Europæis fatalem, Ludovici autem Justi magnitudini elaborandæ destinatum, vidit iis intentum consiliis ac operibus, quæ adhuc sentit orbis, posteritas vix credet. Quo sit labore, solertia, constantia, virtuti militari fortuna concilianda, supra morem fere & modum virium humanarum; Rupellæ obsidio & deditio, in prodigiis potius, quam exemplis ævi ostendit. Quanta sit & quam multis industriæ & vigilantiæ artibus adjuvetur illa vis prudentiæ, quæ conjurata in pernitiem Regis optimi domi forisque, & insolubili nexu obfirmata molimina, explicavit tandem dirupitque, non alias majore documento cognitum est. Omnia in utramque fortunæ partem magna & insolita, veluti siderum vehementiore motu Galliam tum agitabant. Quibus temporum articulis uberior & incitatior est civilis sapientiæ disciplina, animumque capacem non invitat modo; sed rapit per momenta negotiorum ad abditas origines seriemque operum originibus debitam. Estque illustrium in Gallis virorum ea comitas, quæ decoras profanoque exemtas vulgo mentes ut admiratione sui potenter imbuit, ita profectu rarioris scientiæ, vel aliud agendo suavissime collocupletat. Si paucis & sub Exemplo agendum est, quali elegantiæ genio, JOANNES olim BAR-

 CLAIUS,

CLAIUS, res in Gallia paulo ulteriores, cum applausu omnium executus est: talis fuit FORSTNERI in commemorandis rebus Gallicis citerioribus dulcedo, & multis arcanisque gratiis opulenta facundia. Inprimis autem per omnem vitam usui decorique fuit, tam exquisita rerum Gallicarum notitia, hominumque ornatissimorum feliciter ibi contracta amicitia: sive in scena Europæ Gallia partes suas, nunquam rebus modicis spectatas, noscendas publice exhibuit: sive in Galliam Legato Reipublicæ causa eundum fuit. Cui muneri suus postea servatur locus.

Interea cum Viennam peregre rediisset, non ignotus aut ingratus pridem hospes, Aulæ magis magisque se approbavit: Summis etiam in ea viris dilectus æstimatusque. In his CLESELII CARDINALIS favor iterum enituit: quem æmulati sunt præsertim STRALENDORFIUS, qui Archicancellarii Imperii vices tum gerebat, & NOSTITZIUS COMES, Vice-Cancellarius Bohemicus. Hi de retinendo in Aula ornandoque FORSTNERO seriam susceperant curam, multaque rerum & verborum comitate testatam. Et ille quidem nimium quam flagrabat cupiditate obsequendi tantis PATRONIS: neque unicus ille affectus in aulam Cæsaream, quo à prima ætate tenebatur, ad extremum usque halitum deseruit virum. Sed tum temporis intercessit metus ab invidia crebrescente in eos, qui Religionem ad conscientiam, non ad alienum arbitrium pertinere statuebant. Igitur CRATONI Hohenloico Comiti, causam Circuli Franconici tum apud Augustum agenti adjunctus, post quatuor mensium in Franconia moram, totius jam Domus Hohenloicæ Consiliarius & Legatus, Aulam repetit. Sed illam Comitia Electoralia maximis de rebus instituta, cum Ratisbonam excivissent, secutus cum aliis Legatis FORSTNERUS, res inter Cæsarem & Electores palam & in occulto actas tractatasque, accurata & in exemplum à plerisque deinde optata laudataque epistola, anni insequentis initio exposuit. Accesserat eodem Jacobus LEFFLERUS Cancellarius Würtembergicus, cujus ingenio multa & magna hujus seculi negotia gubernata sunt. Ille, ut facile inter se congruunt excellentes naturæ, collaudata ex omni occasione Forstneri virtute, Vice-Cancellarii Montisbelgardensis dignationem nomine sui Principis ei obtulit, atque, ut tempore ad consultandum cum suis necessariis sumpto, subinde in se reciperet, persuasit.

Ne-

Neque triennium ab eo tempore præterierat, cum Cancellarii nomen & munus suo merito adeptus, ad finem usque vitæ præclare implevit. Magnum prudentiæ exquisitioris argumentum arbitror, constanter tenuisse, quod probe elegeris. Invitatus est haud raro ad alia loca, ad alia munia FORSTNERUS, luculentis conditionibus. Nolo enumerare, quæ ipse dissimulanda duxit. Sed quia ornandam non vulgariter, quam susceperat, Spartam existimabat, in eaque re quotidiano semetipsum profectu superabat, non melius sibi, non melius officiis consuli posse, certum habebat, quam si suæ affixus sphæræ, ceu stella perpetua Cœli Heroici, indeflexum lumen spargeret. Tulit eum constantiæ suæ fructum, ut primarii Ministri, & Consiliorum Actorumque Principalium moderatoris exemplum, suam vitam celebrari, magno famæ consensu vivus audiret undique & cognosceret.

In modicis quoque Principatibus non modici labores incumbunt ei, qui ornandam primario provisu in Germania suscepit talem Spartam. Cumque pacatioribus etiam temporibus, non facilis prudentiæ res sit, inter potentes vicinos conservare statum Reipublicæ conclusæ velut in medio, Forstnero in majus auxerunt molem negotiorum, tempora omnibus malis publicis horrenda & confusa; quibus ad sui muneris & miseriarum undique ingruentium initia accessit. Principes Fratres, ætate injuriis opportuna, apud Helvetios & in Galliis paulo minus quam exilium, usque ad annum hujus sæculi quartum & quadragesimum tolerabant. Variæ sævissimi belli clades, pestilentiæ horribilis atrocitas, omnis infortunii facies, nihil tuti lætive interea reliquerant. Scisso velo, quassata nave, navigandum tamen erat. Qua in re quid curarum, quid molestiarum versetur, non facile quisquam verbis expresserit, aut animo comprehenderit.

Conservata Principibus fide; provinciis, quantum humana fieri ope poterat, sublevatis & à desperatione resurgendi ad fiduciam traductis, meruerat, ut extra invidiam, non extra gloriam esset. Sed non defuerunt obtrectatores, qui optime ab ipso consultata & actitata, imprudentibus non minus quam importunis censuris apud reducem novum Principem vexarent. Vicit tamen ad extremum melior causa, & genius Optimi Principis ad tuendam suorum

innocentiam nunquam difficilis. Præclare sapiunt, qui adversus inimicorum insidias, non fugiendo aut stationem suam deserendo, sed immobili gradu stantes malarum artium finem, & bonarum fortunam nunquam seram, etsi tardam, præstolantur. Certe utriusque Principis, & ejus qui Mompelgardense regimen prior suscepit, quique Fratris successor adhuc magna cum gloria rerum potitur, judicio ac testimonio, quod irrefragabile est, constat: FORSTNERUM fidelissimi & prudentissimi ministri omnes numeros usque ad fastigium exempli, quod in hoc genere optari potest, implevisse. Quare & gratia & munificentia Principali ad vitæ terminum usque floruit: earumque & honoratum etiam in Filiis nomen FORSTNERIANUM in aula perennat.

Itineribus creberrimis, modo in Galliam, ex qua Aula fortuna ditionis Mompelgardensis non levibus momentis sæpius pendere visa est, modo alios ad Principes occupabatur. Neque fuit unquam tempus, quin suæ virtutis & industriæ maximam opinionem, apud omnes, quibuscum ei negotium fuit, relinqueret. Testantur hoc magna, & totius pene Europæ Comitia de Pace ex sævissimo & longissimo bello reconcilianda, Monasterii & Osnabrugæ instituta, quo ille missus, maximi cujusque Legatorum animos oculosque in se convertit. Hic Cæsarea Legatio, cujus Princeps tum Comes TRAUTMANSDORFFIUS fuit, sua prudentia dignum bonumque factum censuit, si Domui Augustæ FORSTNERUM iterum commendaret, & Consilio Aulæ Imperatoriæ adjungi cuperet. Hic Sueci propioribus consiliis ultro adhibere virum solebant; & quotiens Monasterio Osnabrugam reduces nova negotiosi tractatus capita attulerant, ignorare ipsum noluerunt, ut, quod ejus esset de re tota judicium, rescisceret. Ab his quoque Reginæ optimæ non perfunctorie collaudatus, facile honoratum obtinuisset locum, nisi altiore consilio, persistere in officio tot curis suis perornato, & invitanti sæpius fortunæ aliter, id est, declinando nova, colendo vetera jussa, obsequi decrevisset.

Nemo credat, fugitantis laborum hæc consilia fuisse. Licet enim ad mutandam stationem adduci non debeat, nisi qui plus solito agere & ferre paratus sit, (cum à novis & aliunde evocatis ministris, non expectari modo, sed exigi majora

jora & inusitata soleant) dubitabile tamen haud erat, quanta domi laborum continentium moles, non senectæ, non valetudini vacationem promitteret. Secuta sunt sane tempora, quibus, increscente eum annis artuum valetudine, valde anxium habuit FORSTNERUM illa cura, ne per infirmitatem ejus aliquid Respublica detrimenti sentiret. Quo factum est, ut ad privatam vitam, tanquam ad portum respiciens, dimissionem quandam anhelaret, Deo vacare inprimis, si quid superesset ætatis, cuperet. Visus est annuere velle Princeps Optimus, si alium muneri successorem ipse FORSTNERUS reperiret. Germano, sed rei & linguæ Gallicæ bene perito opus erat; nam cæteras artes, etiam cum non nominantur, intelligi constat. Nominati ergo varie, & excusati præstantes viri, sub onere denique FORSTNERUM reliquerunt; cui sola mors finem adferre potuit.

Felices equidem dixeris, quibus contigit ab aulicis negotiis & curis civilibus vacatione impetrata, mortem meditari impensius; assiduo Dei cultu, salutem animæ procurare avidius; atque ita ardua vitæ negotiosæ intervalla, sacra quiete, ceu notabili fine, claudere. Verum ab omni ævo pauci, quos hæc serio cura sollicitavit, voti sunt compotes redditi. Nam reliqui, quos nec familiaris, nec publicæ rei vincula à sanctiore ejusmodi proposito distrahunt, plerumque minoribus, nescio quibus curis, ad extremum intenti, majori oblivione transmittunt. Solari tamen desideria meliorum irrita potest voluntas ejus, qui omnibus voluntatibus modum ponit: quando nunquam dubitatum est, quin Dei & Principis voluntati parere, esset pars pietatis & religionis habenda.

Sed redimus ad FORSTNERUM, qui undique magnorum Virorum, etiam Principum literis, ad finem usque vitæ compellatus est. Si quid in Republica arduum agitabatur, FORSTNERI judicium de momentis negotii, quod rectissimum esse solebat, & provisio futuri temporis, in qua acutum cernere sueverat, desiderabatur. Epistolis enim mirum quam accuratis & nobilibus, rem gessit: quarum ab amicis aliquæ sunt in vulgus editæ; aliquæ etiam ab iis, qui consiliis suis ab auctoris proposito plurimum alienis, hinc aliquem usum machinabantur. Nonnulli prudentia auctoris delectati, quem ignorabant, nomen aliud ex conjectura sua affinxerunt. Offendit eum non parum temeritas nonneminis, qui studiis odiisque suis serviendo, intempestive Epi-

ſtolas quasdam de Weſtphalicis actis aliisque rebus ediderat, Typographoque, ut Mömpelgardi nomen præſcriberet, perſuaſerat. Qua de re cum eſſet à me certior factus, reſcripſit paulo uberius in alieni Secreti temeratores; eamque reſponſionem in publicum edi voluit. Factus inde cunctantior ad reſpondendum de republica, non tamen evadere potuit, quin aliquando ad commercium illud epiſtolicum inſtaurandum retraheretur. Egit etiam delectum ſuarum epiſtolarum, & in volumen collegit potiores, quas petenti Germanico Mæcenati Baroni BOENEBURGIO mitteret. Muſea quoque eximiorum virorum, quicquid hujus generis undique cogi poterat, inter pretioſas chartas cuſtodiunt. Quantulo minus ergo quam publici juris ſunt? Quæ res, ſubmonentibus inſuper ac pene efflagitantibus amicis, perſuadebit, ſpero, Filiis, ut pleræque paternæ Epiſtolæ paulo poſt edantur. Ut enim hodie mores ſunt, verendum eſt, ne tempore alieno, nec honeſtate officii adgubernante, ſed lucri importuno amore ſtimulante, occupent hoc munus, quibus ludus eſt, res non ſui juris ad ſuam libidinem attrahere. Pollent enim Epiſtolæ Forſtnerianæ ſingulari quodam elegantiæ & prudentiæ genio, unicique hactenus exempli ſunt. Verba Taciti, ex familiari ejus Scriptoris uſu, decora & tempeſtiva gratia ſe ubique offerentia, ſupra omne imitationis ingenium placent juvantque. Judiciorum contextus, & ex intimo negotiorum ſinu emerſa ſeries, communi ſenſui aptā, nihil tamen vulgare ſpirantem, nec minus reconditam, quam facilem concinnat ſcripturam. Notum eſt apud eruditos, quam rara ſint exempla, in infinitis pene operibus editis Epiſtolarum, quæ civilem ſapientiam non umbratice adeptis ſatisfacere poſſint. In his FORSTNERO palma ſine omni dubio decernetur. Libertas etiam minus nunc offendet, poſtquam eventus vel non ſivit latere, vel ratio non perſeveravit diſſimulare, quæ inter tractatum & in novitate conſpici refugiunt.

Hoc loco de libertate Viri optimi paulo amplius diſſerendum eſt. Multum de virtutibus ſuis hanc amabat; quanquam non ſemper abſque periculo. Conſtat ſane omnibus, ob quædam liberius poſterioribus in Tacitum Notis inſerta, prædium ejus Dambenoyanum incendio, non ſine manifeſta vindictę denuntiatione, incenſum abſumptumq;. Meruit etiam aliter præpotentiū odia; quando, inter turbas tempo-

rum

rum armorumque, voluntatibus eorum, constantissime Principis sui libertatem utilitatemque præhabuit, non minis, non auro expugnabilis. Raro equidem qui libertate verborũ studiosus utuntur, vel crimen vel suspicionem criminis evitant. Solent enim parva quoque & prava ingenia, hinc speciem assurgentis ad altiora animi mutuari, livorique & malignitati suæ hoc prætextum obducere. Innoxia fuit, mentisque, à calumniandi libidine intactæ, genio bene gubernata, Forstneri consuetudo. Quo factum est, ut, quia nemini maledicere decreverat, conscientiam pro testimonio amplexus, ne in suspicionem quidem rei à suis moribus alienæ, venire se posse judicaret. Usu quoque inde à juventa compererat, nec summos, in Aula principe, viros, temporibus satis lubricis, ingenuam nec imperitam libertatem judicandi, à qua malitiosa abesset animi affectio, aspernari consuevisse. Cujus rei specimina valde præclara non semel audivi memorantem. Etiam illud sæpiuscule animadverti, non offensos esse magnos per omnia homines, de quibus liberius existimaverat; imo repulsos qui invidiam ei hoc crimine concire moliebantur. Adjuvabatur hujus propositi simplicitas, instituto quodam & tenore vitæ; à captandis ex longinquo favoribus & beneficiis, longius remotæ, & extra solicitudines, quæ magnos quoque animos debilitare, si non infringere queunt, constitutæ. Non poterunt autem tali exemplo se tueri, quicunque innocentia & ingenio inferiores, ardua nimis affectare instituunt; faciliusque FORSTNERO erranti (quis enim omnia semper conjectando assequatur?) quam censoribus & judicibus temerariis in verum incidentibus, veniam dari convenit. Quærenda fuit hujus rei mentio, eo quod sinisteritatem male consultorum obtrectatorum magnis nominibus præscribere, non obscure meditantur, quibus Herculis cothurnos pygmæo inducere, nullus pudor est.

Sed FORSTNERUM quidem ab omni obscuræ obliquæve indolis opinione, natura ipso aspectu, & honore ingenuæ faciei, vindicaverat. Candorem, libertatem, modestiam, sollertiam, unum sibi pulcherrimo temperamento domicilium legisse, statim crederes, & citra opem artis, quæ ex spectabilibus corporum notis interiorẽ animorum præstantiam colligit, deprehẽderes. Nihil ad ostentationẽ, multo minus ad fucũ, aut pompã compositũ visebatur audiebaturve: omnia sincera & ad demerendos homines occultis gratiis valida; virum

rum coli amarique dignum, animis penitiore recti honestiq; sensu imbutis, ultro insinuabant. Non intelligunt bonos nisi boni; non distinguunt vana à veris, inania à solidis, nisi quos melior genius eorum numero exemit, qui destituti mentis acie, oculis velut aurigine infectis, magnorum virorum præsentiam spectaculis stultorum expertem; minuendæ famæ potentissimum argumentum; sicut fastum & affectatam majestatem unicum famæ augendæ titulum, pro suo captu insolenter interpretantur. Quæ tanquam mali ominis nomina proscribenda sunt ab his paginis, Virum, in quantum intelligi virtus potest, optimum memorantibus. Inter prudentes, & collegas nemo unquam fuit, quin agnosceret divinam quandam hujus viri in judicando felicitatem, in suadendo dissuadendove providentiam, in efficiendo industriã, ac dexteritatem. Gravis sine tristitia, humanus sine ambitione, comis sine blanditiis, elegans sine offuciis, omnibus publicæ privatæque vitæ officiis parem animum commodavit, Rara & mira nec nisi consummatæ virtuti debita celebritas. Hic est, quem Principum nemo unquam fastidit; Ministrorum nemo contempsit; Civium nemo non desideravit. Summis imisque ex æquo gratus, cum stationis aulicæ, nunquam satis tutæ, pericula effugeret, dignitatem & præmia retinebat.

Fuerunt homines prave callidi, qui virum magnis in rebus civilibus versaturum, tribus carere rebus, Religione, Uxore, Pudore, oportere, non sine suo & sæculi opprobrio differuerunt. An adhuc sint, qui tam flagitiose sapiant, ego quidem nescio; Solus qui secreta pectorum inspicit DEUS noverit. Credo tamen, in Germania quidem, non dari aulas aut curias, quæ homines tam manifesto profanos tolerandos esse statuant. Nam qui suspicionibus de re tanta judicari debere autumant, plerumque illis ipsis, quos fingunt reos, deteriores sunt. FORSTNERO certe nunquam ludus fuit Religio: vel, ut ipse eam simulando sperneret, vel ut ab aliis sperni comminisceretur; quam fraudis speciem sæpe scelestissimi homines, odio suo in bonos & innocentes viros præferunt, & imperitioribus, pecorum ritu antecedentium gregem sequentibus, disseminandam tradunt. Seria ipsi, Deoque familiariter dedita pietas, quotidie preces, suspiria, sanctas meditationes peperit. Librorum & amans & gnarus, unum tamen esse Codicem DEO Auctore proditum, credebat, qui obli-

oblivisci faceret Aristoclem & Aristotelem, omnisque sapientiæ humanæ laudata quamvis & in immensum exaggerata nomina. Hujus cœlestis thesauri creberrima lectione & commentatione, quin plurimos, quibus hoc potissimum negotii datum est, vicerit, dubio omni caret. Additi sunt Theologi antiquitus & hodie sapientiæ pietatisque nomine insignes: neque quicquam omissum, quo ad beatam immortalitatem, natura mortalium facilius promptiusq; elevaretur. Huic intentus studio animus summam pudoris, sive, ut sanctius loqui fas est, conscientiæ rationem habendam ratus, sibi tutam, aliis facilem, convictus & omnis commercii consuetudinem, concinnavit. Nam ubi apud eos, qui in excelso ætatem agunt, respectus honesti periit, tum licebit humilioribus & potentiorum ope indigentibus serio vapulare & plorare & venum ire, si non perire. Tum de misero illo in tenebris oberrantium grege, & diis hisce nihil divini moris habentibus, oraculum fit illud Poëtæ:

Enimvero dii nos quasi pilas homines habent.

Conjugium quoque nihil impedimenti, sed plurimum adjumenti afferre homini rempublicam gerenti, FORSTNERUS non dijudicavit modo, cum viris affectata abnormis sapientiæ prodigia aversantibus, sed cum feliciter conjugatis expertus est. Ducta enim in matrimonium ornatissima virgine ROSINA PAVERIA, tres & viginti per annos, omni genere fructuum, qui ex virtute & amore matrimoniali contingere possunt, domum & rem familiarem auxit beavitque: Filiorum quatuor, & unius Filiæ pater factus. Et Filiam quidem multis jam adolescentiæ in parentum laudes surgentis speciminibus efflorescentem, acerbo funere orbata domus extulit. Filiorum numerus & ætas, non domi modo plurimum gaudii & ornamenti habuit; sed foris quoque amicorum spem, applausum & gratulationem uberrime excivit: donec natu major, PAULUS CHRISTOPHORUS, post exquisitam doctrinam & prudentiam sibi comparatam, & rarioris generis peregrinatione collocupletatam, felicitati tantæ, præmaturo obitu, caliginem & jacturam intulit.

Magnum id vulnus, nec cito consolabile fuit: quippe quo spei multiplicis contextus rumpi videbatur: nisi quod triga Fratrum superstes, Patris senectam & viduitatem (neque enim post ereptam satis dulcissimam conjugem 1654. ad secunda vota transiit) copiosissimo omnis spei & decoris pro-

proventu levavit & recreavit. In his LUDOVICUS quidem aulicis pridem ministeriis officiisque innutritus, gratia & dignitate apud Principem pollet. FRIDERICUS autem adhuc colligendis, sive potius cumulandis variæ peritiæ civilis præsidiis, Aulas sequitur. In HENRICO, animus ad magna natus, omnisque negotii & officii capax, ea jam sui documenta dedit, quæ Parentem totum solerter judicantibus promittunt. Itaque vivit vivetque FORSTNERUS in hoc Terrarum orbe, non ingenii monumentis, & meritorum in Rempublicam gloria, sed virtute etiam Filiorum, & producendis renovandisque per continuam Nepotum seriem laudibus.

Et sicut nulla pars vitæ Forstnerianæ sic in oblivionem venire potest, quin plurima consiliorum, beneficiorumque late proficuorum, tum decoræ comitatis, moderationis, elegantiæ, aliarumque egregiarum artium nomina, in ore famæ, in memoria temporum pervigeant: ita suprema viri optimi multum quod admiretur nostra, recolat postera ætas, habuerunt. Antequam quid in mortalitate ultimum esset, videre desiit, quid in beata æternitate primum esset, jam persensit. Tanta illi in DEUM pietas, tanta Christi recordatio, tanta salutis, quæ vere & sine fine vitalis est, cupiditas præsto fuit: & à sensu valetudinis, ipsiusque mortis, abductum animum libertati pridem expetitæ vindicavit. In precibus fundendis, in amplectendis spei nostræ mysteriis, & Sacramento Cœlestis epuli suscipiendo, in Theologo, cui suam conscientiam regendam commiserat, avide, frequenter, reverenter audiendo, omnis boni Christiani numeros explevit. Ea propter finem ejus 28. Dec. 1667. ut exemplum & artem sive bene moriendi, sive vitam meliorem rite auspicandi; non perfunctorie celebrari audimus. Lugent Templa auditorem & confessorem sancti gregis, vere religiosum: deflent pauperes patronum liberaliter benignum: vocem tollunt lamentabilem, quibus non licet amplius voces benefactoris solatio miserorum fœcundas audire. Dambenoyanum vero, rusticatione & secessu erudito negotiosoque Domini nobile Hæredium, villas suas majore mensura taxat, nec modicæ celebritatis genus existimat, FORSTNERO sepulcrum præbuisse 13. Jan. 1668. æt. 70. At memoriæ & nomini tanti viri non minus Cenotaphia in pectoribus suis,

in

in literis & libris suis fabricant, quos melioris genii pietas, ad exempla magnæ virtutis veneranda excitare solet. Tu inprimis, WOLFGANGE FORSTNERE, Frater germano vere germane, sicuti per omnem vitam amore, fide, virtutibus, meritis certare vos invicem juvit; ita nunc gloriæ Forstnerianæ caput & sublime decus emines: Quod ut diu facias, DEUS velit. Te eadem consiliorum gravitas & constantia, candor, libertatis modestia mixtæ dexteritas, cæteraque præcipua humani animi bona, in eo laudum collocant fastigio, unde geminum paulo ante sidus conspiciebatur. Tu Patris animum, Fratris Filiis; amici benevolentiam, Fraternis amicis repræsentas. In te conspirant vota bonorum & prudentium virorum; Te vivere, Te valere, Te Fratris annos multum superare, exoptant. Sic enim putant, sua desideria ad felicitatem & ornatum sæculi pertinere: Tuæque virtutis diuturnos fructus rebus in meliorem statum vertendis necessarios judicant. Et quoniam sanctior est firmiorque nostra amicitia, quam ut Tecum me sinat loqui, quæ apud alios nunquam taceri debent; abrumpendum mihi uberiorem sermonem, & in sua tempora differendum video. Nisi quod iterum profiteor, me non meritis FORSTNERI, quæ infinita sunt, sed meo officio, quod angustos etiam intra terminos contineri potest, satisfacere voluisse. Dicam imo apertius: ut decora nostri temporis ingenia, suas vires in illustri argumento experiri instituant, infacundo hoc scribendi genere, occasionem & materiem præbere, si non stimulos subjicere, consilium fuit. Vel sola Ratisbona, amplissimi PORTNERI, KERSCHERI, PRASCHII (nam LENZIUM nuper ereptum adhuc lugemus) ingeniis, quicquid est eloquentiæ ætatem laturæ, abunde & extemporali facilitate expediverit. Juvit enim Te juvatque, ornamentum Patriæ tuæ, totiusque Germaniæ, PORTNERE, necessitudinem domesticam, cum FORSTNERO Cancellario contraxisse. Illius virtus Mombelgardi Te detinuit: neque quicquam suavius hactenus esse Tibi potuit, recordatione consuetudinis tam nobilis, & fructu commercii Literarum, inde subnato, quo utrumque decore & peramice usos novimus. Neque dubitavit unquam Te interpellare Germania, ne Museo tantum tuo patiaris insenescere illas opes, quæ par nobile amicorum Europæ debent exhibere. Favebunt & aliis

modis

modis memoriæ FORSTNERI, quicunque magna nunc passim dignitate eminentes, hospitii tot votis expetiti deliciis frui potuerunt. Neque ulla erit tam surda posteritas, quin amicitiæ cum FORSTNERO junctæ testimonia, in præcipuis ad famæ & honestatis decus conciliandum argumentis numeratura sit. Tu vero, beatissima anima, vive & vale, CHRISTI amplexu, consortio Cœlitum, deliciis Paradisi æterni, penitus potita. Nos solabitur tua felicitas, ad quam recepti solim tecum corporibus, vel immutatis, toti Angelorum similes convolabimus.

SCRIPTA.

De Principatu Tiberii. *Patavii* in 4.

Hypomnematum Politicorum Centuria. *Argent.* 1623. in 12.


Notæ Politicæ ad Cornel. Tacitum. *ibid.* 1628. in 8. *Lugd. Batav.* 1650. in 12. *Francof.* 1662. in 12.

Omissorum liber. *ibid.* 1631. *Lugd. Bat.* 1650. 1655. 1661. in 12.

Epistolæ, Negotium Pacis Osnabruga-Monasteriensis concernentes. *Mompelgardi* 1657. in 12.

Epistola Apologetica ad amicum contra secreti temeratores. *ibid.* 1657. in 4.

Epistola de moderno Imperii statu. *Freistad.* 1670. in 12.



MEMO-

MEMORIÆ PHILOSOPHORUM, ORATORUM, POETARUM, HISTORICORUM, ET PHILOLOGORUM

NOSTRI SECULI


CLARISSIMORUM

RENOVATÆ,

DECAS NONA,

CURANTE

M. HENNINGO WITTEN.



FRANCOFURTI,

Apud MARTINUM HALLERVORD,

Typis JOHANNIS ANDREÆ,

Anno cIↃ IↃc LXXIX.

Kk

MEDRASCH. RUTH. CAP. I, III.

אשריו של אדם שיצא בשם טובמן העולם:

BEATUS EST ILLE HOMO, QVI CUM NOMINE BONO EXIT EX HOC MUNDO.

VIRO
PL. REVERENDO, AMPLISSIMO ET
EXCELLENTISSIMO,

DN. JOHANNI HELDIO,

NON NOMINE MINUS QVAM RE ET
VERITATE HEROI,

QVA MENTIS ACUMINE,
QVA GENII PRÆSTANTIA
ET SOLERTI UBIVIS PRUDENTIA
LITERATISSIMO,

PHILOSOPHO ATQVE PHILOLOGO EXIMIO,

HODIE AUTEM

ECCLESIÆ, QVÆ CHRISTO IN LIBERA
IMPER. NORIBERGA COLLIGITUR,
SYMMYSTÆ VIGILANTISSIMO,

EBRÆÆ LINGVÆ PROFESSORI
PERINDUSTRIO ET OPTIME
MERENTI,

DOMINO, FAUTORI AC HOSPITI QVONDAM
MEO REVERENTER SEMPER HABENDO,
PRO HOSPITIO NON SOLUM,
QVOD CUM PEREGRINIS QVOQVE ALIIS

EX VOTO HABUI COMMUNE,

SED TENERRIMO IN PRIMIS AMORE,

QVO ME, IN ALTERUM USQVE ANNUM, PRÆSENTEM SINCERE COMPLEXUS EST,

INGENTES ET PROPE INFINITAS DEBEO GRATIAS,

PUBLICO HOC IPSUM

QVICQVID EST INTERNI ADFECTUS ΤΕΚΜΗΡΙΩ DECLARATURUS:

QVAMVIS PERSOLVENDIS SINGULIS BENEFACTIS INOPEM ME AC IMPOTENTEM AGNOSCO;

DEUM TAMEN EX ANIMO VENEROR, UT FLORENTEM HELDIORUM DOMUM,

PROLE CARENTEM,

INGENII MONUMENTIS ET VIRTUTUM DECORE IMMORTALEM CONSERVET!

ITA VOVET SPERATQVE

M. H. WITTE,

TANTI NOMINIS CANDIDUS ET EXTRA GERMANIAM GERMANUS CULTOR.

SERIES



SERIES PHILOSOPHORUM, ORATORUM, &c.

NONÆ DECADIS.

Obiit anno

1667. Abrahamus Coulejus, Poëta Anglus.

1668. Joh. Ericus Oſtermannus, Græc. Ling. Prof. Witteb.

1668. Sigismundus Pichlerus, Polit. & Eth. Prof. Regiom.

1669. Abdias Trevv, Mathem. & Phyſ. Prof. Altorphin.

1669. Jo. Michaël Moſcheroſchius, JCtus & Polyhiſtor.

1670. Balthaſar Scheidius, Græcæ & Orient. Linguarum Prof. Argentor.

1672. Jo. Henr. Bœclerus, Hiſt. Prof. Argent.

1673. Cæſo Grammius, Phyſiol. & Græcæ Ling. Prof. Kilon.

1674. Jo. Andreas Boſius, Hiſt. Prof. Jenenſis.

1675. Jo. de Bruyn, Phyſ. & Mathem. Prof. Traject.



DE VITA ET SCRIPTIS ABRAHAMI COULEJI, Angli,

MARTINO CLIFFORDO, S.
T. SPRAT, S.

EN Poëmata Latina Couleji tui, Viri eruditione & scriptis, sed vita maxime memorabilis, Pauca quædam de Authore ipso præmittenda censui, quæ debentur certe tanto hominis vel ingenio, vel modestiæ, Hæc Tu optime omnium possis, qui eum per triginta annos familiarissime noras, & summe semper colueras. Sed Tu ab omni scriptione abhorres; fastidio forsan non injusto, scriptorum hujus ævi multitudini & incuriæ infensus. Quam igitur provinciam Tu refugis, Ego suscipio; eo certe lubentius, quod de Coulejo dicenti, Nemini potest deesse vel materia, vel oratio. Tu interim da veniam, ut de Communi Amico scribens, memoriam tuam, & fidem appellem: ut si minus stylo tuo & ingenio, Testimonii tamen & judicii tui fama, Vir magnus posteris commendetur.

ABRAHAMUS COULEJUS, *Londini* natus est, *anno millesimo sexcentesimo decimo octavo*. Parentibus ortus est honestis, civibus Londinensibus: Nactus conditionem Fortunæ parem Animo, qui nunquam immoderatá, aut nimis alta appetebat. Prima ætate institutus est *in Regio Gymnasio VVestmonasteriensi*; cujus loci nobilissimum genium ornavit, & auxit. Vix dum decennis Poëta factus est, legendo *Spencero* nostrate, scriptore sane illustri, & vel adultis difficili; Sed Couleji Ingenium magnitudine animi, non annis æstimandum. Innutritus est in Antiquis omnibus Authoribus, quos non solum memoria tenuit, sed judicio probavit, & usu perenni familiares sibi reddidit. Puer adhuc multa edidit, quæ viri cum fructu legerent, & imitarentur. His initiis celebris *Cantabrigiam* concessit, ibique inter æquales citissime inclaruit, & *in florentissimo S. Trinitatis Collegio*, admirabili profectu adolevit. Exercitia Scholastica Romano Foro.

Foro, & Ciceronis auribus digna. Matura supra fidem Indoles, nec tamen præcox. Mire festinavit: sed pariter duravit.

Flagrante Bello Civili, pro regiis partibus stetit, & *Oxonium* se contulit: quam Urbem Rex optimus Rerum suarum caput,& sedem Belli delegerat. Illic inter Arma per biennium studiis fælicissime floruit; militiæ interea non immunis. Mature in notitiam principum Virorum venit, inter alios *Nobilissimo, Doctissimoque Falklandio, Regi à Secretis,* familiariter usus est. Eam consuetudinem similitudo studiorum & animorum, conciliaverat.

In familiam *Illustrissimi Comitis Sancti Albani* adscitus, *Reginam Mariam*, Regno per nefas extorrem, *in Galliam* secutus est. Invitus è Schola transiit in *Aulam*: mutavit vitæ cursum, non vitam; vixit comitate, facilitate, humanitate Aulica: probitate, diligentia, innocentia Philosophica. *Parisiis* per duodecim annos, plurima obiit negotia gravissima, ad *Caroli utriusque* salutem spectantia. Illud præcipuum industriæ ejus, & Fidei erga Regiam Familiam exemplum, quod commercium Epistolarum inter *Carolum primum*, & *Reginam Vxorem* per quinquennium administravit; literas fere omnes, quæ nunc extant, hinc illinc missas, manu propria describens.

Tandem in *Patriam* missus Tyrannide oppressam, vix injurias istorum temporum evasit. Paucis dein mensibus libertate mulctatus, aliquando dimissus est, vadimonio facto, & fama ingenii, quod etiam apud hostes infensissimos valuit. Paulo post sub *Cromvellii* mortem in *Galliam* regressus! eodem quo olim munere functus est, usque ad auspicatissimum CAROLI *Secundi* Reditum. Rebus patriæ in melius cedentibus, & Pace stabilita, à vita actuosa & exercitata, ad privatam & tranquillam se recepit: non quidem animi imbecillitate, sed judicio. Penitus enim perspexerat universam rerum humanarum pompam, & expertus contempserat. Circa id tempus fortuna satis ampla auctus est, munificentia *Ducis Buckinghamii*, & *Comitis Sancti Albani*, quibus per omnem ætatem charissimus erat, quosque vicissim summa cum observantia suspiciebat. Hoc viatico instructus, pro meritis tanti Viri exiguo sane, pro animi vero temperantia satis magno; ardentius jam urgebat institutum illud suum, quod olim destinaverat, exeundi ex hominum

catu & tumultu, & vivendi aliquando in otio cum dignitate. Octo extremis annis utplurimum Rure delituit. Urbem & Aulam rarissime revisit, idque non tanquam incola, sed Hospes. In amœnissima Thamesis Ripa, vitæ curis & ærumnis solutus, totus Amicis, & severioribus literis vacavit, Musas etiam una in solitudinem comites adduxit; sed & simul Eremitas fecit Deoque consecravit.

Opera ejus universa vix quidem sub una Forma, aut Charactere comprehendi possunt, ita temporibus, & materiis, & stylis differunt. Multa edidit Adolescens, multa Academicus, multa Aulicus, multa privatus, Domi Forisque multa. Omnia tamen eodem Animi tenore, vitæ suæ simillima, candida, honesta, decora, numerosa, sine morositate gravia, sine levitate jucunda. In utraque lingua plurima scripsit, *Latina* & *Vernacula*; illa inter veteres, hac inter recentiores Princeps judicandus. *Soluta oratione* & *metris* pariter excelluit; In utroque genere facillimus Lectori, Imitatori non ita. Argumenta omnimoda tractavit, Faceta, Amatoria, Moralia, Divina Semper quid deceret, & quid esset satis, optime novit. Nullam unquam materiam, nec Lectorem lassavit. Judicares eum semper plura dicere posse, sed nolle. In verbis nec curiosus admodum, nec nimium negligens. Communibus & usitatis contentus, paucissima aut immutavit aut innovavit. Rem præcipue spectabat, in eaque immorabatur. Inventione copiosus, lucidus ordine, accuratissimus judicio. Genere dicendi grandis, tenuis, temperatus, pro cujusque rei natura & decore. De Amoribus lusit, *Ovidii & Catulli* facilitate. & Ingenio, modestia sua. Quod *Horatius* ipse fieri posse desperavit, *Pindarum* æmulatus est: Hujus vehementiam, & majestatem verborum & sententiarum, & beatissimam figurarum copiam fælic ter expressit, versu inæquali, & solutæ Orationi proximo; ideoque argumentis omnibus, & usibus vitæ maxime accommodato, Antiquorum Poëtarum difficillimos & ingeniosissimos locos reddidit; lingua diversa, spiritu & animo vel eodem, vel majori. Inchoavit *Divinum Poëma*, & in *Rege Davide* celebrando, Davidem Poëtam imitatus est. Multas *Sanctæ Scripturæ* Historias illustravit versu, & furore cœlesti. Ut mihi quidem videtur, in aliis materiis cæteros fere omnes vicit, in Sacra Poësi seipsum. Multiplicia alia absolvit argumenta, De rebus Philosophicis, de bonorum laudibus, de

Regia

Regia causa, de Tyrannide *Cromvellii*, de officiis, de Animi tranquillitate, & moderatione, facundissime disseruit. Quæ omnia apud nostrates in deliciis habentur.

Latini sermonis nativam habuit; non adscitam suavitatem. Numeros prope omnes Romanorum Poëtarum, & diversissimos versuum colores attigit: Quod ne ipsi quidem veteres fecerunt; quorum singuli unam aut alteram Poëseos figuram seposuerunt sibi, in eaque præcipue elaborarunt, desperatione cæteras consequendi. Scripsit *sex Libros Plantarum*: Argumentum novum sane, sed infinitum pene, & ipsa copia difficillimum. Horum primi duo Oratione sunt modica & molli, ut elegos decet, sed ingenio vegeto & forti. In duobus proximis *Horatii* omnia carmina, & numerosam fælicitatem effinxit: Cujus summi Authoris non solum Epoda, sed & Epistolas & Sermones imitatus est, facetissimum omnium Antiquorum scribendi genus. In duobus postremis Pede Heroico usus est; &, absit verbo invidia, si non *Virgilium*, cæteros certe omnes superavit. Horum ultimum Patriæ suæ laudibus dicavit; in eo etenim civiles Angliæ tumultus, *Caroli Primi* calamitates, *Secundi* Reditum, & initia nuperi Belli Navalis cecinit; Ingenio pari virtuti, & fortitudini Anglorum. Hæc de scriptis ejus: De Vita Majora dicenda sunt. Habuit quidem perfectam naturalem bonitatem, nec variis quos subiit Fortunæ casibus, nec Aulicis Artibus, aut exteris corruptam, aut mutatam. Moribus erat rectissimis, integerrimisque. Sui temporis ingeniosissimus, nec inde deterior, nec insolentior factus est. Poëta maximus, sed positus supra ipsius Poëseos vitia, & ineptias, Nullo fastu, nulla vanitate, nulla adulatione: quo nil majus aut inusitatius dici potest.

In Doctrina ejus & Ingenio multa singularia. In victu, habitu, aut gestu nihil. Artibus omnibus præditus, nullo artificio, aut astutia vixit. Neminem unquam aut verbo aut facto læsit. Cum nemine pro fama aut pecunia contendit. Nullius laudes arripuit sibi, aut impedivit. Quorum mores aut scripta probabat, eos non vituperando, aut illudendo, sed monendo, favendo, & etiam laudando corrigebat. Modestia tanta, ut simulationem dixisses, ni cæteras virtutes omnes pares habuisset.

Privata omnia & publica officia sua, magna cum fide & industria præstitit. Matrem lectissimam Fœminam per

omnem vitam chariſſimam obſervavit, quam octogenariam demum amiſit. Tres Fratres admodum dilexit, quorum unicum ſuperſtitem Hæredem ſuum moriens ſcripſit. Inter ſuos omnes maximam ſemper obtinuit autoritatem, non Imperio, aut ſeveritate, ſed comitate partam. Poëtarum noſtratium, difficillimi hominum generis, invidiam, aut obtrectationem nec meruit, nec habuit. Amicitias religioſiſſime coluit. Quibus in pueritia & condiſcipulatu aſſueverat, eos ad mortem uſque familiariſſimos retinuit.

Immenſa erat Diſciplinarum omnium & ſcientiarum ſupellectile inſtructus, nec tamen impeditus. Magnus Animus ſine tumore: Doctiſſimus ſine aſperitate, aut affectatione. Ingenium & ſibi facile, & aliis: nec partu laborioſum, nec auditu. Nil unquam operum ſuorum recitavit, niſi amiciſſimis, & coactus. Nunquam niſi familiariſſimis ſuis Poëtam ſe eſſe oſtendit. Aliis omnibus, nemo comior & commodior ad omnem rationem humanitatis.

In ſermone nec magnitudo rerum facetiis excluſa, nec hilaritas gravitate. Nemo ab eo niſi invitus diſceſſit. Conſuetudine erat ea, quæ certe optima cenſenda eſt: quam ſcilicet amiciſſimi magis quam alieni, adamarunt, & mirati ſunt. Nemini unquam ſe ſubito venditabat. Nullius unquam plauſus captabat: contentus bonorum honeſta opinione, à blandimentis & encomiis abhorrebat.

Cum ſumma animi moderatione & ſuas res curabat, & aliorum reſpiciebat. Tum in proſperis, tum adverſis ſimilis & conſtans ſibi Animus, nunquam aut ſupra, aut infra conditionem. Nunquam præſentem vitam futurorum ſpe anxiam reddidit. Domeſticis ejus facultatibus, & ipſe, & amici liberaliſſime utebantur. Mores ſuos & vitam privatam, non aliorum opinionibus aut rumoribus, ſed nativa honeſtate regebat. Religionem veritus eſt, & amplexus, non diſputandi, aut oſtendandi ſe cauſa, ſed vivendi. Dignus certe ſplendidiore fortuna. Negotiis omnibus vel graviſſimis idoneus, ſi ipſe ſe idoneum exiſtimaſſet.

In longo illo extremæ ætatis ſeceſſu, Otium quod habuit, Naturæ Arcanis Deique Operibus impendit. Ad Naturæ myſteria accedebat, ut primi illi Antiquitatis Heroes, Scientiarum Inventores, qui tum Poëtæ tum Philoſophi extiterunt. Inſtructus eſt tam judicio, diligentia & methodo, ad eam inveſtigandam, quam ingenio ad ornandam.

Præter

Præter hanc Naturæ indagationem, quam perpetuo urgebat, ad præterita studia sua, hortatu nostro respiciens, de stylo scribere aggressus est: quo in libro universam veterum & recentium scriptorum censuram,& comparationem instituebat; procul dubio par tam ingenti argumento futurus. Sed vix inceptum reliquit. Et nunc certe perfectio tantæ rei in posterum desperanda est, nisi eam Tu ipse, Vir Doctissime, susceperis.

Ultimum ejus conatuum mortalium erat Dissertatio de doctrina & usu Christi, puro, antiquo, primigenio. Proposuerat sibi, posita omni factione, & partium studio, vetera omnia repetere. quæ ad religionem nostram pertinent, eaq; Christiano orbi exhibere. Quo in opere quod non fuerit ulterius progressus, magno sane accidit Ecclesiæ damno. A quo enim alio fas esset expectare primævam veritatem, quam ab animo primæva innocentia & pietate imbuto?

Verum hæc & similia meditans è vita excessit, cœlo non ætate, sed studiis & cogitationibus maturus. Initio superioris anni inciderat in morbum, quem Medici *Diabeten* appellant. Hoc cum tres circiter menses laborasset, leviora symptomata fieri cœperunt, & sanari videbatur. Sed media æstate, inter messores nimium diu spatiatus novo morbo correptus est. Rem ipse primo contempsit, ut levem, & cui remedia facilia proponebantur. Sed ingravescente indies morbo, sero tandem Medici accersuntur. Atque ita non multo post tempore, pectoris & gutturis dolore, consumptus est.

O vana hominum desideria, & fragiles spes! Nam quamdiu ambitione, & officiis Politicis *Couleji* vita districta est, quam ille vix vitam quidem suam reputabat; tam diu prosperrima valetudine urebatur. Cum primum autem vivere jam cœperat, & se ipso frui, ejus omnia vitæ consilia, diuturnus primo morbus, dein Mors ipsa pervertit. Sed Fatum illud immaturum ipsius gratia lugere desinamus, ne conditionem ejus caducam, feliciter immutatam, non satis grato animo interpretari videamur. Nostro potius detrimento doleamus, qui in uno homine summas Naturæ & Artium dotes, suavissimam Consuetudinem, humanissimos Mores divinum ingenium, Virtutum omnium exemplar ingens, & præconem disertissimum amisimus.

Elatus est ex Ædibus *Ducis Buckinghamii*, non nimia pom-

pompa, sed multo officio funeris: comitantibus plurimis Nobilibus & Claris Viris, mærentibus doctis, & bonis omnibus. Sepultus est in *Templo VVestmonasteriensi*, Regum monumento. Situs est juxta *Chaucerum*, & *Spencerum*, magna inter *Anglos* Poëtarum nomina. Sed non tam Scriptoribus vetustis Anglicanis, quam veræ Antiquitatis Romanis Græcisque annumerandus est.

Habes, *Vir Optime*, quæ de *Coulejo* nostro præfanda duxi. Plura de eo scribere supervacaneum est. Minime quidem eget alterius præconio; Divinis ingenii sui monumentis immortalitatem consecutus. Nos interim, non solum scriptis ejus, sed Virtutibus fruamur; & tanti Viri Memoriam, & amicitiam perpetua benevolentia prosequamur. Vale.

EPITAPHIUM
Vivi Autoris.

Hic, ô Viator, sub Lare parvulo
COVLEIVS hic est conditus, Hic jacet,
Defunctus humani laboris
Sorte, supervacuaque Vita,
Non indecora pauperie nitens,
Et non inerti nobilis otio,
Vanoque dilectis popello
Divitiis animosus hostis.
Possis ut illum dicere Mortuum,
En Terra jam nunc quantula sufficit?
Exempta sit curis, Viator,
Terra sit illa levis, precare.
Hic sparge flores, sparge breves rosas,
Nam vita gaudet mortua floribus,
Herbisque odoratis corona
Vatis adhuc Cinerem Calentem.

SCRIPTA.

Poëtical Blossomes. *London* 1633. in 4.
Naufragium joculare, Comœdia. *ibid.* 1638. in 8.
Loves Riddle, à Pastoral comœdi. *ibid.* 1638. in 8.
The Mistress, or several copies of Love verses, *Lond.* 1647. in 8.

Pœms'

Poems, with notes. *ibid.* 1656. in fol.
Plantarum libri 2. carmine. *ibid.* 1662. in 8.
Poëmata Latina, in quibus continentur sex libri Plantarum, nim. duo Herbarum, duo Florum. duo Sylvarum; & Unus Miscellaneorum. *ibid.* 1668. in 8.

PROGRAMMA,

IN FUNERE

Viri Amplissimi nec non Excellentissimi,

DN. JOHANN. ERICI OSTERMANNI,

Græcarum Literarum Professoris Publici, Electoralium Stipendiatorum Ephori, Academiæ totius Senioris celeberrimi ac longe meritissimi,

Propositum à

RECTORE ACADEMIÆ WITTEBERG.

CHRISTIANO TRENTSCHIO,

Hayna-Misnico, Logices ac Metaphys. Prof. Publ.

QVartum hoc & multo altissimum vulnus non Universitas hæc nostra tantum, sed elegantiorum literarum ordo omnis, ex obitu summorum eruditione pariter ac fama Virorum: BUCHNERI, FRANCKENBERGERI, NOTTNAGELII, atque OSTERMANNI proh dolor etiam, totius Academiæ simul & Amplissimi Collegii Philosophici Seniorum, intra septennii huc usque proximi decessum, acerbissimo mœrore squalens numerat. Etsi enim per rerum naturam ita videatur esse comparatum, ut, qui grandi natu, ad fatalem humani ævi limitem accedunt propius, colligere vasa

vasa jubeantur tandem; solent in commune tamen, densata capitum venerandorum funera ferales membrorum reliquorum casus præsagire. Deus quidem meliora! Nos interim in JOHANNE ERICO OSTERMANNO, Græcarum Literarum Prof. Publico, Electoralium Stipendiar. Ephoro, Academiæ insuper, ut dictum, Seniore quondam, Virum amisimus amplissime meritum, & literatura reconditiori excellentissimum, nec ultimum in Electorali Aula, cui & à consiliis haud ita pridem addebatur nomen. Sed illi ea nihilominus haud invidenda felicitas est, quod deluso hoc vitæ mimo, ad æternitatem abitu beato penetravit se. Nam cum per ipsos propemodum duodeviginti annos, cum morbis doloribusq; & concatenatis, ut fit, molestiis diviserit ætatem suam hactenus; quid accidere miserius cuiquam potest, quam ubi longissimis cruciatuum moris retenta velut in pœnam vita prorogatur?

Κρείσσων ἄδᾳ κεύθων ἢ νοσῶν μάταν;

secundum Sophocléum illud in Ajace. Et quidni satius mori videatur, quam incurabili teneri morbo? Ut recte adeo Euripides Oreste dixerit:

Ὀρέσ, τίς κακῶν τελευτὰ μένει,
Θανεῖν. Τί δ' ἄλλο γ' εἴπω;

Dict quis erit finis malorum? Mors, quid enim aliud dicam? Optimis tamen piissimisque mentibus usu venire istud cernimus, ut afflictionibus exerceantur diu. Crescit nimirum inter calamitates pietas; dum, ne nimium sapere nos somniemus, homines esse cogitamus: tunc revocamus ad memoriam errores vitæ: tunc ultorem Deum formidamus, & miseratorem devotissime expetimus. Quicquid sit, egregias OSTERMANNI dotes incorrupto æstimantibus judicio, non potest non jactura gravior nunc apparere. Sed enim quid faciemus interea, nisi ut memoriam defuncti & habeamus reverenter, & laudes ejus non tam in theatrum ambitiose, quam in exemplum imitationis, in quod posteritas intueatur, producamus breviter. Sic prudenter adhuc vivens ipse caverat, ne superbe nimis vitæ acta ejus jactarentur. Dabimus hoc illius voto igitur, & qua simplicitate licet, officium Collegæ ultimum probabimus.

Natus Noster Sorbigæ A. Chr. cIɔ Iɔc XI. die XXVI. Junii hora ipsa tertia matutina, Patrem LUCAM OSTERMANNUM, Spectatissimum Virum, Electoralem istius loci

loci Quæstorem; Matrem ornatissimam fœminam, MARGARETHAM TOMITSCHIAM habuit. De quibus strictim referemus aliquid, occasione ab ipsomet Μακαρίτῃ præbita. Cum enim novi apud Nos homines, ex Carniolæ Croatiæque vicino agro Gotschano Progenitores ejus oriundi sint, tum Reccæ nati simul & noti olim Pater, atque Avus, PRIMUS OSTERMANNUS, amplissimis præfecturarum & legationum partibus, sub Serenissimo Austriæ Archiduce CAROLO, Per-illustri Comite FRIDERICO ab URSIN, nec non Barone L. de KIHSEL, &c. egregie defuncti. Ad memoriam insigne pietatis & orthodoxiæ Evangelicæ exemplum illud est, quod conversi ex Papalibus ad id tempus tenebris Parentes, grassante Religionis tyrannide acti in exilium, quicquid bonorum prædiorumque in Styria ad Græciam metropolin jure emptionis possederunt olim, ut cœlestem veritatem, quam amplexi erant semel, lucrarentur, nihili duxerunt; omnia habere se magnanimo solatio existimantes, si verbi divini, & sanctissimorum fidei Symbolorum incorruptam puritatem sequerentur. Nec fefellit animum sententia; cum in has delati oras A. cIↄ Iↄc IV. honoribus pariter ac opibus, divina benedictione affatim cumularentur. Hæc nimirum præmia in his etiam fert terris pietas, si serio castoque Numen suum cultu veneretur. Ab his, ut in viam redeamus, Parentibus prognatus, inq; sacrum remissus fontem, ad pietatem primo, deinde ad compositos emendatosque mores, tum ad rudimenta literarum, felicissimis successibus formatus puer est. Quam in rem adhibiti selectiores magistri, primis Linguarum Latinæ, Græcæque & Ebrææ fundamentis fideliter eum imbuerunt. Agebat sub illud forte tempus A. cIↄ Iↄc XXI. Orientalium magna nominis fama peritissimus Noster TROSTIUS Cothenis, Novi Fœderis Syro excudendi charactere occupatus curis: cujus consiliis methodoque docendi usus, patris providentia & liberalitate filius, brevi adeo profecit, ut ætatem ingenio supergrederetur. Annorum enim quindecim vix adolescens solertia suapte subiit laborem, non absimilem Aviani studio, in Poëseos Hebrææ gratiam suscepto. Ex Græcis Oratoribus Demosthenem, Isocratemque, ex Poëtis illis gravioribus Hesiodum & Theocritum versarat sedulus, adjunctis etiam recentioribus quibusdam, Possello nim. atque Rhodomanno. Non immaturus igitur, etsi tenerior, ad Academiam, parentum

rentum beneplacito accessit An. cIↄ Iↄc XXVI. die Martii mensis quartodecimo professus nomen inter literatos Athenæi hujus Cives. Cum præstaret alios nascendi lege meliori, & antecelleret industriæ speciminibus, stipendio Electorali liberaliter adjutus, majores indies profectus fecerat. Necessariam linguarum, videlicet earum, quas penes eruditio est, cognitionem postquam sibi comparaarat, amplius quid, hoc est pro gloria & ornatu sustinuerat audere. Excellentibus ergo in sua quolibet arte, apud Nos tum ERASMO SCHMIDIO, AUGUSTO BUCHNERO &, quem antea laudavimus, MARTINO TROSTIO, sine exemplo Professoribus Philologis, (ut plura opus haud sit addere) sumtibus non modicis privatim diligentiam addixit in discendo. Ab horum ore ac velut contubernio pendebat, SCHMIDII potissimum intimiore usus amicitia, quæ saluti illi plurimæ ad publicam professionem fuit. Eo doctrinæ atque eruditionis profecerat successu insuper in Syris, Chaldaicis Arabicisque, ut esse invidiæ potuerit. Philosophiam præterea, & scientias ex eadem aliquot subtiliores, quæ ingenio acuendo prosunt, Logicam nempe, Metaphysicam & denique Pnevmaticam sub Beato SCHARFIO separatim audiebat. Quin & Mathesi non superfunctorie attenderat, Clarissimi Dn. M. REINHARDI, Fac. Phil. tunc temporis Adjuncti doctrina maxime adjutus.

Erat spatium hactenus, quo privatim sibi vixit OSTERMANNUS. Sequitur illud, quo ad honores per gradus & majores pedetentim ibat. An. enim cIↄ Iↄc XXX. d. XVI. Martii viginti quatuor inter competitores, loco altero, Philosophiæ Liberaliumq; Artium Magister creatus à summo BUCHNERO fuit. Exacto inde proximo triennio, cum per collegia privata, publicasque Dissertationes eruditionis suæ copiam satis omnibus probasset, inter Adscriptos Philosophiæ locum meruit. Theologiam ita doctus fuerat, ut si in isto studiorum genere deberet esse totus. Fructum etiam non plane nullum sedulitatis hujus tulit, cum A. cIↄ Iↄc XXXVII. amplissimum à Serenissimo Electore, Divo JOHANNE GEORGIO I. beneficium ipsi concederetur gratiose. Non multo ita post, eodem anno, Græcæ Linguæ & Mathem. Infer. celeberrimus Prof. SCHMIDIUS, Elector. Alumnorum Ephorus, & Universitatis hujus Senior decesserat: cui qui succederet in alterutra Professione, Nostro visus

visus nemo nemo fuit dignior. Suffectus itaque communi Patrum Academicorum commendatione prævia, in locum ejus, cujus viduam vertente anno postea legitimis ceremoniis sibi sociavit conjugem. Quam ille provinciam tanta auctoritate gessit, ut inter rarissima Academiæ decora referendus videatur. Solus certe plus ad rem status nostri amplificandam ornandamque contulit, quam steriles multorum disputatiunculæ fecissent. Confusa quippe & in ordinem redegit, & neglecta Fisci Acad. resarsit, rationum accuratus artifex. Ita omnibus ubique solerter ordinatis, nec eruditionis suæ creditum negasset plane, si per valetudinis impedimenta licuisset. Optionem interim (quem vulgo Substitutum nominant) adjungi sibi, qui in lectionibus præstaret vicem, habuit necesse. Accesserunt huc occupationem alia; veluti cum A. cIɔ Iɔc LXI. Electoral. Alumnorum, & triennio elapso inde, Provincialium Scholarum Ephorus, propitio Aulæ nutu vocatus confirmatusque est. Postremus tempore, sed dignitate primus honor ille fuit, quo Consiliarii Electoralis splendidiores titulos nullo ambitu quæsitos, Potentissimi SAXONIÆ ELECTORIS, Domini & Nutritii Nostri Clementissimi indultu, ante spacium semestre adipiscebatur. Academiæ fasces Rector semel Anno seculi hujus XLIV. iterumque, A. LXII. Decanatum quinquies, vice tertia Prodecanatum laudabiliter administravit. Ita equidem in publico negotia illius clara: quæ tamen singula diduci latius ac prædicari potuissent, nisi obvia unicuique esse omnia intelligeremus. Jam in rebus eum œconomicis paulisper etiam intueamur. Uxores omnino duas habuit; primo nimirum præstantissimam Matronam MAGDALENEN, ex B. SCHMIDII obitu relictam viduam A. supra sexcentesimum, tricesimo octavo domum rite duxit, filiamque unicam, nec ultra primi anni spacium superstitem, ex ea sustulit ANNAM MARGARITAM. Natæ abitum mors matris consecuta quoque A. cIɔ Iɔc XLVII. fuerat. Ergo post biennium exinde, Clarissimæ tunc virginum ANNÆ MARIÆ STRAUSSIÆ, Amplissi. Spectatissimiq; Viri Dn. BENEDICTI STRAUSSII, Electoris, quæ hic est, Quæsturæ longe meritiss. Præfecti filiæ, natu maximæ addixit fidem, & legitimis sponsaliorum solemnibus maritam sibi pactus ipsam est. Dici haud potest, quo se invicem amore, qua concordia fuerint amplexi. Et Marito qui-

dem jam inde ab octodecim annis non satis vegeto valentique tanta & solicitudine & diligentia plane indefessa adfuit fidissima conjux, nihil ut ad summas laudes prætermiserit. Aucti quina subole hoc matrimonio fuerunt: JOHANNE BENEDICTO scilicet, JOHANNE ERICO, & JOHANNE LUCA, filiis, filiabusque ANNA DOROTHEA, ac ANNA MARIA: quarum prior ante hos annos tredecim decessit iterum, posterior virgo tenerrima cum tribus adhuc fratribus superstitat in maximum mœrorem data. De vita Defuncti hoc pauciora gloriabimur, quo ipsemet ab ostentatione alienior fere videbatur. In dilectione erga Deum proximumque adeo ille totus occupatissimusque fuit, ut, si brevissime definiendum sit, pii & religiosi, placidi & facilis, officiosi denique & liberalis Viri consummatum aliquod exemplar jure suo etiam ab invidis promereatur dici. Sed ad suprema veniendum tandem. Cum morbis venerandus Noster plurimis, ut ecce febribus, peste semel iterumque, cum asthmate, calculi doloribus, hæreditariaque podagra, (& quis mala omnia enumeraret?) conflictatus sæpius diuque, verum illud esse, quod in Pyth. apud Pindarum habetur, didicit: Ἐπάμεροι, τί δέ τις; τί δ᾽ οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Et pro Symbolo MORTALITATEM præferebat semper. Quare isthæc omnia in universum patientia constanti superavit. Novissimi & exitialis morbi vehementia ex arthritide inprimis nata, in tumores & aquam intercutem degenerabat. Applicata omnis generis, ut semper antehac, ita cum maxime per hunc anni quadrantem, excellentissima remedia; nihil humanæ opis intermissum vel à Medico, vel ab ipso etiam ægroto. Cæterum incurabilis & conclamati plane mali magnitudo sic virium reliquias attemeraverat, ut medicaminum vis omnis conatu irrito adhiberetur. Huc & insolita raucedo, & tussis & ἀπεφωνία denique accessit: quid de se futurum inde foret, colligere ei facili erat. Convocatis proinde necessariis, ante unam alteramque septimanam jam tum valedixerat, ad analysin beatam inter preces & devota vota se componens. Die 10. Augusti, qui supremus ei luxit, Reverendum verbi Ministrum, quem à confessionibus habebat, ut solatiis divinis erigeret moriturum, jusserat accersi. De gratia misericordis Dei, de efficaci Servatoris merito, de fidei constantia quæsitus, ad ultimum vitæ halitum exposuit πληροφορίαν suam, primoque ad VIII. matu-

tinam

tinam pulsu, inter adstantium acroamata, placidissimo velut resolutus somno, in JESU suo obdormivit; posteaquam annos LVII. hebdomad. VI. cum bidui excessu, superasset. Qui dum ad hor. I. postea ex aedibus efferendus in Parochiale templum, & concione celebratus funebri in Arcis Ædem sacram, ut sepeliatur ibi, deportandus solenni ritu est; ut Senioris de Academia nostra meritissimi exequias cumulato prosequamini officio, petere à Vobis supervacuum fere videri possit, quod sua sponte gratitudo pietasque imperabit facile. P.P. ad d. XIV. Augusti, Anno recuperatae per Christum gratiae clɔ Iɔc LXVIII.

SCRIPTA.

Praeprimis eruditissimas quasdam reliquit Disputationes, quibus Philologi eximii nomen promeruit; earum nos solummodo vidimus: De Mutatione punctorum Ebraeorum generali: De convivandi coenandique Veterum ritibus: De Veterum Romanorum convivandi ritibus: De Consultationibus veterum: Observationes quasdam ad Graecam literaturam spectantes: De Astrolatria: De erroribus Auctorum Latinorum: De Sacrificiis Gentilium: De Probatione Stigmatica: Positiones de textu Graeco Novi Testamenti, & si quae forte aliae sunt, quas hactenus videre nobis haud contigit.

HONOR NOVISSIMUS,

Excellentissimo, Amplissimo, multa prudentia, ac Consiliorum dexteritate, Clarissimo Viro,

DN. M. SIGISMUNDO PICHLERO,

Politicae & Moralium Prof. P. celeberrimo, Venerabili Academiae Universae Seniori, Dn. Collegae hucusque dilectissimo, nunc desideratissimo,

Exhibitus à

RECTORE ET SENATU ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.

QVamvis vulgus & homines ima de plebis fece, Academias & qui illis operam navant, parvi æstiment; subinde & despicatui ducant, illi tamen subinde intorquent illud Horatii:

Odi profanum vulgus & arceo:

utpote securi satis suæ dignitatis, quam veluti à magnis Regibus & Principibus sunt adepti, ita & contra adversantium insultus plurimis privilegiis & tutelis muniuntur. Quippe Professorum in Universitate dignitatem adeo pensi habuerunt Magni Reges, Cæsares & Pontifices, ut concessas immunitates, quibus non, qui artium liberalium studia profitentur, tantum, sed & qui edifcendis vacant, fruerentur, legum authoritate muniendas atque per totum terrarum orbem invulgandas, laudatissimo consilio mandaverint: *Angariorum præstatio* (loquimur verbis Juris Augusti *l. 10. ff. de Vacat. & excusat, muner.*) *& recipiendi hospitis necessitas & militis, liberalium artium* Professoribus *inter cætera remissa sunt*. Iisdem, quemadmodum à reliquis muneribus ita & à tutela & cura requies conceditur, (*l 6. ff. eodem* §.1.) Et versantur in omnium manibus Eruditorum Constitutiones, quæ in Codice Theodosiano (*lib. 13, Tit. 3. est de Medicis & Professoribus*) leguntur, quas partim truncatas, partim ex multis in unum confusas Tribonianus Argumenti ejusdem Titulo in Justinianeo itidem Codice exhibuit. Prolixum esset in medium adducere, qua cura & sollicitudine fortunæ Literatorum & immunitatibus prospectum suo ad Volusianum rescripto D. Constantinus voluerit: Quomodo illis, qui unum inter literas professos vexare non erubesceret, *centum millium nummorum*, sumptuosissimam mulctam indixerit: *Vt facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant*, fungendis publicis muneribus exemptos illos esse voluerit. Neque attinet ea his multis describere, quæ Valentinianus & Valens Impp. in eandem sententiam sancita & sanctissime observata voluerunt: Nec deniq; quæ præclarissima admodum Honorius & Theodosius Cæs. rescripserunt, quando omnia illa in Codice, ex quo memorari hæc & alia plurima poterant, obvia sunt, & facili sub manu posita. Quin ut quanti æstimii terrarum Principes Professores facerent artium ostensuri, stupendo pretio eos conduxerunt olim, & prodiga fere liberalitate sustentarunt. Ita historia testis est, Quintilianum Rhetorem quotannis è fisco,

quod

quod ærarium Cæſarum erat, magnam auri vim in Ampliſſimum ſtipendium accepiſſe. Veſpaſianus, authore Suetonio, primus Latinis Græcisque Profeſſoribus annua centena conſtituit, bis mille, ut noſtro calculo reddimus, & 500. Philippæos. Capitolinus teſtis eſt, Philoſophiæ Doctoribus per omnes Provincias, & Athenis 600. aureorum Romanorum, Marcum Antonium in ſuſtentationem elocaſſe. Et annon quantivis eſt, quod Apollonius Athenienſis memoretur, talento cathedram Politicam tenuiſſe, & cum magno legentium & audientium ſtupore docuiſſe. Et munificentiæ prodigium eſt, niſi in oratione illa pro ſcholis mendum ſit, quando Eumenius Rhetor Diocletiano & Maximiano pro ſexcenis millibus nummûm, nos 15000. Philippicor. pronunciamus, veluti annuo ſtipendio gratias agit. Bearentur nunc Academiarum Profeſſores non prodigis illis impenſis, ſed quibus familiam tantum honeſte ſpectantium oculis obducere poſſent; non ita nobiliſſimus ille ordo poſthaberetur. Aſt nunc ubi ſua ſufficientia deſtituitur, apud illos ſæpius, & privati cenſus homines, ut cujusque

... clauſum poſſidet arca Jovem,

& Joachimicorum decades digitos trajiciunt, ita in contemptum venit & alto ſupercilio deſpicitur. Sed utut digniſſimus ille ordo ingrato hoc ſeculo inique tractatus auri præſidiis deſtituatur & verum ſit, quod Petronius habet, dum ſeculi ſui ineptias arietat:

Qui pelago credit magno ſe fœnore tollit,
Qui pugnas & caſtra petit præcingitur auro,
Vilis adulator picto jacet ebrius oſtro:
Sola ruinoſis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua deſertas invocat artes.

Ultra tamen plebis & divitum conditionem aſſurgit, nunquam perituris laboribus & ingenii monumentis. Abſumit temporũ edacitas omnia, quibus ſuperbiunt illi, quos farinæ hujus homines pecudes aureas non invenuſte Tiberius vocavit: ſed perennant Literatorum opera & ingenii fœtus. Unde cum Horatio quisquis literis glorioſe operatus eſt, jactare poteſt:

Exegi monumentum ære perennius
Regalique ſitu Pyramidum altius,
Quod nec imber edax aut Aquilo impotens
Poſſit diruere aut innumerabilis

Annorum series & fuga temporum.
Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam,

Beatissimus noster, ut ad institutum convertamur, egregiam in formanda juventute locavit operam & industriam, in Academia cumprimis nostra Politicam & Moralia professus celeberrima ingenii edidit monumenta, quibus id consecutus est, ut nulla ætas memoriam ipsius apud nos sit obliteratura.

Egressus est autem in lucis hujus usuram, Vir Amplissimi deinceps nominis, Excellentiss. Clariss. ac Doctiss. Dominus M. Sigismundus Pichlerus, Politices & Moralium, in Celeberrima Borussorum Academia Prof. Amplissimæ Facultatis Philosophicæ & totius Academiæ Senior Venerandus, Anno post Salvatoris ortum 1603. 17. Octobr. St. v. in Civitate Griskirchensi, Archiducatus Austriæ, Patre admodum Reverendo & Doctiss. Domino Wolffgango Pichlero, Evangelicæ Confessionis in urbe Wagenkirch/ dicti Archiducatus Pastore meritissimo, qui duram cruentamque persecutionem Anno 1625. ibidem loci, cum aliis constantissimis Salvatoris servis & puræ religionis Confessoribus, animose contoleravit; Matre Lectissima & sui sexus virtutibus conspicua fœmina Barbara Wincklerin / Senatorum in urbe Hallstad, nominatæ Provinciæ præcipui filia. Avum Paternum habuit, Virum Amplissimum & Integerrimum, Dominum Christophorum Pichlerum, Principis Abbatiæ Krembs-Munsteriensis rerum Oeconomicarum Curatorem fidelissimum, qui tempora Lutheri attingens, primus ejusdem Confessionis Professorum, minister in Austria fuit. Aviam ex paterna linea recenset, Nobilissimam & Virtute sui sexus laudatissimam fœminam Barbaram, ex prosapia Dnn. ab Eitzingern antiquissima, cujus Æneas Sylvius in rebus Austriacis & Bohemicis C. 61, sub Regimine Friderici III. Anno 1440, ibi tum Bohemiæ Regis, deinde R. Imperatoris cujus tempore in Aula Cæsarea, hæc familia magnæ Celebritatis, & Authoritatis fuit, mentionem injicit. Avum ex materna linea numerat, Nobilissimum & Consultissim. Virum Valentinum Wincklerum, Civitatis in Hallstad/ Senatorem præcipuum & Consularem. Aviam Nobilissimam & Ornatissimam Fœminam, Sybillam à Terelin. Regenerationis autem Sacramento, in cœlestium civium numerum coopta-

cooptatus, feliciſſimo ductu in pietatis, liberalium artium, optimorumque morum cultura ſtudioſiſſime inſtruitur & perficitur. Atque egregiis à natura conceſſis dotibus, egregium & omnium artium capax ingenium minitantibus, poſtquam in ſchola patria, prima eruditionis firmamenta poſuerat, amplioris acquirendæ gratia, in Gymnaſium Welſenſe transmiſſus, Rectoris ibi tum Celeberrimi M. Jacobi Tydæi, quem dehinc religionis & conſcientiæ cauſa exulantem, Altdorfienſis Academia Eloquentiæ Profeſſorem conſtituit, informationi commendatur, à cujus ore indies doctior, Anno 1618. celebre illud Lintzenſe Gymnaſium ſalutat, & magna ſuorum ſtudiorum incrementa capiens, uſq; ad annum 1621. ibidem ſubſiſtit; & accurante ita divini Numinis providentia, Auſtriacis Baronibus, Dn. Johanni Wilhelmo à Schäfftenberg/ & Dn. Johanni Reimanno à Starenberg/ Studiorum & morum Magiſter conſtituitur, nec diu poſt in Galliam ablegatus, & duos integros annos Genevæ commoratus, linguam cumprimis Gallicam tam accurate & perfecte edidicit, ut deinde propter graſſantem in Bohemia & Auſtria Bellonam, Baſileam evocatus, & dehinc in Celeberrimam Argentoratenſium Academiam commigrans, alios à linguæ Gallicæ peritia, ſingulari diſcipulorum emolumento, inſtruxerit. Sophiæ ibi tum magna contentione & ſedulitate incubuit, ut, deditis ſibi Baronibus domum revocatis, & ita bona illorum venia, functione ſua expeditus, Anno 1626. promotore M. Laurentio Thoma Walliſero, Ethices Prof. P. magna cum laude Magiſtri titulum & gradum acquiſiverit. Non autem ſatis reputans dignitatem acquiſiviſſe, ſed feliciter ſemper eandem adauxiſſe, Collegia Philoſophica & Theologica, ſedulus non tantum auſcultator frequentavit, ſed & doctorem egit, nobiliſſimis cumprimis juvenibus ſua informatione gratus & acceptus, linguæ Gallicæ, Hiſtoriæ, Politicæ & Juris Publici lectiones habuit, ac urſit, animum cumprimis, Profeſſorum præcipuorum conſilio, imbibendæ Jurisprudentiæ totus applicuit. Sua autem diligentia paulatim ad hominum famam profluens, à Domino Auſtriaco Adamo à Giengen/ Confeſſionis cauſa exulante, Ratisbonam evocatur, ubi integrum biennium Filii ipſius informationi vacans, & ob ſedulitatis ſuæ ſpecimina magis inclareſcens, à Domino Ludovico Zoeher/ Equite, & Marchionis Principis Conſiliario, Capitaneo & Liberi Equitatus

Imperialis Franconici Legato, Guntzenhusium, in Marchionatu Onolsbachiensi ad filii institutionem vocatus accedit, & adiisset illo comite, terras alieno sole calentes, nisi famosum illud Lipsiense prælium insecutæ turbæ, Cæsarei & Svecici exercituum transitus, integram Bavariam devastassent & incolas fuga salutem quærere coëgissent. Quare noster securitati suæ consulens, Argentoratum repetit, orsam studiorum telam texit, usque dum inter alias oblatas conditiones honorificas, insperata vocatione institutioni Sereniss. Celsissimi & Reverendissimi Principis ac Domini, Domini Ernesti Bogislai, Ducis in Croy & Arschott/ S.R.I. Principis, & Electi Episcopi Caminensis, ab illius Consiliario Domino D. Clutenio, Celeberrimo J.C. & PP. præstituitur. Divinissimam illam vocationem persecutus, eodem anno, diversos quamvis inter exercitus, præsentissima inter discrimina, diversas in Germania Academias Jenensem, Lipsiensem, Wittebergensem transit, & Sedinum in Pomeraniam delatus, instituendo Principe duodecimum ætatis annum ibi tum agente, adhibitis omnibus industriæ nervis, & magna fidelitate, sex integros annos consumit. Jactis autem à S. Principe solidæ eruditionis fundamentis, Gryphorum Celeberrimam Academiam ingrediuntur, ubi S. Princeps Magnificentissimus Rector declaratus est; atque Cancellarius Academiæ & Legatus factus in solennissimis Actibus, altero sex Juris Doctores obducente, altero novem Candidatos Philosophiæ Coronamentis insigniente, publice opponendo & omnium cum applausu perorando, honorificum suum locum nobilitavit. Invitatus autem, ut summos in jure honores, quos dudum illius Virtus & subacta eruditio meruerant, capesseret, eos tamen sonticas ob causas evitavit. Sed peregrinationi ibi tum se accingentes, transitum per Galliam, Italiam, Angliam moliebantur, studiorum tamen gratia Groningum primum, mox Lugdunum, aliasque Nobilissimas Bataviæ Civitates, Brabantiam etiam proficiscuntur; ubi ulterius progrediendi spem, Anno 1637. ultimi Pomeraniæ Ducis ac Principis, Gloriosissimæ Recordationis, obitus decollat. Revocato itaque à Provinciæ Statibus S. Principe, Anno sequenti 1638. cum ejusdem Celsitudine frequenti & magnifico cum Comitatu, lustrandis Comitiis Warsaviam invisit. Feliciter autem redux, S. Princeps pro singulari qua Beatissimum nostrum complectebatur clementia, illi Senatuum in terris

terris & Districtibus Lotharingicis sibi subditis, directorium, & ut ad Aulam Gallicam resideret, Gratiose & Clementer obtulit; quod tamen, utpote ex Voto inter æquoris procellas & tempestates, præsentissimum vitæ discrimen interminantes, concepto, se Theologiæ, ereptum undis deinceps operaturum, declinavit, atque ita honorificentissimis testimoniis & commendationibus, ad nostræ Universitatis Fac. Theol. instructus, Regiomontum delabitur, & omnem laborem, omnes meditationes in divinarum rerum intelligentiam, cui totum pectus devoverat convertit. Et cum Anno 40. Philosophiæ Practicæ Professio vacaret, comformibus Ampliss. Senatus Academici suffragiis, Serenissimo Electori commendatur, designatur Professor, & à Principe, Domino suo semper Clementissimo, ad quem vitandæ contagionis causa decesserat, huc evocatur. Vitam quod privatam Beatissimi Viri attinet, amoliendis à se publicorum laborum difficultatibus, Conjugio animum applicans Anno 1643. Virginem Pudicissimam, Fœminei sexus Virtutibus Ornatissimam, Catharinam, Nobilissimi, Excellentissimi, Experientissimi & Clarissimi Dn. Danielis Halbachii à Porta, Philosophiæ ac Medic. Doctoris, & Archiatri Aulici Filiam, solennibus sibi nuptiis junxit, ex qua intra felicissimum Conjugium 4. filias, duas jam æternitati præmissas, alteram superstitum duarum, Viro Reverendo & Clarissimo, Dn. M. Casparo Witzelio, Fortalitii Pillaviensis Pastori bene merenti, sub hujus anni auspiciis in Matrimonium elocatam, suscepit. Rupto autem mortis invidia primo hoc conjugii vinculo, ad vota transiit secunda, ac vitæ consortem Anno 1652. elegit, Matronam Pietate ac fœminea Virtute Spectatissimam, Elisabetham Luxin, Viri Integerrimi ac Spectatissimi, Dn. Henrici Bulbeckii, Cameræ Electoralis Ministri primarii, Viduam, cum qua intra tranquillissimum, breve quamvis Conjugii tempus, filiolam suavissimam sustulit, adhuc superstitem, quam cum reliquis divino Patrocinio, atque tutelæ serio atque ex animo commendamus. Viduatus autem & illa conjuge, fatali hic grassante lue, tolerandis melius approperantis senii molestiis, statum socialem repetit, Matronam sibi Lectissimam & fœmineis virtutibus ornatissimam Anno 1654. Ursulam Greyffin / Viri integerrimi & spectatissimi Pauli von Dühren / Mercatoris præcipui Viduam jungens, quacum reliquum ætatis, intra quamvis sterilitatem, tran-

quille exegit. Deprædicandæ hic singulares virtutes quibus tot annos Professor celeberrimus eminuit, sed cum hæc notissima, transeunda. Eccui enim non ipsius in religione fervor, in conversatione fides & candor, judicii & sententiarum dexteritas, in dicendo jure æquitas, in vindicanda juvenili petulantia rigor, in sublevandis aliorum necessitatibus munificentia, non publice nota sunt? Perorant hæc, Rectoratus semel, cum summa Academiæ dignitate ab illo gestus, & Decanatus octo vicibus adjuncti: quin & perennabunt egregia ingenii monumenra, quæ jam orbi innotuerunt, & gloriam ipsius æternaturam loquentur. Tandem cum catharris crebrius urgeretur die II. Martii, postquam divini Numinis cultui vacaverat, virium se pati deliquium animadvertit, mox febrilem fervorem corpus obruere sentiens, frustra Galeni auxilium & humana remedia adhibuit. Itaque ad Dei gratiam confugiens, mentem syderibus advertit, terram despicit, cœlum anhelat: pascit animam divinissimo epulo, ut fortius cum novissimis hostibus decertaret. Et triumphavit feliciter omnes, quando inter suorum preces, salvo ac integro rationis sensuumque usu, cœlo, quod tantopere amaverat, Spiritum æternum, Dominica novissima redonavit. Quando autem exuvias, nobis relictas, mœstissima Vidua, tumulo hodie inferre constituit, magna, Cives, frequentia exequias reddatis honorificas, monemus. P. P. 1668. 23. Martii.

EPITAPHIUM.

Huc se recepit, Vanitatibus Mundi
Nuper relictis, FRONSQVE MENSQVE
PICHLERVS
Nostri Lycei, Numini sacrum pectus,
Veri medulla, fideique, lingua Musarum,
Illustrium Consultus ille Virtutum
Morumque doctor, publicaque disertus
Rei metator, & Parens Professorum,
Sed & Parentis erudita laus Phœbi:
Cujus venusta scripta continent Suada,
Decus Quirini, Cecropisque, Gallique
Voces amanas: Tota gloria pratum,
Plenumque laudis horreum Ipsius vita est.

Dolemus

Dolemus omnes, maximoque nostratum
Quinquertioni nuncupamus hanc palmam!

GEORGIUS WOSEGINIUS, D.
Med. & Mathem. P. P.

SCRIPTA.

Disputationes ab Excell. PICHLERO conscriptas habitasque reperimus sequentes: De Consiliis & Consiliariis; De Politica in genere: De Interregno: De Statibus seu Ordinibus Rerumpublicarum; De ratione Status Aristocratici vera: De Torneamentis: De Regalibus sive Majestatis juribus; De Incrementis Rerumpublicarum: De Jure Divino: De Jure Naturæ; De Magistratu in genere: De bello ejusque jure, &c.

PROGRAMMA,

Quo ad Exequias

Viri Excellentissimi,

DN. M. ABDIÆ TREVV,

Mathem. & Phys. Prof. Publ. Facultatis Philosoph. Senioris, ejusdemque h. t. Decani & Inspectoris Norici, Cohonestandas,

Cives Academicos officiose invitat

RECTOR UNIVERSIT. ALTDORFINÆ,

LUCAS FRIDERICUS REINHART,

Theol. P.P. & Eccl. Minister.

XVI. Kal. April. A. C. cIↄ Iↄc LXIX.

Ascende tandem super astra, quæ tota inter astra, dum hospitium tuum possideres, vixisti in tanta ætate vitæ hujus terrenæ satura, nunc beatissima anima Collegæ nostri desideratissimi! Jam tenta numeros Babylonios & numera stellas, quas visui nostro fragili apparentes nebulæ subducunt, & quia omnia cœlestia, quæ in terrestri hoc ergastulo intel-

intelligi possunt, præ omnibus, etiam maximis, scientia tua ad unguem comprehendisti, nunc admirare media inter stellas, vel superior, quam parum sciveris. Nunc penetrabis Cometarum ortus, iter & sepulchra, an læta prædicant regnis, aut crine ferali rubeant. Nunc audies jucundissimam illam siderum Harmoniam, si Philosopho credendum, Platonicam: nunc solem aut stantem, aut rapidissime motum cognosces: nunc videbis, si qui sunt, lunæ montes, & majora cœlestis orbis, quam apud nos vel figmento excogitari possunt, miracula:

Nunc pressas liquido signato tramite nubes
Sub pedibus nimbos & rauca tonitrua calca,
Ingreditorque globum Lunæ, lumenque relinque
Arcadis & Veneris clementes pervola ad auras.
Hinc Phœbi permensa vias flammamque nocentem
Gradivi, placidumque Iovem sequere arce suprema, &
Argenti qua zona riget Saturnia tractu.
Hac iter est Sanctis ad magni tecta Iehovæ
Regalemque domum.

Ad hanc dum ascendis, nemo tuos circulos amplius turbabit, nemo tuos numeros confundet: serena, læta, beata, Dei socia à cœlitibus humanissime excepta, ne hæc quidem curabis amplius, sanctiori in loco, sanctioribus cogitationibus, apud sanctissimos involuta. Quæ omnia licet lætitiæ sint plenissima tantæ, ut nulla ad eloquendum lingua sufficiat; nobis tamen quod sit ereptus Collega, & suis maritus & pater, sui desiderium reliquit summum, quod nullis aliis medicamentis sanare possumus, quam recolendo vitæ suæ apud nos egregie peractæ memoriam, ex qua hauriemus fatorum nostrorum in terris vicissitudines, quam distent ab æterno illo constanti & perpetuo: omnes enim fere expert, est casus, quibus è terra geniti obnoxii sunt, à primo statim ortus sui momento. Sed ipsismet ejus utemur verbis è βιογραφίᾳ sua excerptis, paucis mutatis mutandis, ne vel nimium laudando (à qua ambitione erat alienissimus) post fata etiam ipsi molesti, aut quædam tacendo, in Amici merita simus injurii. Ergo igitur desideratissimus Collega noster, Vir Excellentissimus, Dn. M. ABDIAS TREW, Mathem. & Physices Professor Publicus meritissimus, natus est Onoldsbachii A. C. 1597. d. 29. Julii, Patre Dn. MICHAELE TREW, Scholæ Latinæ oppidanæ Cantore, Matre OTILIA, Viri Reverendi & Doctissimi

ctissimi M. MAGNI GALLI, Diaconi Feuchtwangensis, filia. Susceptor fuit Vir plurimum Reverendus atque Amplissimus, DN. M. ABDIAS WIKNER, Serenissimi Principis ac DN. DN. GEORGII FRIDERICI, Marchionis Brandenburgici, Concionator aulicus, Consiliarius Ecclesiasticus & Consistorii Assessor. Cum patre Heilsbronnam, ubi ipse constitutus Gymnasii Conrector erat, profectus est Anno 1601. mense Majo: Scholam, ut ibi vocant, Germanicam, ubi tamen etiam Latinitatis fundamenta jaci solent, moderatore aliquo ex senioribus alumnis, frequentare cœpit A. 1603. Privato præceptore, qui simul moderator dictæ scholæ erat, usus est Leonhardo Frisio, Anno 1605. ubi rudimentis Latinæ linguæ & argumentis quotidie elaborandis diligentissime fuit exercitatus. In Cantoris classem, quæ infima erat earum, quæ ad Gymnasium proprie pertinent, collocatus est A. C. 1607. tempore verni examinis. Beneficio illustri alumnorum in illustri Gymnasio Heilsbronnensi, Fratre, qui eodem beneficio usus erat, Wittebergam profecto, frui cœpit, (quod pro singulari beneficio datum erat Parenti p. m. quod per 20. annos in schola desudasset, cum alias in fundatione Gymnasii constitutum esset, ne duo fratres eodem beneficio fruerentur,) Anno 1614. Cum illustri stipend. o Wittebergam profectus est A. C. 1618. Gradum Magisterii adeptus ibidem in promotione verna Anno 1621. Witteberga profectus in patriam Anno 1622. primam concionem à Superioribus demandatam (post unam quidem & alteram in pagis circa Wittebergam exercitii gratia habitam) habuit Onoldsbachii fer. 6. post Dom. 8. Trinitatis: dein ordinatus & HEIDENHEIMENSI Ecclesiæ pro Substituto, ut vocant, Parochiæ, propter senectutem Pastoris, designatus est. Domin. 9. post Trin. eidem Ecclesiæ commendatus, Dom. 12. post Trin. primam ibidem concionem habuit. Ad Diaconatum Marckelbacensem vocatus, Ecclesiæ illi commendatus est Domin. 3. Adv. Nuptias celebravit cum virgine lectissima BARBARA, Viri Reverendi & Doctissimi DN. M. GEORGII WESELII, Pastoris Gundelheimensis filia, JOHANNIS vero WESELII, Rectoris in Gymnasio Onoldino, nepte, An. C. 1623. die 6. Maij. Ad Rectoratum Scholæ Onoldinæ vocatus est Anno 1625. Obiit uxor Anno 1634. d. 20. Jul. Genuit cum illa 10. liberos: 1. BARBARAM ELISABETAM, 2. BURKAR-

DUM

DUM ABDIAM, 3. ANNAM MARIAM, 4. BALTHASARUM, 5. WOLFFGANGUM MICHAELEM, 6. JOHANNEM ADAMUM, 7. LEONHARDUM, 8. LEONHARDUM alterum, 9. & 10. JOHANNEM & ELISABETAM gemellos. Ex quibus plerique mortui sunt: de Wolfgangi autem Michaëlis vita jam per 18. annos nihil constat. Ab aliquot itidem annis, Burkardus Abdias perquam miserabilis est. Johannes autem Adamus, Bibliopegus, civis noster est, vir integerrimus & valde industrius. Ad secunda vota transiit beate defunctus & nuptias An. 1635. d. 26. Jan. sive Polycarpi celebravit cum pudicissima virgine MARIA URSULA, Viri Amplissimi DN. SEBASTIANI GEYERI, Quæstoris Onoldini p. m. filia. Ex qua sequentes liberos suscepit, 1. JOH. SEBASTIANUM, 2. GEORGIUM MATTHIAM, 3. MARIAM MAGDALENAM, 4. CHRISTOPHORUM, 5. SIGISMUNDUM, 6. APOLLONIAM, 7. PAULUM, 8. JOHANNEM PAULUM, 9. JOH. CAROLUM, 10. GEORGIUM ERNESTUM, 11. JOH. GEORGIUM. Ex quibus CHRISTOPHORUS Pharmacopœus est Lauffensis, SIGISMUNDUS autem Phil. & Med. Candidatus dignissimus, Matheseos callentissimus, patris legere vestigia paratus, vocationem ad Professionem Matheseos in Illustri Tubinga sperat, cujus conatus Deus fortunet! Virgo APOLLONIA apud matrem est. PAULUS arti typographicæ addictus: JOHANNES CAROLUS operam dat pharmaceuticæ apud fratrem: GEORGIUS ERNESTUS apud Dn. Georgium Müllerum, mercatorem Noribergensem nominatissimum, arti huic addiscendæ operam navat. Reliqui jam fato suo functi sunt. Quanto amore suas conjuges fuerit prosecutus, cumprimis patet ex constanti concordia, dignissima plane, quæ inter rara conjugum fidelium exempla referatur. A liberis autem enumeratis & ex utroque conjugio natis, nactus est, Divina benedictione, 4. nepotes & tres neptes. Ipse vero circa autumnum ante dicti anni 1635. cum propter continuas irruptiones hostiles & alia mala bellica, quibus Marchionatus, tanquam Euripo, continue obruebatur, salariorum solutio à tempore satis longo fuisset retardata, ita, ut illi tres integri anni deberentur, neque spes esset quotidianorum saltim alimentorum, resignavit officium Rectoratus Onoldini, & quia fama nata erat, Professionis loca vacare hic Altdorffi,

dorffi, impetrata dimiſſione, nomen ſuum Noribergæ pro Profeſſione, in quacunque parte Philoſophiæ eſſet, detulit, Cum vero eo adhuc anno nihil officiorum publicorum, quibus videretur idoneus, præter Eccleſiaſtica, ad quæ magnus jam erat exſpectantium numerus, vacaret, protractum eſt negotium ad anni uſque 1636. 30. Jan. quo Mathematum Profeſſor conſtituebatur. Anno 1650. d. 6. Auguſti demandata eſt illi Profeſſio Phyſica, cum priori Mathematica conjungenda, quam excepit officium Inſpectoris Norici Anno 1654. delatum. In quibus functionibus, tam Onoldi, quam apud nos, quantam adhibuerit diligentiam & curam, partim ex iterata vocatione ad Rectoratum Onoldsbacenſem, partim ex ſcriptis, quæ, præter lectiones ordinarias & collegia privata, præterque programmata & diſputationes, tam circulares, quam publicas, erudito orbi nota ſunt, manifeſtum eſt: potiſſimum autem ex ejus *Manuali Geometriæ Practicæ, Aſtronomiæ parte Sphærica, Diſcurſu de correctione Aſtrologiæ, Nucleo Aſtrologiæ correctæ, Specim. Conciliationis Calendariorum veteris ac novi, Directorio Mathematico, Phyſica Ariſtotelica, Aſtrologia Medica, Continuatione Poſtillæ Harmonicæ Theologo-Iuridico-Politico-Philologicæ D. G. C. VValtheri, & Examine Hyperſophiæ Anti-Biblicæ*. Rectoratu Univerſitatis noſtræ bis eſt functus feliciter, Decanatu ſexies, & ſeptimo jam immortuus. Vitæ rationem ſi exigas, verus fuit Chriſtianus, & quemadmodum à teneris in Theologia innutritus; ita praxin Theologicam gnaviter exercuit ſedulo religionis cultu, frequenti, dum ſinebat ætas, templorum viſitatione, & ſacræ Euchariſtiæ, qua poſtremum nupera Palmarum Dominica fruebatur, devoto uſu; crebritate præterea hujus ſuſpirii: *Auctor vitæ, Victor mortis,*

Vivere da recte, da bene poſſe mori!

nec minus modeſtia in ſecundis præclara, fortitudine in adverſis ſingulari, &, quæ mater hujus, fiducia in admiranda Altiſſimi, præſertim erga pauperes, providentia omnino ſumma. Comprobavit hanc animi ſui mentem ſymbolo dulciſſimo, ex *Gen.* 22, 8. deſumto: *DOMINVS providebit!* cujus ſenſum ſequentibus diſtichis pridem expreſſit:

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Providet electis optima fata Deus.
Durch Trübſal/ Angſt und manches Leyd
Schafft GOtt den Seinen manche Freud.

Multis

Multis etiam aliis Scripturæ dictis subinde se corroboravit: mirifice autem delectatus est locis *Ps. 73. v. 23. & 24. Tamen ego semper Tecum: (Domine) tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate Tua deduxisti me, & cum* gloria *suscepisti me:* & 1 *ad Cor. 4. v. 1. 2. Sic nos æstimet homo, ac ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Quod superest autem; illud requiritur in dispensatoribus, ut* fidelis *quis inveniatur:* quæ verba, à celeb. Dn. Joh. Meelführero, tum Abbate Heilsbronnensi, juveni valedicenti & Wittebergam abiturienti commendata, memoriæ ejus semper hærebant penitissime infixa. Et sane *fidelis* fuit Servatori suo *usque ad mortem:* nec est, cur dubitemus de *corona vitæ*, vi promissi *Apoc. 2, 10.* jam collata. Tædiosum foret omnes, quibus tam imperterritus exercebatur, morbos aliasve calamitates recensere. Finem contemplemur! Ante nonum mensem paralysin linguæ passo non apparuit spes integre revalescendi; sed subsecuti sunt crebriores catarrhi, usque dum ante quatuordecim dies catarrhus calidissimus obruto omnes vires fregit, ut Medicorum & Chirurgorum cura esset omnis inanis, & ille diem hunc supremum, quem nunquam metuit, inter preces obiret, & in Domino obdormiret fer. 2. Pasch. hora fere 10. ante meridiem, perpetui istius voti sui ita compos factus: *Si non amplius potero vel debebo meis & proximo prodesse, Deus in pace me cum Simeone dimittat!* quin & triumphi particeps, quem, diu est, quod sibi pollicebatur, ad illud *Rom. 14, 8. Sive vivimus, sive morimur, sumus DOMINI:* in βιογραφίᾳ sua hoc B. Lutheri scribens. *DOMINI: mortis etiam, in nominativo:* puta, plurali; sive victores: Eodem fecit, quod paulo ante obitum non sine lacrymis repetiit ex *Apoc. 7, 13. & seqq. Respondit unus de Senioribus & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt? Et dixi illi: Domine, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt* de tribulatione magna, *& laverunt stolas suas; & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum DEI, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus, & qui sedet in Throno, habitabit super illos: non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol neque ullus æstus: quoniam Agnus, qui in medio Throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget DEUS* omnem lacrymam *ab oculis illorum.* Sed hæc de ipso dixisse sufficiat. Vobis, Cives Academici, quid nunc incumbat, dictitant per tot annos in hanc

Uni-

Universitatem & Vosmet Viri merita maxima, quæ vos ad frequentiam funeris comitandi ita, confidimus, invitant, ut nostra invitatione opus non sit. Vos igitur pro vestra pietate ipsi eritis memores hujus officii vestri; Valete!

SCRIPTA.

Astronomiæ Pars Sphærica. *Norib.* 1637. in 8.

Astrologia Medica, h. e. de siderali scientia ad curam valetudinis & rerum eo pertinentium dextre applicanda: *Altdorph.* 1655. 1665. in 4.

Physica Aristotelica, redacta ad Methodum, qualem in solis Mathematicis locum habere perperam hactenus creditum est. *Norimb.* 1656. in 12.

Arbiter Astronomicus, hoc est, Collatio Tabularum Eclipticarum inter se & cum duabus Eclipsibus mensis Augusti 1654. *ibid.* 1654. in 4.

Dissertatio de Cometis & Via Lactea, ubi quæstio; An & quomodo Providentia divina cum influentiis Astrorum concurrant? *Altdorphi* 1662. in 4.

Defensio Physicæ Aristotelicæ contra Mich. Watsonium; *Altdorph.* 1661. in 4.

Examen Theologico Philosophicum Hypersophiæ Antibiblicæ eorum, qui negant Aquas cœlestes Mosaicas; Diluvium Universale, Motum Solis & reliquorum Siderum. *Norib.* 1668. in 4

Manuale Geometriæ Practicæ; Handbüchlein von Geometrischen Abriß. *ibid.* 1636. 1663. in 8.

Geodæsia universalis, das ist / Bericht von Land- und Feld-Messen. *ibid.* 1641. in 8.

Compendium Fortificatorium, Kurtzer Mathematischer Unterricht von der Fortification. *ibid.* 1641. 1647. in 12.

Grund und Verbesserung der Astrologiæ. *ibid.* 1643 in 4.

Nucleus Astrologiæ correctæ; das ist / kurtzer Bericht vom Nativität stellen. *ibid.* 1651. in 4.

Ingenier-Stab / mit Figuren. *ibid.* 1650. in 12.

Observationes des jüngsten Cometen. *ibid.* 1653. in 4.

Gefährlicher Krieg und glücklicher Sieg. *ibid.* 1656. in 12.

Observationes von den grossen Conjunctionibus und Oppositionibus, auch neuen Sternen und Cometen. *ibid.* 1656. in 4.

Compendium Astronomiæ & Astrologiæ; das ist / kurtz

 und

und klare Verfassung der gantzen Stern-Kunst. *ibid.* 1661. in 4.

Gründlicher Bericht von dem Cometen so An. 1661. erschienen. *ibid.* 1661. in 4.

Inter Disputationes ab eo habitas invenimus quoque sequentes: De Elementis: De Numero Elementorum, non binario, sed quaternario: De anima: De Anima humana: De Musica &c.

MEMORIA

Nobil. Consultissimi & Excellentissimi

VIRI,

DN. JOH. MICHAELIS MOSCHEROSCHII,

JCti, Polyhistoris & Poëtæ famigeratissimi, Diversorum Principum Statuumque S R. Imperii Consiliarii quondam meritissimi,

Renovata & translata,

Ex sermone lugubri, ipso Exequiarum die, è sacra pergula recitato, à

MATTHIA MEIGENERO,

Ecclesiaste Wormatiensi.

ILlustris Teutonicæ linguæ Reparator, Vates, Vindex & Arbiter, quique depravatos ævi nostri mores penetranti stringere stylo mire didicit, MOSCHEROSCHIUS, lucis hujus usura, tertio Nonas Martii, anni supra millesimum sexcentesimi, frui cœpit. Ejus nativitas obtigit Willstadii, in Comitatu Hannoviensi: Patrem coluit Virum spectatæ fidei, MICHAELEM MOSCHEROSCHIUM, Ecclesiarum ibidem Curatorem perindustrium; Matrem, VERONIAM BECKIN, muliebrium Virtutum ideam. Nihil autem prius optimi habuerunt Parentes, quam ut hic eorum filius ἐξ ὀνύχων ἁπαλῶν pietate bonisque tingeretur literis, sedulo perpendentes, ab educatione totius vitæ rationem dependere. Et quum ὁ Μακαρίτης à summo Numine sublime ingenium cum acri judicio nactus esset, eaque jam superasset, quæ in triviali proponi solent, ad proximam commigravit Academiam

miam Argentoratensem, undique jam tum celebrem. Nec otio illic marcuit, aut voluptatibus se mancipavit, sed ab ore docentium, ceu ingenuum decet Musarum alumnum, totus pependit. Ideoque non splendida solum à Professoribus testimonia, sed & Magisterii titulum ac honores, primo inter XXIV. Competitores loco, cum totius Alsatici Parnassi congratulatione, meritissimè obtinuit. Inde recedens, Galliam, illam morum formatricem, omnisque elegantiæ scenam, frequentavit, & in præcipuis ejusdem emporiis aliquandiu substitit. Ex itinere isto redux à variis honeste expetitur, utpote quibus ab eximia eruditione linguarumque variarum cognitione inclaruit. Anno à partu Virgineo MDCXXVI, Ephoriam juniorum Leinigensium Comitum ultro sibi oblatam suscepit, ac biennium apud ipsos non absque perpetua nominis sui laude peregit. Postea vitæ thalamique consortem elegit sibi Virginem, Virtutum hunc sexum apprime decentium exemplum, ESTHERAM ACKERMANNIAM, cum qua connubiale jugum tam blande traxit, ut propter istum συμβιβασμὸν una mens in duobus habitare corporibus videretur. Illa maritum carissimum, quatuor liberos enixa, inter amoris reciproci flammas, parentem effecit. Ex quibus unicus duntaxat ERNESTUS LUDOVICUS superstes, reliqui ultimum Beatissimi Genitoris fatum anteverterunt. Circa idem quoque tempus territorio Grichingensi & Wellingensi à Generosissimo harum ditionum Comite præficitur. Quam spartam ita exornavit, ut Domino suo fidem & industriam evidenter probaret, ac amorem sui apud omnes facillime conciliaret. Nec inde recessisset, nisi hostili tum Gallorum impetu repulsus, Argentinam repetere necessum fuisset. Cæterum post acerbam διχοτομίαν desideratissimæ Estheræ, fidem conjugalem secundum dedit florentissimæ tum Virgini, MARIÆ BARBARÆ PANIEL. Sed eheu rerum humanarum vicissitudo & inconstantia! Dum enim MOSCHEROSCHIUS cum indivulsa hac sua compare, inter concitatissimos belli Germanici motus, peregrinabatur, ipso in itinere immatura eam morte amisit, vel in supernam potius vitam præmisit. Cum ergo juvencula conjux vigesimum vix ætatis annum attigisset, binosque in thoro annos consumsisset, triste sui desiderium altera tunc vice dolenti viduo reliquit. Non diu post commodum ipsi accidit, ut ab Illustris-

ſimo Duce de Croja, ERNESTO BOGISLAO, ad Conſiliarii & Præfecti Winſtringenſis officium benigne invitaretur. Quod cum legitimum eſſe cognoſceret, graſſante licet ubivis adhuc Marte, recuſare minime auſus eſt. Simul cum novo iſthoc munere, novum contraxit pactum, firmum utique ac ſtabile, quodque nil niſi cum vita deſerendum. Annus agebatur ſeculi hujus trigeſimus ſextus, quum ὁ Μακαρίτης ad tertias deſcenderet nuptias; cum raro Virginum ſpectamine, ſexus ſui ornamento, ANNA MARIA KILBURGIA. Hæc quoque fideliter ei adhæſit, plurimasque cum marito ærumnas ſuſtinuit. Nec enim à militibus ſolum ternis vicibus miſerrime ſpoliati; ſed & fame inſuper ac peſtifera lue ſatis duriter vexati fuere. Quid? quod Noſter, ſi quisquam alius, per totam fere vitam, ſub ficto amicitiæ ſchemate, acerbiſſimas varii generis perſecutiones ſenſerit. Ope tamen Divina, ex præſentiſſimis vitæ periculis aliquotiens liberatus, prout in aureo ſuo libello, quem *Inſomnis Cura Parentum* nuncupavit, ipſemet prolixe recenſet. Hinc quaſi denuo coactus Argentoratum petiit, ut ſecuram inibi ſedem inveniret, tantisque ſe paulatim ſubduceret tempeſtatibus. Verum haud propterea priſtinæ dignitati repudium miſit, ſed vicarii cujuſdam ope, quicquid ipſi commiſſum, rite expedivit. Placuit poſtea DEO Opt. Max. ut Noſtrum νῦν ἐν εὐλογίᾳ Sereniſſimo SUECIÆ REGI à Conſiliis militaribus atque Secretis Benfeldii conſtitueret. Huic pariter Spartæ per aliquot annos, cum immortali nominis ſui gloria, prudentiſſime præfuit, multisque haud parum profuit. Tandem de tranquilliori vitæ ratione cogitare cœpit, præprimis cum domum prole ditiorem haberet, ut eo melius ad pietatem ſuos poſſet deducere. Dum itaque varia hinc inde animo complectebatur, ex tribus diverſis locis vocatorias accepit literas. Reſpublica quippe Colmarienſis Syndicum, qui Oſnabrugæ Irenicis adeſſet negotiis, Argentoratenſis vero Secretarium ac Fiſcalem eum expetiit, Acceſſit eodem prorſus tempore fortiſſimi Herois & Archiſtrategi Suecici, GUSTAVI HORNII, perbenigna invitatio, ut MOSCHEROSCHIUS Conſiliarii Regii partes ſuſciperet, & proſperrima rebus bellicis conſilia ſuppeditaret. Ex quibus ille medium, quo tutiſſimus iret, elegit, ſuamque Argentoratenſibus operam addixit. Verum enim vero quam nefandum ab omni parte in ſe odium excitaverit, dum officio

cio

gio huic sibi commisso strenue persungitur, impræsentiarum exponere nihil attinet. Anno M DC LVI. à Comite Hanoviæ perquam Illustri, FRIDERICO CASIMIRO, ad intima Consilia accersitus fuit; Qui, quoniam tanti Viri in gravissimis obeundis expeditionibus dexteritatem atque prudentiam singularem perspexerat, Cancellariæ Præsidium, aliosque præeminentium dignitatum titulos τῷ ὢν ἁγίοις Nostro gratiose concessit. Hinc malevolorum repente livor ac invidia, maximarum nempe Virtutum pedissequæ, optimum Virum eò adegerunt, ut aula excederet. Benignissimi tamen Comitis sui gratiam erga eum diminuere, aut penitus auferre, quam enixe etiam laborarunt, nullo modo potuerunt. Quin & idem aliis subinde Magnatibus Nostrum de meliori nota commendare nunquam destitit. Deinde à Reverendissimo Celsissimoque Archiepiscopo & Electore Moguntinensi, JOH. PHILIPPO, splendidum Consiliarii decus obtinuit. Ad simile negotium Illustrissima HEDWIGA SOPHIA, Hassiæ Princeps laudatissima, MOSCHEROSCHIUM adhibuit, ut, quoties opus, sagaci consilio promptè succurreret. Quo insuper honore Noster in Senaculo Inclutorum RHENI COMITUM aliorumq; illustrium Aulis mactatus, qua fide, solertia ac felicitate omnibus illis defunctus sit provinciis, longum pene esset, hic ubertim declarare, & singula facta magnifico, ceu deceret, elogio exornare. Profecto si nihil aliud præstitisset, de quo laudem mereretur, amussitata capacissimi ingenii monumenta, quæ publicis olim usibus concessit, inter summa seculi lumina ipsum merito collocarent. Privatam vero quod Viri vitam concernit, erat φιλόθεος, congregationum sacrarum amans, nec folia duntaxat ficulnea, sed plenos fidei fructus, caritatis ἀνυποκρίτου operibus declarantes, edebat. Ingravescente demum ætate, firmiter sibi proposuit, ab omni publicæ rei cura vacare, quo domesticis vita ἀμέμπτῳ præluceret, quasq; à Majoribus facultates acceperat, rite disponeret. Quamobrem Wormatiam se contulit, cum consanguineis ibidem nonnulla maxime necessaria deliberaturus. Sed tempus, ab æternitate definitum, instabat, quo ad ἀνώτερα καὶ χ ίω commigraret. Factum id non velociter minus quam feliciter, ipsa Palmarum Dominica, die IV. Aprilis, quo Francofurtum ad Mœnum abire destinaverat, inter preces atq; suspiria; posteaquam in hocce mundi ergastulo LXVIII. annos,

 Men-

Menses II. inque posteriori connubio XXXII. annos consumsisset. Cui nos, ex Ebraeorum Epitaphiis, succinimus. SIT ANIMA EJUS IN FASCICULO VIVENTIUM!

CHRONICON.

VVorMatIæ ChrIsto teVto phILanDer obIt:

EPICEDION.

Cedat PANTAGRUEL, Clarus concedat OVVENUS,
Et si sunt alii, nam secula nostra tulerunt
Plures illustres, inter quos Teutona ponit
Terra Virum, sua quem dicunt bona scripta PHILANDRUM.
Excessit vivis vera Virtutis alumnus,
Sustulit atra dies istum, sed vivida Parcas
Contemnit Virtus, per mortem nescia vinci.

JOH. THEOD. SPRENGER,
U.J.D. & Cancellarius.

ALIUD.

Qui Vitiis larvam pulchram detraxit, & ipsam
Ostendit speciem monstri sine tegmine tetri
Nudatam, multum, næ! publica commoda debent
Hisce Viri meritis. Quid enim ne tramite recto
Continuent Virtutis iter, plerosque (pudendum!)
Transversos agit, aut perdit, nisi pessima quæque
Sub picta specie arripiens insania vecors?
Sustuleris vero fucum & mendacia formæ,
Tartareas pauci furias infandaque monstra
Agnita amare volent. Seclum MOSCHEROSCHIUS isto
Egregie juvit studio, erroresque repressit
Vulgi, quod vitium & virtutem ex more recepto
Æstimat. Is frontes duratas atque ruboris
Iam pridem ignaras, pulsus pudor usque rediret,
Perfricuit sale mordaci, speculumque politum,
Non blanditurum maculis obvertere fœdis
Vultibus, in pretio posuit. Nunc occidit, inquis,
Ingratus censor, genioque vacare licebit
Posthac liberius. Sed, stulte, id credere noli.

Fama & scripta Viri, post fata superstitis, illud
Te sperare vetant: corruptos acriter ista
Non insectari cessabunt omnia mores,
Dum sua Virtuti constabit gloria digna.

PHIL. JACOBUS SPENERUS, D.

SCRIPTA.

Epigrammata, *Argentor.* 1643 1650. in 18.

Jacobi Wimphelingi Catalogus Episcoporum Argentinensium, sesqui seculo abhinc desideratus, restitutus cum supplemento & notis, *ibid.* 1651. in 4.

Imago Reipublicæ Argentinensis. *ibid.* 1648. in 4.

Insomnis cura Parentum; Christliches Vermächtnüß/ oder/ schuldige Vorsorg eines treuen Vaters. *ibid.* 1643. 1653. in 12.

Danice hunc librum transtulit Severinus Terckelsen.

Georgii Gumpelzheimeri Dissertatio de Politico, auctior edita à J. M. Moscheroschio, *ibid.* 1651. in 12.

Philander von Sittwalds wnnderliche Satyrische und warhafftige Gesichte/ aus dem Spanischen Don Francisco de Quevedo verteutschet. Franckf. 1645. Leiden 1646. in 12. Straßb. 1642. 1650. in 8.

Jacob Wimpffelingens Teutschland/ zu Ehre der Stadt Straßburg und des Rheinstroms/ ietzo nach CIIIL. Jahren im Druck gegeben. Straßb. 1649. in 4.

Dialogues Gallicè, Italicè, Germanicè, *ibid.* 1645. in 8.

Philander resuscitatus, wunderliche Apparitiones, und Erscheinungen des Don de Quevedo, in welchen er/ nach seinem Tod/ seinem Reiß-Gesellen Don Experto Roberto, erschienen. Franckf. 1647. in 12.

Technologie Allemande & Francoise; Ausgeübtes Wörter-Buch/ Teutsch und Frantzösisch. Straßb. 1656. in 8.



PROGRAMMA,

Quô
Ad Exequias
MAGNIFICI RECTORIS,
Viri Plurimum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi,

DN.
BALTHASARIS
SCHEIDII,

SS. Theol. Doctoris, Græcæ atque Orientalium Linguarum Professoris Celeberrimi,
Cives Academicos invitat
PRO-RECTOR UNIVERSITATIS ARGENTORATENSIS,
JOH. RUDOLPHUS SALZMANNUS,
Doctor, Prof. & Facultatis Medicæ Assessor.

FAtale mehercule RECTORIS hujus Reipublicæ Litterariæ Munus nunc cuivis posset videri: horror fere percutit artus mihi præterita in mentem revocanti: haud immerito mihimet gratulabar ante aliquot hebdomadas, quod extreme afflicto tandem jugum hoc humeris impositum excutere licuerit: Ast non inique attonitus quasi nunc exaudivi tristissimum nuntium mortis præmaturæ summe Reverendi Magnifici proh dolor! per parvum tempus, atq; Excellentissimi, mei Successoris, cui non ita pridem hocce officium in publico, jussu Superiorum addixi; vereor enim ne hoc multis periculis & laboribus implicitum munus iterum subire cogar, cum Leges Academicæ eum Prorectorem esse jubeant, qui noviter constitutum præivit. Vix hiscere audeo, intuens mirificam hujus muneris sortem. Jam fere annus est, quod, cum Prænobilissimus, atque Consultissimus Dn. von Stöffen/ J.U.D. & Institut. Imperial. Professor, Collega, & Antecessor meus summe colendus, eodem officio defungeretur, Ei charissimum pignus, imo propria quasi viscera (Castissimam & Ornatissimam ejus Uxorem & Matronam intellige,) tum temporis, in ipso juventutis flore fuerint

ere-

ĝrepta; parcam ſauciato pectori, ne vulnus recrudeſcat. Hujus Magni Viri egomet veſtigia inſecutus, vix mitiora offendi fata; ſtatim atque enim Rector ſalutatus eram, tormenta & cruciatus morborum undique in me proruebant, adeo ut totum tempus lecto affixus, non absque magnis doloribus, triverim; & ſane mirum videbatur, quod non prius convaleſcere valuerim, quam tempus reſignandi officium immineret. Attamen cum melius miſerias ferant, qui easdem abſcondunt, aliorum potius quam propiias recenſebo calamitates. Erigendus equidem nunc mihi eſſet vulneratus animus, ni ſpes, me jam liberatum fore ab hocce officio, concepta, in ipſa quaſi herba fuiſſet ſuffocata; paria enim mecum fere habuiſſe fata pie jamdum defunctum Magnificum hujus Univerſitatis Rectorem mihi perquam lugendum, cum ejus morte onus omne in me redundet, ni ſingularis benevolentia Superiorum, me tantis negotiis ob debilitatas vires imparem, ſubducat. Imitatur etenim, (ſi magna licet componere parvis) in hocce caſu Imperium noſtrum Romano-Germanicum, hoc Rectoris officium, quippe, Imperatore expirante aut Imperium egreſſo, duo Vicarii, nempe Sereniſſimus Elector Palatinus Rheni, (qui ſe nuperrime, cum Ferdinandus III. glorioſiſſimæ memoriæ, Imperatoris noſtri hodierni ſacratiſſimi Parens ac Anteceſſor expiraret, contra Sereniſſimum Electorem Bavaricum, ſibimet Vicariatum Imperii vindicantem, defendit:) & Sereniſſimus Elector Saxoniæ proviſores Imperii conſtituti ſunt, quorum ſub curam tum viduatum Capite Imperium concedit, ne interregni tempore Reſpubl. detrimentum aliquod patiatur; ut videre eſt in Aur. Bul. Caroli IV. Ceterum multa adhuc eſſent de hocce Vicariatu pertractanda, imo de Subofficiariis ſc. Electorum, Archipincernæ, Archidapiferi, &c. ſi dicendi de hiſce nunc eſſet locus; innuiſſe igitur paucis de ejuſmodi Vicariatibus ſufficiat. Ex dictis autem patere poteſt, quod Vicariatus, aut ut loqui amamus, Prorectoratus magnam affinitatem habeat cum modo dictis Vicariatibus; pariter quippe Rectoratu vacante, Prorector vices agit Rectoris, ne ſtudioſa cohors, flosque juventutis, negotia, quæ Rectorem alias concernunt, è vivis eo decedente, aut alias impedito, indefenſa maneant, cum militaris ſit togata, ſit ſagata, absque Duce turba, ſit corpus ſine ſpiritu: ſiquidem ſi poſt cœptum ſtatim officium diem Rector Univerſit. ob-

Mm 5 eat,

eat, Collegis ejusdem, consensu Patrum Patriæ adhibito, novum eligere liberum, imo Legibus Academicis conforme est, ut apparere potest ex Artic. XI. Tit. VI. de Offic. M. Rectoris Statut. Acad. verbis in parenthesin (wo es nicht gar zu Anfang desselben geschicht) inclusis: Prorector enim semper est Rectoris in hoc officio Antecessor, qui deposito officio noviter cooptati est Vicarius, ita ut Rectoris sive absentis sive ægrotantis, sive demortui, aut alio quovis casu impediti vices subeat. En benevole Lector, quantum mea intersit Magnificum nostrum Rectorem esse demortuum; Mea res peragitur, meum subest aut commodum aut incommodum, non in vanum laboravi huicce nostri Capitis jacturæ ingemiscendo; id tamen me consolatur unice, quod nuperrime demum munus hocce à pie nunc defuncto susceptum, alii adhuc possit demandari, secundum allegatum artic. XI. Propriam utique infirmitatem allegare nullatenus vereor, quo eo facilius me huic oneri subtrahere queam; ingenue confiteor, quod mihimet ipsi dedecori ducerem, si id absque sufficienti causa, quæ neminem nunc latere potest, subterfugere, operam navarem: Certo itaque mihi persuadeo, nullum unquam futurum, qui mihi satis superque afflicto sit superadditurus afflictionem: unicum in vestra, mi Patres Patriæ, & Collegæ honoratissimi, benevolentia invenio solamen. Progrediendum autem nunc, ne totam paginam hisce implevisse, aut institutum oblivioni mandasse videar, ad Magnificum nostrum Rectorem, cui nunc extremum funeris honorem largiri, aut potius extruere æternitatis monumentum egregie peractorum debemus; Cujus vitæ seriem enarraturo, quo uberior de eo extare queat memoria, à primis unguiculis & infantiæ annis, imo à primo ortus die ordiendum. Prodiit hic in lucem Argentorati 21. Decemb. Ann. Ch. 1614. generisque primordia duxit à Patre BALTHASARE Scheid / Mercatore, Scabino, & Assessore Judicii Censorii: Avo NICOLAO Scheid / Præfecto Arcis munitissimæ Dagsburgicæ; Proavo & Abavo Coss. olim Weisenburgi: Matre autem Nobilissima Matrona MARGARETHA, Amplissimi XVviri FLORENTINI Schillings / & à Matre virtutum matronalium splendore dotata, ex Küglerio-Schœtteliana magni nominis Consulari familia orta, Filia. Hi ambo ejus parentes, cum in lucem

lucem hic filius ederetur, non diu cunctabantur, ut decet Chriſtanos, eundem DEO in lavacro ſacri baptiſmatis conſecrare, & quidem ipſo Nativitatis die Chriſti noſtri Redemptoris; procedentibus dein ſenſim annis ſumma cura & alacri ſtudio huncce filiolum educarunt, uſque dum capax videretur, qui in album ſtudioſæ juventutis Gymnaſii hujus Reipublicæ ſuſciperetur An. 1620. Nec ideo tum privatam informationem omittere conſultum rebantur, quin potius donec adoleverit Præceptores domeſticos Gymnaſii informatoribus junxerint. Interea temporis, cum ſedulò Parentum & qui Parentum ad inſtar habentur, Præceptorum monitis obtemperaſſet hic filius, primaque fundamenta ſatis guſtaſſet, ſua induſtria eo res devenit, ut dignus & idoneus ſcientiarum auditor judicatus, An. 1630. numero Studioſorum & Lectionibus tam publicis quam privatis Excellentiſſimorum Profeſſorum ſit addictus. Ceterum, cum nil niſi divino auſpicio conaretur, non potuere non ſtudia ei ex voto cedere: Verbum enimvero DEUS, qui non ignorat homines felici rerum ſucceſſu interdum corrumpi, huic pietatis & ſcientiarum ſtudioſiſſimo notam non ignominiæ aut pœnæ, ſed paternæ benevolentiæ inurere decrevit; quippe parentes, ſorores, magnumque Cognatorum numerum intra aliquot ſeptimanas è vita hac miſera diſcedere juſſit; imo ipſummet nullo penitus horæ momento vitæ certum degere ſivit; adhæc accedebat, quod, cum parentes vitam cum morte commutaſſent, mercaturam domeſticam adminiſtrare nolens volens cogeretur: En impedimenta, quæ eundem à ſtudiis feliciter cœptis parumper abſtraxere; tandem tamen, cum proſperam fortunam reſpirare cerneret, ſtudiis ſeſe & ſibimet ipſi reddidit; quove eò commodius propoſitum in effectum deduceret, ut à ſummeReverendo Dn. D. DANNHAWERO, Præſide & Patre Eccleſiæ, hoſpitio exciperetur Anno 1635. ſtuduit; quo impetrato, ſtudio Theologico operam dare, diligenterque Collegiis privatis & publicis DN. D. SCHMIDII, DORSCHEI & DANNHAWERI, magni nominis Theologorum intereſſe cœpit: Antequam vero proficiſceretur, ſpecimina diligentiæ diſputando, perorando, opponendo, concionando edidit varia & egregia: Etenim bis ſolenniter peroravit ſub DN. D. DANNHAWERO, tum temporis Eloquentiæ Profeſſ. Ann. 1631. de Gallicinio,

& An.

& An. 1632. Carmine Heroico, de Excidio urbis Babylonicæ, Disputando sub D. D. DANNHAWERO An. 1632. de Officiis ex Cicerone An. 1636. in Collegio Decalogico. An. 1644. pro gradu Doctorali. Sub D. D. AGGERIO, Physice de Lunæ maculis. Theologice sub D. D. DORSCHEO, An. 1636. de Veritate Prophetica. Sub D. D. SCHMIDIO, An. 1637. pro impetrando beneficio stipendii Schenckbecheriani, de Spiritu Sancto; & multotiens in exteris Academiis inprimis sub D. D. CALOVIO, se exercuit: Regiomonti vero duodecies in disputationibus publicis græco idiomate, ter hebraico, bis latino, Præsidem egit, bisque sub ipsius præsidio Hebraicè & Græce ab aliis peroratum est. Concionando sese sæpius in Patria & alibi diligentem exhibuit; Concionem Doctoralem, redux in Patriam, habuit vespera diei Dominicæ 10. Martii 1644. in Cathedrali Ecclesia, & præmissis more solito Lectionibus Cursoriis super I. Epist. Johannis, examen Doctorale 10. Maij ejusdem Anni sustinuit. De peregrinationibus ejus aliqua sunt adjicienda, ingressus est iter Ann. 1637. ingenti cupiditate accensus etiam apud exteros Theologos & Viros doctos studium Theologicum continuandi; neque successu caruit flagrans ejus cupido. Nam iter faciendo hinc inde aditus ipsi patebat, ut, ad Abrah. Calovium, ejus hospitem per quinquennium, Fabritium, Abrah. Sculteum, L. Groshium, Micrelium, Fridlibium, L. Ravium, Quistorpium hospitem, Brochmandum Episcopum, Scavenium, Lindemannum itidem per aliquod tempus ejus hospitem: Haudquaquam autem ei tantum cum nostræ Religionis Viris eruditis & magnis commercium fuit, invisit æque hujus & illius religionis Viros claros; inter alios Jesuitas Braunsburgenses in Borussia, & Colonienses in Germania; conferebat in itinere cum Nicolao Vedelio, Gomaro, Lontingo, Spanhemio, Heinsio, Riveto; cum Gerhard. Johanne Vossio & aliis: Ex qua conversatione cum variarum Academicarum & Regionum eruditione Clariss. Viris, dilucide patet, quanta itineris spatia sit emensus, adeo ut non opus sit plura de iis verba facere. Honores & officia ejus quod attinet, Magnificus noster Rector An. 1633. mense April. à D. D. DANNHAWERO, creatus Magister Philosophiæ, & inter 14. Competitores primum obtinuit locum. Ann. 1640. à Comite Nassoviæ in Comitatum suum redeunte, functio Superintendentis & Aulici Concionatoris,

itidem à Petro Oelhavio, Inspect. Gymn. Dantiscani ProfessioHebraicæ & Græcæ linguæ oblata, quæ tamen omnia certas ob causas recusavit. Ann. 1644. in Matriculam Candidatorum Theol. in patriam reversus, recipiebatur mense Martio; eodem anno auxilio D. D. DORSCHEI, Ephoria Illustriss. Comitum Nassovicorum illi commendata. An. 1647. mense Augusto ab Amplissima Facultate Philosophica Græca & Hebraica Collegia habendi potestatem impetravit. Ann. 1649. 2. Junii à Senatu Academico Professor Hebrææ linguæ & Præceptor Gymnasii Superioris electus, 17. Septemb. in Curia confirmatus est; An. 1651. 16. April. Professio Græcæ linguæ tum vacans ei adjuncta est: eodem anno Canonicus Capituli S. Thomæ constitutus est. An. 1652. 7. Decemb. D. D. DANNHAWERUS, in Eum una cum Dn. Joh. Friderico Heilbrunnero, Doctoris titulum & honores contulit: Bis Rectoratu feliciter functus est, tertia vice autem susceptum munus, quod dolendum, ei fuit exitio; quinquies Decanatum subiit; quater Candidatos Philosophiæ in Magistros promovit. Sed hic filum abrumpe[...] ...m adhuc alia dictu necessaria sint proferenda. Matrimonia ejus quod concernit, junxit sibi Ann. 1650. 28. Maji Castissimam & Ornatissimam Virginem MARIAM DOROTHEAM, Dn. JOH. REINHARDI Storcken/hujus Reipubl. Commissarii & Registratoris meritissimi, Filiam; cum qua 15. annos ac 5. menses suavissimam & placidam vitam vixit; exque Ea quinque filios Dn. M. JOH. VALENTINUM, BALTHASAREM, JOH. FRIDERICUM, JOHANNEM. & JOH. PAULUM, duasque filias, MARIAM DOROTHEAM, & MARIAM SALOMEN; progenuit, qui omnes adhuc DEI gratia superstites, jam extreme sunt afflicti: Dicta autem Conjux Ann. 1665. 24. Novembr. morti succubuit acerbæ; qua, castissima hac sua Conjuge & Matrona, orbatus, continuum triennium Eam deflevit, donec tandem ejus Oeconomia directrice indigens, Eum ad secunda vota transire adegit Anno 1668. mense Novemb. duxit ea propter in uxorem Ornatissimam & Nobilissimam Virginem ANNAM MARIAM, Viri Max. Reverendi Dn. M. GEORGII WEGELINI, Illustriss. Comitum ab Hanaw Superintendentis, & Buxovillæ Pastoris, nuper ad cœlestia gaudia elati, Filiam, Viduam nunc mœstissimam; ex qua intra biennium filiolam ANNAM SOPHIAM,

PHIAM, at non ultra octiduum viventem, vidit: Tandem & ipſe morbo acerbiſſimo 26. hujus M. circa h. 8. ante aliquot ſeptimanas correptus, vitam poſuit. Hæc fata habuit Magnificus noſter Rector Vir ſumme Reverendus atque Excellentiſſimus: Regnabit in cœlis, qui in terris amplius nequit regnare. Vos invito Cives Academicos, ea qua par eſt humanitate, ut Capiti quondam Veſtro, Vobis nunc adempto, juſta perſolvatis, adque funus decenter conducendum conveniatis, die Martis qui erit 29. Novembris hora duodecima meridiana. Valete. Perſcriptum Argentorati. An. Ch. M DC LXX.

SCRIPTA.

Herodiani Hiſtoriarum libri VIII. cum luculento Indice Philologico. *Argentor.* 1661. in 8.

Diſputationes Philologicæ XI. ſuper Pſalterium Davidis Hebraicum, in quibus examinantur ea, quæ R. Sal. Jarchi, R. Aben Eſra, & R. David Kimchi, ſuper Pſalmos ſcripſerunt. *ibid.* 1656. 1662. in 8.

Habuit & alias Diſputationes, quarum nos nonnullas hic recenſebimus. De officiis ex Cicerone: De Lunæ maculis: De Veritate Prophetica: De Spiritu Sancto: De Univerſalitate Vocationis ad regnum Chriſti, & ſpeciatim de Americanis, tempore Apoſtolorum, ſi iſta jam tum terra culta fuerit à populis: De Cleomedis Diſtinctione Terrarum, earumque incolarum, juxta Zonas, ſitus corporum, & umbras conſideratorum: De Aſtronomia Hebræorum Biblica: De Hydrographia, cum Commentatione Nautica, ex Hebræis Græcisque S. Scripturarum fontibus deducta: De Cabala: De Linguis: De Kikaion Jonæ, ex cap. IV. 6. 7. 9. 10. De Salomonis Mulieribus, ex 1. Reg. XI, 3. De Elia Teſbite, ex capite ultimo Prophetæ ultimi: In aliqua, circa Sphæram Procli, h. e. contra nonnullorum, de ſoliditate orbium, Galaxiæ, itemque Syſtematis Mundani conſtitutione, ſententias, modernorum ſagacitate, arundinisque Dioptricæ perſpicuitate refutatas: Enodationes Vocabulorum quorundam Germanicorum, in vulgus minus notorum, quibus B. Lutherus

rus in sua Versione Bibliorum usus est, cum ex ipsa linguæ Germanicæ origine & indole, tum ex Hebraico Græcoque textu, & collatione variarum Germanicarum translationum, &c.

PROGRAMMA,

In Exequiis
Nobilissimi, Amplissimi, & Excellentissimi
VIRI,

DN.
JOH. HENRICI BOECLERI,

S. Cæsareæ Majestatis, Electorisque Moguntini Consiliarii, Palatii Aulæque Cæsareæ Comitis, & in hac Universitate Professoris Historiarum Ordinarii ac longe Celeberrimi,

Propositum à
RECTORE UNIVERSIT. ARGENTORATENSIS,
MARCO MAPPO,
Med. Doct. & Prof. Publ.

POtuisset, sicut cum primum ex hoc loco ad Vos *Cives Academici*, verba facerem, notavi, tristis ille nuntius, qui de Nobilis Academici obitu inter ipsas Senatus Academici, dum Rectoratum Academicum suscipiebam, congratulationes afferebatur, ad terrorem animo injiciendum prorsus videri comparatus. Occurrebat illico animo, quod passim observatur, Principiis plerumque consentire exitus, & talem subsecutionem atque eventum expectandum, quale primordium fuerit; occurrebat tamen juxta, flebile etiam principium meliorem sæpe fortunam secutam esse. Ita me Spes, futura tum præsentibus fore potiora, erexit, metumque vicit. Verum enimvero, didici hactenus (heu nimium!) & modo amplius disco, Rectoratum meum non tantum

tantum accessionem esse notatæ illius observationis, sed & DEUM T. O. M. hunc ipsum tantis, non solum è Nobilium Civium, sed & Magnorum in Republ. & Academia Virorum jactura, cladibus velle insignire. Postquam enim nuper ex ordine Civium Academicorum duorum una Patritiorum Lubecensium, & in sequentem diem, ex supremo hujus Reipubl. Magistratuum ordine, *Amplissimi atque Prudentissimi Domini Consularis; Domini* CHRISTOPHORI STEDELII; (cujus memoria in benedictione) funus indixi, modo denuntiandus Vobis est, Viri ex Professorio ordine, non solum syncera Eruditorum per orbem æstimatione Magni, sed & Illustrium Personarum encomiis celebrati, Serenissimorum, Christianissimi Regis, imo Gloriosissimi & Invictissimi Imperatoris LEOPOLDI ex longinquo amorem promeriti, luctuosus obitus: Luctuosus, inquam, obitus *Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi & per orbem Celeberrimi; Domini* JOHANNIS HENRICI BOECLERI, *S. Cæsareæ Majestatis; Electorisque Moguntini Consiliarii, Palatii Aulæque Cæsareæ Comitis; & in hac Universitate Professoris Historiarum ordinarii.* Divinam ergo veneror Majestatem; ne tristi ejusmodi charactere meum; quod prima vice gero, officium amplius notare pergat, dum ad id, quod officii ratio à me requirit, accingo. Quamvis autem fortassis à nobis expectetur, ut accuratius Tanti Viri tum vitæ curriculum, tum merita præclara, prosequamur; præceps tamen scriptionis festinatio aliquid Tanto Viro dignum exarare non finit, nec finit novi doloris acerbitas. Delineare igitur potius quam exprimere, memorare potius quam celebrare Tanti Viri vitam, nobis est animus, vel eam etiam præcipue ob causam, quod major qua per orbem celebris est, gloria, accessionem ex sepulchrali inscriptione, aut, quod ejus apud Nos loco est, funebri programmate, non desideret. Natus ille est Anni supra millesimum sexcentesimum undecimi mense Februario. Locum natalem & patriam nactus est Cronhemium Franconiæ pagum. Parentes habuit *Virum Reverendum & Doctissimum Dn.* JOHANNEM BOECLERUM, *Ecclesiæ dicti loci Pastorem fidelissimum*, Patrem; Matrem, fœminam honoratissimam MAGDALENAM SUMMERIAM, *Doctissimi atque Clarissimi Viri, Dn.* HARTMANNI SUMMERI, *Rectoris Gymnasii Feuchtwangensis*, filiam. Horum cura, sine mora per baptismum

baptismum CHRISTO consecratus fuit. Deinde sub dexterrima optimi Patris informatione, domi Pietatis & bonarum literarum rudimenta, quæ bona indoles sponte appetebat, avide hausit. Anno vero ætatis suæ decimo, ex consilio ejusdem Heilsbronnam se contulit, & in celeberrimo tum ibi Gymnasio, & optimorum ingeniorum feracissimo, paternis aliquandiu sumptibus, deinde eorum, quibus ob raras ingenii dotes virtutisq; amorem, insigniter placuit (inter quos præcipue nominandus *Vir Reverendus Dn.* M. JOHANNES SNOILSHIK, *Ecclesiastes & Hebraicæ Linguæ Professor eximius*) liberalitate, & denique Munificentia extraordinaria Serenissimi Principis CHRISTIANI Brandenburgici, commodius variis studiis dedit operam: ita ut adjutus fidelissima manuductione modo nominati Domini SNOILSHIK, Domini M. JOHANNIS MEHLFüHRERI, *Theologi gravissimi & Sacrarum literarum Professoris celebratissimi*, nec non Dn. M. JOHANNIS NICOLAI SCHüLINI, *vigilantissimi Gymnasii Moderatoris*, intra decennium Linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ accuratam cognitionem sibi acquisiverit, disciplinisque Philosophicis plerisque pertractatis, in ipso etiam Sacrosancta Theologia facile egregios fecerit progressus, editis subinde in publico variæ eruditionis speciminibus. Anno M DC XXXI. exposita Martis furori pulcherrima Schola, Noribergam, quæ in vicinia habet Altorphium, nobile literarum Emporium, perrexit; hinc Tubingam profectus est, & tandem ejusdem anni mense Majo, bonis auspiciis, Alsaticas nostras Athenas salutavit Primum Fautorem & Patronum hic habuit, Virum maxime Reverendum, Amplissimum & Excellentissimum, Dominum JOHANNEM SCHMIDIUM. SS. Theologiæ Doctorem & Professorem publicum celeberrimum, Conventus Ecclesiastici Præsidem gravissimum: Hic partim ex literis commendatiis intelligens, partim ex sermonibus notans, *quam acri promptoque excelleret ingenio, & quanta industria optimam naturam excoluisset*, (sunt verba nominati beati viri) hunc novum Academiæ civem omnibus literarum Fautoribus atque Patronis, inprimis autem Viro plurimum Reverendo atque Doctissimo, Domino Magistro SAMUELI SCHALLESIO, Ecclesiæ Neopetrinæ Pastori vigilantissimo, tum de privata Filii sui SAMUELIS (*Eloquentiæ nunc apud Nos Professoris celeberrimi, & Gymnasiarchæ laudatissimi*)

mi) informatione sollicito commendavit, qui omnibus illum competitoribus prætulit, & de dexteritate informationis sibi gratulatus est plurimum. Filum interim studiorum suorum strenue continuavit Noster, variis variarum scientiarum Professoribus innotescens, inprimis autem Dn. M. MATTHIÆ BERNEGGERO, Professori tum Historiarum, admirandæ eruditionis Viro, cujus deinde familiaritas & paulo post convictus ei plurimum profuit. Edito in studio quoque Theologico, publico, Præside supra nominato, sed nunquam satis laudato Domino Doctore JOHANNE SCHMIDIO, magno cum applausu specimine, perplacuit Summis in Republ. Viris ita, ut illum, quem hactenus amaverant, ad altiora, quibus Genius ipsius destinatus videbatur, promovere constituerent. Ad tempus igitur de Talium Virorum voluntate per amicos redditus certior, *Latinitatis in quatuor superioribus Gymnasii nostri Classibus suscepit curam*, Anno sc. M DCXXXVI. quo eodem Magisterii Philosophici honores accepit in hac nostra Universitate, sub Decanatu Viri Spectabilis Dn. ISAACI MALLEOLI, Mathematum Professoris celeberrimi. Cum autem in provincia in Gymnasio ipsi demandata, omnium superaret exspectationem, Anno M DCXXXVII. Oratoriæ Professionis cathedram in hac alma Studiorum Universitate, ab iis penes quos hæc est potestas, jussus est conscendere, atque ita munus Professorium d. 4. Mens. Maji, à solenni Oratione, qua *de vera Eloquentia, quæ vitæ usibus, non Scholæ ostentationi servit*, verba fecit, auspicatus est. In hac functione, cum & rei domesticæ ratio ita posceret, fidam tori sociam connubio sibi junxit, omnibus sexus sui decoribus ornatissimam tum virginem SUSANNAM, in mœrore nunc superstitem Viduam, supra nominati Domini M. SAMUELIS SCHALLESII, Pastoris Neopetrini optime meriti filiam, celebratis cum ea festivitatibus nuptialibus Anno M DC XXXIIX. d. 16. Mens. Januar. Quamvis autem festivitates nuptiales mox exceperit luctus ex Dn. Soceri supra laudati obitu, qui incidit in d. 31. Januar. de reliquo tamen Conjugium fuit non solum jucundum, pacificum & tranquillum, sed & fertile & fœcundum. E casto enim thalamo dedit Filios 4. Filias 7. Illorum natu primus JOHANNES HENRICUS, vitam quam paulo ante acceperat, cum morte commutavit. Reliqui adhuc, nunc in mœrore, sunt superstites,

tes, nimirum *Vir Nobilissimus atque Amplissimus Dominus* SAMUEL BOECLERUS, *Illustrissimi Domini* JOHANNIS CASIMIRI, *Comitis Leiningensis Dachsburgici, S. Cas. Majestatis Colonelli, & Augusti Iudicii Cameræ Spirensis Præsidis Consiliarius*, qui nuperrime *Viri Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi Domini* FRIDERICI OTTONIS, *I. V. D. & Consiliarii Hanoici* filiam virtutibus ornatissimam, CHRISTINAM MARGARETHAM, matrimonio sibi junxit: *Nobilissimus atque Perreximius Dn.* JOHANNES BOECLERUS, natus in Suecia, Medicinæ Studiosus, qui jam publice atque solenniter egregia suorum in studio Medico profectuum dedit specimina: Et Dominus JOHANNES PHILIPPUS, Philosophiæ Studiosus eximius. Ex Filiabus ad cœlestem gloriam evocatæ sunt SALOME & ANNA MARGARETHA: Superfunt ANNA SUSANNA, *Viri Reverendi atque Doctissimi, Domini IOHANNIS FELTZII, Diaconi Palæo-Petrini* Conjux, ex qua ὁ Μακαρίτης quinque vidit Nepotes: ANNA MARIA, *Viri Nobilissimi atque Amplissimi Domini VLRICI OBRECHTI, I V. Doctorandi*, Conjux suavissima. CHRISTINA, (nata Hamburgi) ELISABETHA, CATHARINA; virgines, Omnes iis virtutum gemmulis ornatæ, quæ sexum muliebrem admodum commendant. Sed ut ad publica redeamus, cum strenue in Professione sua laboraret, Decanatus in sua Facultate ipsi fuit demandatus Ann. M DC XXXVIII. An. M DC XL. receptus fuit in numerum Canonicorum Thomanorum, eodemque anno Magnificus Universitatis Rector fuit proclamatus. Cum autem deinceps Decanatum iterum Anno M DC XLI. Anno M DC XLIII. Anno M DC XLV. A. M DC XLVII. gessisset, Visitatoris etiam Collegiorum munere aliquoties functus fuisset & Rectoratum Universitatis A. M DC XLIX. iterum gereret, An. priore M DC XLVIII. d. 25. mensis Novemb. à Serenissima tum Regina Sueciæ Upsaliam ad Professionem Eloquentiæ Regiam vocatus, die 14. mens. Febr. Argentorato valedixit. In Suecia, ad quam vocatus erat, functioni per annum præfuerat, cum porro ab eadem Serenissima Regina Holmiam vocatus, & ad Historiographi Regii dignitatem evectus fuit. Exacto in officio illo biennio, cum in Germaniam, ceu rationibus suis convenientiorem, redeundi veniam impetrasset, cum Titulo *Historiographi Regii*, destinato illi hoc nomine 800.

Imperialium in singulos annos salario, clementissime dimissus est. Salvus & incolumis cum Suis cum iterum ad Nos esset reversus, paulo post ab Inclyto hujus Reipubl. Magistratu denuo Professio Historiarum ipsi fuit demandata, & quemadmodum olim, ita tum iterum jus Civitatis, ex singulari in Ipsum favore, donatum. Ab eo tempore Decanatum iterum Ann. *M DC LIV. M DC LV. M DC LVII. M DC LX. M DC LXII. M DC LXV. M DC LXVII. M DC LXX.* Rectoratum An. *M DC LIIX. M DC LXIIX.* gessit. An. *M DC LXII.* ab Eminentissimo Archiepiscopo & Electore Moguntino in numerum Consiliariorum est receptus, quem amplum amicitiæ principalis gradum ita gessit, ut Eminentissimus Archiepiscopus & Elector non dubitaret, ejus quoq; opera & industria in Tractatibus Heilbronnensibus de componenda inter Eminentissimos & Serenissimos duos Electores pace institutis, uti. A. M DC LXIII. à S. Cæs. Majestate Titulo Consiliarii Cæsarei & salario hoc nomine annuo 500. Imperialium, nec non Comitis Palatini honore, in filios quoque & quidem natu semper maximum hæreditario, donatus fuit. Christianissimus quoque Galliæ Rex LUDOVICUS XIV. jam ab aliquot annis dignum judicavit, qui in illorum esset numero, in quos ob singularis Eruditionis gloriam, peculiaria Regiæ benevolentiæ exempla edere decrevit. Essent jam plura dicenda, de literariæ gloriæ fastigio, rebus gestis, celebritate operum, commerciis familiaritatis intimæ cum summis per Europam Viris, & similibus argumentis aliis; Sed horum ne quidem numerum caperet angusta hæc pagina: Alius præterea loci, alius temporis, nec non alius facundiæ fuerit, illa pro merito percensere. Nobis notandus adhuc Tanti Viri vitæ terminus. Ideam morbi non capit pagina. Verbo: latuit in corpore corruptorum humorum colluvies, quæ effervescendo & fermentescendo, d. hujus mensis 8. non sine malignitate, sui juris facta, colicos cruciatus, vomitiones horrendas, ingentem sitim, anxietatem &c. intulit, ventrem in ingentem tumorem elevavit, vires prostravit & vitam. Feeerunt officium Medici, fecerunt adstantes, sed docta arte plus valuit malum. Ipse animadvertit die Martis proxime præterito, circa vesperam, suprema urgere Fata; propterea solatio ex verbo divino, & Eucharistico Epulo ac Ephodio recreari, animamque ad æternam quietem præparari desideravit; Voti ultimi compos redditus à Plurimum

mum Reverendo atq; Doctissimo Domino M. JOH. THEOBALDO HENRICI, Pastore in Ecclesia DEI vigilantissimo, Fautore atque Amico meo honoratissimo, in summa deinde quiete voluntatem & signum Imperatoris evocantis expectavit, professus antea palam, se unice Redemptoris sui arbitrio vota sua conformasse, quem etiam animum, sermone deficiente, nutu adhuc aliquoties significavit, antequam hora noctis ad 10. vergente, beata nunc anima ex corporis vinculis plane emergens, evolaret eo, ubi in æternum ipsi bene est. Est in discessu morsus! & magni facta est in Republ. Literaria jactura Viri! propterea & solatia hic essent variis varia subministranda, si ratio instituti hoc pateretur. Addat DEUS T. O. M. illis, quæ aliunde affluunt, vim divinam. Exuviæ Tanti Viri, *Cives Academici omnium ordinum honoratissimi*, mandabuntur Terræ Corporum nostrorum matri, cras d. 14. Mens. Sept. Efferentur ex ædibus quas incoluit hactenus Vir Amplissimus, hora post meridiem prima. Invitant Vos ad ultimum officium præstandum, Tanti Viri Virtus, Merita, Fama. Perscript. Argentorati. Anno M DC LXXII. d. 13. mens. Septembr.

SCRIPTA.

Oratio funebris in Obitum Summi Viri, Matth. Berneggeri. *Argent.* 1640. in 4.

Æmilius Probus, sive Cornelius Nepos, de vitis excellentium Imperatorum, cum notis, *ibid.* 1640. 1648. 1653. 1656. in 8. *Lipsiæ* 1653. 1669. in 8. *Vltraj.* 1665. in 12. *Hamburgi* 1673. in 12.

Oratio de Typographiæ, Argentorati inventæ, divinitate & fatis. Conf. D. Joh. Schmidii Danckpredigt / wegen der im Jahr 1440. in Straßburg erfundenen Buchdrucker-Kunst. p. 65. *ibid.* 1641. in 4.

Oratio Secularis, de Statu Scholæ Argentor. Vid. D. Joh. Schmidii Schulbrunnen. p. 137. *ibid.* 1641. in 4.

Christi Servatoris Fasciæ. *ibid.* 1643. in 4.

Commentationes Plinianæ, quibus præcipuæ imcomparabilis Panegyrici materiæ explicantur. *ibidem* 1640. in 8.

Dissertatio de Politicis Justi Lipsii, *ib.* 1642. in 12. *Francof.* 1674. in 12.

Annotationes & Characteres Politici in C. Velleji Paterculi Historiam Romanam, *ib.* 1642. 1662. 1672. in 8.

Laudatio Posthuma, qua illustris Viri Francisci Rudolphi Ingoldi, Reip. Argentor. Senioris, memoriam publica pietate honoravit Academia, *ibid.* 1642. in 4.

Commentarius in C Cornelii Taciti XV. Capp. priora libri I. Annalium, *ibid.* 1643. 1645 1648. in 4.

Herodiani Historiarum libri VIII. cum notis & animadversionibus, *ibid.* 1644. 1662. in 8.

De Auspicio Regio liber, *ibid.* 1645. in 4.

Novum Test. Græcum ejus cura editum, *ib.* 1645. in 12.

Dissert. in C. Suetonii Tranquilli Cæsares *ib.* 1647. in 4.

Comment. in Taciti Annales & Historias, *ibid.* 1648. in 4. 1664. in 8.

De Eloquentia Politici libellus. *ibid.* 1649. 1664. in 4.

Elogium Linnarti Torstensonii tumulo dicatum. *Holmiæ* 1651 in fol.

Orationes & Programmata. *Argent.* 1654. in 8.

Comment. de rebus Seculi à Christo nato IX. & X. per seriem Germanorum Cæsarum, *ibid.* 1656. in 4

M. Manilius cum notis Jos. Scaligeri & Ism. Bulialdi, cura J.H. Bœcleri editus. *ibid.* 1654. in 4.

Annotationes in Terentium, *ibid.* 1657. in 8.

Dissertationes Academicæ, *ibid.* 1658. in 8.

Excerpta ex Actis Senatus in Parnasso, *ibid.* 1663. in 4.

Notitia Sacri Romani Imperii. *ibid.* 1663. 1670. in 4.

Museum, ad Amicum. *ibid.* 1663. 1672. in 8.

Tractatus de Amnestia. *ibid.* in 4.

Epistola ad Episcopum Spirensem, *ibid.* in 4.

Commentatio in Hugonis Grotii lib. de Jure Belli & Pacis, *ib.* 1663. Ejusdem liber secundus, *ib.* 1664. in 8.

Elogium Christophori Forstneri, *ibid.* 1669. in 4.

Lectiones Polybianæ ad Capellum, *ibid.* 1670. in 4.

Dissert. de Legione Romana, *ibid.* 1670. in 4.

Dissertatio de comparanda Latinæ Linguæ facultate, *Jenæ* 1669. in 8.

De Utilitate ex Historiæ universalis compositione capienda, *Argent.* 1670 in 4.

Animadversiones in Hippoliti à Lapide dissertat. de ratione Status in Imp. Romano Germanico. *ib* 1674. in 12.

Notæ & Animadversiones in Danielis Ottonis Jus publicum. *ibid.* 1675. in 8.

Institutiones Politicæ, Dissertationes ad selecta Veterum historico-

ſtoricorum loca, & libellus Memorialis Ethicus, opus poſthumum. *ibid* 1674 in 8.

De Scriptoribus Græcis & Latinis, ab Homero, ad initium ſæculi poſt Chriſtum natum XVI. Commentatio. *ib.* 1664. in 8.

Diſputationes habitæ ſunt ab Excellentiſſimo Bœclero, de variis iisdemque elegantiſſimis materiis, uti ex ſequenti indice videre eſt; Exercitationes aliquot in Flavii Joſephi Antiq. Judaicas: De conjuratione Catilinaria: De bello civili Cæſaris & Pompeji: De Cæſare Auguſto: De Bello Mutinenſi: De Bello Peruſiano: De Bello Caſſii & Bruti: De Bello cum Sex. Pompejo: De Bello Parthico: De Bellis Cæſ. cum Antonio & Cleopatra, ac adverſus exteras gentes: De Triumviratu: De Subtilitatibus Politicis & Aulicis: Mæcenas ſive Conciliator regius: Themiſtocles, ſive idea magni civis: Epaminondas: Minos Maris Dominus: Scipio Polybii, ex fragmento Peireſciano: Formula Pacis Antiocho à Romanis data: Hiſtoria Scholæ Principum: Theodoricus Oſtrogothus Italiæ Rex: Hannonis Periplus: Comparatio inter Hippolitum Euripidis & Senecæ: Miles Captivus: In Bucolicon Virgilii quartum: Συνέδριον Ἀμφικτυονικὸν: Leges Ægyptiorum: Ex Pſalmo 82. De Annona ſub Imperatoribus Romanis: De Congreſſibus & Colloquiis Principum: De Principalium Familiarum perpetuatione: De Lexicis Veterum, præſertim Græcorum, ad Photii Critica: De Menſura Pretii: De Mercatura Politica: De potentia Civitatum: Ἰσοψηφία, ſive Calculus Minervæ. De peregrinatione Germanici Cæſaris: Judex unus & multi, ex Tacit. 3. Annal. 10. Hiſtoria Tamerlanis: De Dominio eminenti: De veteri & nova militia: De lingua Novi Teſtamenti Originali: De lingua Celtica ſive Germanica: De Clarigatione & Manifeſto: Argo nova, ſive de Navibus heroicis & fatalibus: Hiſtoria Caroli M. Imperatoris Romani: De Impedimentis Pacis: De Legato: Civitas Maritima: Roma ſub ſeptem Regibus: Conductor Carolinus.

PROGRAMMA,

Quô

VICE-PRORECTOR ET SENATUS
ACADEMIÆ KILONIENSIS
Ad Exsequias
MAGNIFICI ACADEMIÆ PRORECTORIS,
Nobilissimi, Amplissimi, atque Experientissimi,
VIRI,

DN. CÆSONIS GRAMMII,

Phil. & Med. D. Physiologiæ & Græc. Ling.
Professoris Clarissimi,
Cives Academicos invitat.

SExtus jam ipse mensis exit, *Cives Optimi*, nec ex animis vestris effluxit ejus diei celebritas, quo in ipso sanctissimi Numinis domicilio, in ornatissimo splendidissimis aulæis suggestu, Nobilissimo, Amplissimoque Viro, CÆSONI GRAMMIO, oblatum Ordinis literarii principatum gratulati sumus, votaque pro salute ejus nuncupavimus. Circumsonare etiamnum aures nostras nobis videntur, illi tubarum clangores, festæ plaudentium voces; quas inter, purpurea epomide, sceptrisque, quæ purpurati prætulere ministri, spectabilem domum deduximus. Nunc vero, quam rerum sit immutata facies, tristissimum vicissitudinis humanæ, quod ob oculos vobis versatur, spectaculum commonere vos potest. Quis enim fore unquam credidit, ut quem lætabundi olim inter campani æris strepitus ad ædem sacram deduximus, illi, cum deducendus nunc denuo esset, ut eo, quem acceperat, Magistratu se abdicaret, funus duceremus. Purpurati tum præibant Pro-Rectorem suum Ministri; nunc illi feretrum pullati præcedunt: Gestabant erecta Academiæ Sceptra, amplissimi honoris insignia; nunc inversa tenent, atque ad terram inclinata: Publicæ tum lætitiæ; nunc luctui nostro æra sonant. Tum vocum ac modulorum suavissimis concentibus festum lætumque erat templum; nunc illud planctu lamentisque triste est & horridum.

Ibat

Ibat tum Ipſe, atque hoc ipſo adire die templum debebat, inter aſſectatores Collegas puniceo ornatus amiculo: nunc ille, feretro hoc recumbens, veſte feriali amictus, non in ſuggeſtum, ſed in tumulum, veſtris, Cives Academici, humeris effertur; à nobis, non jam ut olim, exporrectis in lætitiam frontibus, compoſito ad hilaritatem habitu, ſed ejectis mœſtiter in terram vultibus, ſed facto ad ſqualorem luctumque veſtitu deducitur. Quis præcipere cogitationibus auſpicatiſſimi Magiſtratus triſtiſſimos hos eventus potuit? Quis ex iſto, quod humeris ejus circumponebatur, oſtro, velut ex ipſa ſuſcepti regiminis aurora, has infandi doloris umbras, hanc acerbiſſimi funeris noctem divinare tum potuit? Nobis vero, quibus inſperatum hoc objectum funus eſt, ut è cariſſimi capitis interitu, maximus oboritur dolor; ita diſſimulare illum veſtro in conſpectu non poſſumus, & ut olim effuſione animi lætitiam, ita nunc ejuſdem contractione ægritudinem noſtram teſtificamur. Nullius enim è noſtris obitum dolentius comploravimus, quam ejus, cui juſta hodie facimus, ejusque magnas habemus cauſas & juſtiſſimas. Etenim quam alii ſimplicem ac privatam dolendi cauſam habent, dum liberi parentem, uxor maritum, ſocer generum, affines affinem ſibi ademtum delamentantur; nos publicam habemus, dum veſtrum vos Doctorem, nos Collegam noſtrum conjunctiſſimum, atque hujus ampliſſimi Senatus Principem nobis ereptum lugemus. Cujus in luctus ſocietatem ipſe etiam Dominus noſter Sereniſſimus, qua fertur in nos clementia, venire dedignatus non eſt. Quia enim Noſter hoc in regno perſonam ejus vivus circumferebat, nunc in ipſo ſuo funere ejus per Legatum Excellentiſſimum præſentia cohoneſtatur. Nec poſtremæ hoc in luctu partes dandæ ſunt ampliſſimo Philoſophorum Ordini, tum quia propiori illi conſortio juncti fuerunt; tum quia alterum hunc primo Academiæ octennio Collegam letho datum vident. Primi enim illi inter nos è ſtatione ſua emigrarunt, & humanitatem profeſſi, nihil à ſe humani alienum ſuo exemplo demonſtrarunt. Cumque ſub ipſa Academiæ auſpicia in Beati *VVatſonii*, quæ tum parabantur, exequiis parentaret ὁ Μακαρίτης noſter GRAMMIUS, ab ipſis fatis ad hoſtiam quaſi ſuccidaneam viſus eſt deſignari. Vos quoque, Cives Optimi, in Doctoris veſtri jactura, intimis angi ſenſibus non dubitamus; cujus in ipſo ætatis flore erepti, præclara præ-

cepta in ipsa jucunditate fructuum nunc submarescunt, dum memoriam refricant suavissimæ conversationis. Quem fide summa atque diligentia Naturæ vobis adyta recludentem, rerumque causas vobis inculcantem audivistis is nunc hoc extremo velut complemento disciplinæ suæ fundum omnem emensus est: dum in ejus investigatione spiritum ponens Naturæ debitum persolvit: quæ in puero juvenem, in juvene virum, in viro senem absolvisse, atque ultra fines suos nunc ablegasse videtur. Qui ergo scientia vos augere vivus, nunc exemplo suo potest mortuus, unde vitæ etiam rationes vos subductas habere nostra admonitione potestis. Illi quidem exiguum Vitæ curriculum Natura circumscripserat: quod, licet omne quis ævum pervixerit, ob artis amplitudinem, brevissimum Hippocrati videbatur: ea tamen doctrinæ suæ, paucorum annorum decursu, complevit spatia, ut in media ætate grandævæ etiam artis gloriam præciperet. Editus in hanc lucem est anno à CHRISTO nato supra millesimum & sexcentesimum quadragesimo, die Margaretæ sacro, in munitissimo Holsatiæ oppido Tonninga, honestissimis parentibus, CHRISTIANO GRAMMIO, Cive ejus loci & Mercatore, ac CATHARINA, Viri Reverendi Presbyteri Milstediensis CÆSONIS HAGGII, filia, quam ille è conjugio cum Admodum Reverendi, Nobilissimi atque Amplissimi Viri CÆSONIS AB EMINGA Canonici, atque in Gymnasio Schlesvicensi Theologiæ Professoris tum meritissimi nepte susceperat. Ab his Viris & doctissimis, & Reverendi dignitate conspicuis CÆSONIS illi prænomen impositum est: GRAMMII nomen à prædio quodam Jutiæ GRAM, per Majores ejus, qui illic habitarunt, & quorum accurata adeo haberi notitia nequit, in Nostrum hunc pie defunctum traductum est. Primas in tenero animo bonarum artium lineas duxit, Scholæ Husumensis tum temporis ConRector, nunc Schlesvicensis Rector M. ABEL FINCKIUS, cujus ille fidem diligentiamque, non immemor præstiti beneficii discipulus, vivus semper prædicavit. Ex ejus manu quasi & sinu Scholæ Lüneburgensis ad D. Johannis ConRectori traditus profligavit indies, ac bene in literis, linguis, artibus inchoata percoluit. Quibus optimæ indolis speciminibus facile effecit, ut suspicerent illum Condiscipuli, amarent Præceptores. Eisdem tum literis initiabantur Generosissimi Domini

mini ALBERTI BALTHAS. BERNHARDIDÆ, Hereditarii in Wansbeck duo filii, cum GEORGIO SEGERO, Medicinæ nunc Doctore ac Physico Thorunensi, studiorum moderatore eo missi, quorum in familiaritatem à condiscipulatu ut intraret, morum facilitate ac indolis suæ elegantia non difficulter effecit. Eaque arcta adeo inter illos contracta fuit, ut nec discessu suo distrahi illam passi fuerint. Quare quem hactenus à ludo literario sodalem in ipsa studiorum incude positi habuerant, eum quoque in Altorfinam Academiam comitem sponte sua sibi adsciverunt. Eo itaque se trajecerunt, postquam eas, quæ interjacent urbes, natura, situ, ædificiorum pulchritudine inprimis nobiles accurate perlustraverant. Hic NICOLAI RITTERSHUSII, Celeberrimi JCti & Philologi CONRADI Filii, Juris Professoris ac Philologi clarissimi, domicilio ac convictu usi fuerunt, cujus nomini primam suam disputationem consecrare Noster voluit. Publica ille præstantissimorum Medicorum HOFMANNI & NICOLAI; privata SEGERI doctrina imbutus, non leviter timideque pulcherrima hæc studia liguire, verum sic celeriter avideque, quasi diuturnam explere sitim cupiens, arripere visus est. Per ipsum hic biennium commorati, perspectis prius, quæ erant in confiniis, pulcherrimis, florentissimisque Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Helvetiæ urbibus, Academiam Basiliensem concesserunt. Hic tres admodum annos Philosophiæ disciplinis, artique Medicæ Noster impendit, BAUHINI, STUPANI, ZWINGERI, aliorumque Virorum doctissimorum monitis ductus. Prima illi ingenii fœtura, de Naturæ abortibus, Monstris scilicet, docta dissertatio, JOHANNE ZWINGERO obstetricante, in lucem edita est, cujus post auspiciis summos in Philosophia honores Competitorum suorum signifer ac princeps obtinuit: quibus ut ultimum accederet complementum, de rarioribus quibusdam problematibus, ipse eruditæ velitationis architectus atque moderator, anno ætatis XXII. disputavit. Dici non potest, quam honorificis elogiis è complexu carissimorum sibi Doctorum, quamque ægre dimissus Noster fuerit, cum in florentissimam artium literarumq; matrem Galliam iter suum dirigeret. Quo per vicinas urbes instituto, primum Lugduni aliquantum substitit, contracta cum Parabolano quodā ejus loci amicitia. Hic in Nosocomiū, velut in Morbo-

niam

niam quandam se ipsum ablegavit, ut quasi compendio quodam tot sparsa per populos, urbes, domos morborum mala, oculis subjiciens, altius eorum ingenium penetraret, & cominus eos, in rem ipsam deductus, aggrederetur. Hinc ad ipsam Regni principem urbem Lutetiam contendit, notataque illic tam ingeniorum quam operum elegantia, postquam Viris illic doctissimis innotuerat, illam Galliæ percursationem absolvit, inque reditu vel potius reversione sua non paucas Galliæ, Lotharingiæ, Germaniæ urbes celebratissimas pervidit. Cæterùm quos ille hac è peregrinatione fructus cœperit; testari liber commentarius potest, quo omnia, quæ vel in Bibliothecis, vel in Museis, rariora ac singularia offenderat, vel è doctissimorum Virorum consuetudine exploraverat, diligentissime consignavit. Nihil itaque amplius restabat, quam ut publico Collegii Medici suffragio, titulisque ordinem hunc decentibus, studiorum suorum formam expletam haberet; qui in Lugdunensi Batavorum Academia cupide cumulateque dati sunt, postquam enucleatam de Syncope disputationem ingressus fuerat. Illis ornatus ubi se Kilonium retulit, non difficulter in amorem sui pellexit Nobilissimam Lectissimamque Virginem, DOROTHEAM CHRISTINAM, Plurimum Reverendi, Clarissimique Viri M. FRIDERICI JESSENII, Pastoris ea in urbe primarii, omni virtutum genere ornatissimam filiam, nunc viduam heu! mœstissimam. Qua cum jus ille matrimonii castum, legitimumque ad extremum usque spiritum sanctissime custodivit; quam tenerrime amavit, adeo quidem, ut nunquam cum illa in gratiam redierit, cujus pulcherrimi amoris viva spirantiaque documenta habemus, filium unum, tresque filiolas, quibus immaturo hoc Parentis discessu, spes omnes prostratæ, omnia humana quidem præsidia sublata videntur. Circa idem tempus, cum hoc divinæ humanæque sapientiæ sacrarium in urbe sua Kilonio (cujus Noster ille situm, ac elegantiam delineare jussus erat) exstrueret Serenissimus noster Princeps, non exiguas ejus in hoc esse partes clementissime voluit. Nam cum Physiologiæ ac Græcæ Linguæ illi Scholam daret, in hujus Universi omniumque elegantiarum possessionem vocare videbatur. Quam Spartam, qua fide & diligentia tam publicis quam privatis dissertationib9 exornarit, pervulgatum apud vos est, *Cives Academici*, nec longa ab nobis oratione commemorandum.

randum. Quam jucunda cum illo Collegis consuetudo conversatioque fuerit, quam ille in omnibus vitæ partibus moderatus, honestus atque integer, & suam tractare personam & pertractare aliorum animos noverit, testari omnes possumus, quibus è prioris illius necessitudinis imagine, quæ ante oculos nunc subit, inflictum illud doloris vulnus recrudescit. Ut breviter ac luculentis Comici coloribus depingamus.

Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cumque una, iis se dedere,
Eorum obsequi studiis, adversus nemini,
Nunquam praponens se aliis. Ita facillime
Sine invidia laudem invenit & amicos pares.

Denique & artem illam salutis humanæ præsidem mira exercuit diligentia, cujus tot apud Viros tam nobilis quam plebeji ordinis supersunt argumenta, ut non paucis salutiferæ illæ manus, non exiguis jam tum adversus morbos præliis, deque iis tropæis spectatæ, desiderantur. Sed & illi accidit, quod plerumque usu venire solet, ut lucernæ instar, quæ aliis lucendo ipsa consumitur, ipse inter officia illa conficeretur, ac, quibus alios sæpe mortis faucibus eripuerat, sibi imbellia ae inermia arma sentiret. Cum enim paululum esset à sanitatis suæ cura omissior, ac ad medicamentorum usum segnior, procedentibus sensim, quibus debile corpus fatigabat, laboribus, ipse non advertens, & causam morbo ac fomenta suggessit. Qui barbarus utique, ut barbarum ipsi Scorbuti nomen est, cum insidiari literatis ac barbariei omnis osoribus soleat; nec Nostro pepercit, sed ipsa illius viscera, antequam idonea illi tela obverteret, occupavit: Cum illo superiori anno gravissime conflictatus vix tantillum respiraverat, cum jam per cuniculos iterum adreperet, ipsam vitæ arcem invasurus. Nam postquam & stomacho male esse cœpit, illeque viribus coquendi destitutus, qui ingerebantur, cibos regereret, omni hinc vitæ succo tabescente, fatuis vero humoribus ingravescentibus, nulla medicamentorum vi coërcendis, animum in ipso etiam mortis articulo compositissimum, non sine maximo religionis sensu, inter lachrymas complexusque amicorum, in manum Sanctissimi Salvatoris sui die Septembris XXI. placidissime exhalavit, cum ætatis annum ageret tertium & trigesimum, muneris professorii octavum. Nos interim exsangui huic corpusculo extremum

per-

persoluturi officium, vestri vos, *Cives Carissimi*, commonefacimus officii. Quod quamquam vel non rogatos facturos vos confidimus: (neque enim quenquam inter vos adeo ab humanitatis sensu, ut facere nolit, alienum fore suspicamur) ut tamen facere velitis, peramanter rogamus. Valete. P.P. Kilonl. a. d. V. Octob. An. clɔ Iɔc LXXIII.

SCRIPTA.

Chilonium, novus Holsatiæ Parnassus. *Slesvigæ* 1665. in 4.

Examen Problematis Hippocratici, an de liquidis in fistulam spiritualem aliquid illabatur secundum naturam? *ibid.* 1665. in 4.

Disputationes habuit aliquot publice, quas inter sunt de Naturæ Abortibus, Monstris scilicet: De rarioribus quibusdam Problematibus: De Anatomia Nivis: De Metamorphosi, qua Uxor Lothi in Statuam salinam est conversa: De Syncope, pro gradu Doctorali in Medicina obtinendo; De Sanguis esu: De Stella Regis Judæorum, ex Matth. 2. &c.

PROGRAMMA,

In beatum Obitum

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi atque Excellentissimi,

DN.

JOH. ANDREÆ BOSII,

In Illustri Salana Historiarum Professoris Publici undiquaque Celebratissimi,

Propositum à

RECTORE ACADEMIÆ JENENSIS,

ERNESTO FRIDER. SCHRÖTERN,

JCto & Antecessore.

Si

SI locus ullus in fixa nobis necessitate humanis precibus superesset, adeoque votis nostris intercipere, quæ humanitus accidunt, possemus, id nos in præsens unice optaremus, ut Nobilissimus DN. Collega noster, JOH. ANDREAS BOSIUS, qui nudius quintus meliore sui parte ex hac temporali vita in æternam migravit, adhuc apud nos esset. Nunc cum ob ineluctabilem vim fati frustra in ejusmodi vota quanquam valde pia effunderemur, id nostrum omnino est, ut justa funebria, quæ persoluturi ei hodie sumus, vobis, Academici Cives, significemus. Qui quo liquidius maximi eum per universam Europam factum ex enarrandis intelligetis, hoc rectius expendere, opinamur, poteritis, quantam cladem, non huic nostræ Academiæ duntaxat, sed toti literariæ Reipublicæ obitus illius attulerit. Enimvero lugemus in illo eum Virum, qui, sicuti de infinitis hominibus præclare est meritus, sic quoque ab omni posteritate prædicabitur, quamdiu virtuti ac solidæ eruditioni suus honor constabit. Sed tanquam in tabula, quæ de vita Viri comperta habemus, more hucusque recepto consignabimus. Natus igitur NOSTER Anno hujus seculi vigesimo sexto, die Jun. decimo septimo, Lipsiæ est. Patrem habuit Virum virtute & fide spectata amplissimum, PAULUM BOSIUM, Gemmarium, qui A.C. 1664. d. 6. Martii; Matrem vero præstantissimam fœminam CATHARINAM, Viri dum viveret Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi DN. ZACHARIÆ SCHÜLERI, SS.Th. D. & Pp. ex fratre Andrea neptem, quæ A.C. 1637. d. 2. Jul. pie obdormivit. Qui clarissimi parentes quantum operæ posuerint in bene educando illo filio suo, vel hinc manifestum, quod is, adolescente pueritia sua, præter pietatem, ad quam à teneris unguiculis condocefactus erat, optime temperatos moderatosque mores studiose tenuit: Quibus post etiam, ubi grandior fieri cœpit, omnium animos ita sibi conciliavit, ut ipsum cum boni omnes singulari benevolentia complecterentur, tum inprimis Præceptores, perspecto insuper ejus præstantissimo ingenio & discendi ardore in omnis generis disciplinis tractandis assidue juvarent. Inde est, quod mirari quis possit, quod A.C. 1641. adeoque vix dum expleto anno ætatis suæ decimo quinto, in patria Academia, Decano tunc spectabili DN. ANDREA RIVINO, inculpata fiducia sui primam lauream

petie-

petierit: Ornatus enim ea d. 23. Octobr. jam dicti anni publice ita est, ut neque Superiores voluptatem, quam summam ex promtitudine ejus cœperant, dissimularint, & commilitones ejus, qui via eadem grassabantur ad gloriam, libenter ei adhærere inciperent. Industrium autem magis ac magis incitabat hic honor. Nam qui nullis Dominorum Professorum publicis lectionibus ante interfuerat, nunc eas perquam diligenter frequentabat. Inprimis audiebat DN. MüLLERUM, laudatum RIVINUM, & CONRADUM BAVARUM, tres eruditissimos Viros, quibus multa se debere sæpissime fassus est: quorum ille post Erotemata Sphærica explicata Geometriam suam Philosophiæ Vogelianæ suffixam, iste Epigrammata quædam vetera, hic vero Homerum publice prælegebant. Atque ut nominis mensuram impleret, & assereret sibi reliquis Baccalaureis publice opponendi facultatem, feliciterque assertam usurparet crebro, nonnullas de Sono theses confestim conscripsit, easq; publice, ut Lipsiæ mos est, præsidendo defendit. Commorabatur autem ibidem per idem tempus M. JOH. KLINGERUS, Vir à varia eruditione informandique dexteritate nominatissimus; Hujus fidei concrediderat novellum istum Studiosum oblato minervali Pater, bene instruendi illius impense providus. Is igitur cum probe nosset, præcoces disputationes ad solidam eruditionem parum aut nihil, utramque autem linguam mature imbibitam conducere plurimum, veritus, ne, si humanioribus studiis animus ejus non sanaretur, contradicendi pruritus iste in δυσνοσίαν φύσιν, quovis perniciali morbo pejorem erumperet, addictam suam operam spei optimæ adolescenti sic præstabat, ut ad optimos ei tam græcos quam latinos Auctores, illis horis, quibus publice auscultabat nullos, domi nec perfunctorie legendos quotidie præiret. Neque enim cum illo, difficiliores ei textus exposuisse, & quod summum in hoc negotio vulgo esse putatur, nec momenti nihil ad docendum habet, subjuncta paraphrasi dilucidasse contentus, aut quæ scita videbantur minio notasse, à Scriptore ad Scriptorem properabat, sed quod à paucissimis expectes, sic eum ducebat, ut certis Auctoribus, iisque præcipuis, familiariter cognitis, è reliquis, de quibus rebus inter quos conveniret aut discreparet, παραμιλλήλως monstraret. Addebat & alia multa, quæ ad stylum dignoscendum, quæ ad cujusque Scriptoris ætatem inve-

investigandam, quæ denique ad habendam memoratis fidem pertinere poterant. Unde factum est, ut unius anni spatio plus Noster profecerit, quam quantum alius triennio vix potest. Cujus rei præclara testimonia sæpe ad multos perhibuisse celeberrimum RIVINUM, qui experiundi ejus gratia interim aliquoties illum ad se accersiverat, auditione accepimus. Verum elapso illo anno, in cujus finem initium anni 1643. inciderat, eximius ille studiorum moderator, res suas sibi imposterum unice curandas causatus, ægre quidem, at grate ab utroque Patre & filio, dimissus est. Quocirca Pater in novam sollicitudinem se conjectum videns, neque tamen diffidens, filium etiam extra penates patrios se bene gesturum, non diu deliberabat, quid optimum factu, sed cedebat ejus precibus multorum eruditorum suasu stipatis, eique permittebat, quamprimum vellet, Wittebergam abiret. Maturabat autem Noster, quoad potuit, res suas, illoque venit adhuc Rectore CONRADO VICTORE SCHNEIDERO, Phil. & Med. D. & P. P. qui anno 1642. labente Academicos fasces capessiverat. Inscripto nihil sanctius novimus, nihil antiquius fuisse, quam ut cum doctis versaretur. Ac primum quidem à Clarissimo Viro, DN. M. BALTHASARE CELLARIO obtinuit, ut se sibi socium musei adsciseret; deinde vero, cum idem CELLARIUS, Witteberga migraret, Viri pariter Clarissimi DN. M. JO. CHRISTOPHORI SELDII, tunc Adjuncti Wittebergensis Facultatis Philosophicæ longe dignissimi contubernium inivit. De cetero ibi sic vixit, ut neque ignaviæ, neque petulantiæ, nedum gravioris alicujus commissi, unquam incusari à quoquam potuerit. Tempus enim illud, quod tot alii male comessationibus consumebant, studiis tribuebat, retinensque suæ indolis, qua optima erat, in succum & sanguinem interim convertebat privatim, quæ ex publicis prælectionibus celeberrimorum Virorum, AUGUSTI BUCHNERI, & JOH. SPERLINGII, quin etiam NICOLAI POMPEJI sibi annotaverat. Etenim, cum ex Klingeriana institutione ad studium Eloquentiæ incensus esset, & ab illo quidem dicendi præcepta, ab isto vero rerum naturalium notitiam, adeoque affatim dicendorum quotidie hauriret, gnarus à Mathesi, cui jam in Patria vacarat, haut leviter perfici Oratoriam posse, neque hujus doctrinam negligebat percipere, quæ Geometrica tum erat. Horsum omnino Disputationes pertinent,

quibus ibidem nunc jam par isti conatui non sine magno emolumento qua publice, qua privatim haud raro interfuit, & illæ inprimis, in quibus ipse aut respondendo aut opponendo personam suam egregie gessit: Quarum prolixum catalogum è præbitis nobis schedis cum allatis contexeremus, nisi potiora haberemus referre. Anno 1645. circiter autumnum domum reversus non invito Patre summos in Philosophia honores petere proposuit. Id vero faciendi cum copia nondum esset, interim è supra memoratis Viris, DN. MüLLERUM & DN. RIVINUM audiebat, (tertius enim, CONRADUS BAVARUS, è vivis excesserat) illum Matheseos universa capita, hunc Horatii librum de arte Poëtica tum doctissime explicantem. Data ad tempus consuetum licentia inclutæ Facultati Philosophicæ modeste significavit, quo desiderio teneretur. Cumque animadvertisset eam gratificaturam sibi fore, primum sub præsidio RIVINI sui Disputationem de æstu marino, ejusque nominibus tam antiquis quam recentioribus, exquisite conscriptam, è publica cathedra non minus promte quam docte defendit: tum & privatim, sed ad id requisitus, Amplissimis DNN, Professoribus laudatæ Facultatis degustandum præbuit. Ad extremum post satis patefactam eruditionem d. 29. Januar. ann. 1646. una cum reliquis Competitoribus bonarum artium Magister publice renunciatus, & ita quidem est, ut doctissimus quisque luculentissimo elogio eum condecorarit. His honoribus auctum splendida privilegia cum titulo concessa, nec ubivis obvia in patriæ gremio continere poterant; sed nequibat Noster altiora cogitans in domesticis rebus diu acquiescere. Quare, quod facere præstantiores mercatores solent, qui tabernas suas multiplici rerum varietate exornaturi domi & prope alicubi nascentia non despiciunt quidem, sed tamen iis haut sane contenti in remotas etiam terras subinde abeunt, ut peregrinis eas mercibus magis locupletent, id ipsum fere sibi quoque faciendum putavit esse, posteaquam animum suum quam pulcherrime quamque copiosissime posset exornaturus, non in patria tantum, sed & in vicina Academia studiose conquisiverat, quibus instrueretur. Igitur sequente anno 1647. sub initium mensis Julii Argentinam se contulit, ut & istinc augeret suam variam doctrinam, qua jam tum plurimos suorum æqualium antecellebat.

cellebat. In qua celeberrima urbe cum commodum summam Academicarum rerum de Ecclesia Christi bene meritus Theologus JOH. CONRADUS DANNHAUERUS administraret, se ei simul in obsequium stitit, simul optime commendatum in favorem tradidit. Et sunt quibus coram sæpe dixit, maximam sibi eruditionis accessionem tempore illo factam. Unde summam fidelitatem intelligere in proclivi est, qua ipsi prœivisse laudatum DANNHAUERUM, SCHMIDIUM, DORSCHEUM & BOECLERUM oportet. Illos enim, prorsus celeberrimos Viros, in Theologiæ & Ecclesiasticarum Antiquitatum studio, hunc, incomparabilem & Historicum & Politicum, in profana historia & civili prudentia pariter atque in omni politiori literatura per integrum quadriennium secutus est. Credimus diutius illum ibi hæsurum ob commodam occasionem in Italica, Gallica, Hispanica & Anglica lingua, quarum singularum fundamenta ibidem jecerat, multum proficiendi, indeque in ipsas Terras, quarum sunt illæ linguæ, prius excursurum quam domum repeteret, nisi citius opinione revocasset Pater. Cui obsecundaturus, ne per easdem ditiones, quas in aditu brevissima via proficiscens attigerat, in reditu transiret iterum, tale iter instituit, ut secundo Rheno Agrippinensem Coloniam usque devectus, Trevirorum Augustam remearet, inde per Moguntiam, Francofurtum & Herbipolim Norimbergam veniret, hinc denique recta in patriam reverteretur. In quo proposito adjutus admodum commendatitiis est. Vocaverant ipsum ob inexhaustam aviditatem legendi ad amicos suos DORSCHEUS & BOECLERUS helluonem librorum, laudaverant ejus singularem modestiam, & de reliquo verbis benevolentiæ plenissimis sic eum extulerant, ut passim comiter exciperetur. Patebant perrisuro insigniores Bibliothecæ, monumentorum perito ad plurima inspicienda via aperiebatur, inque coëmendis numismatibus curioso antiquissima non monstrabantur tantum, sed & sæpissime venum dabantur. Frequens præterea in eodem itinere Bibliopolia intravit sedulo pervestigans, quid librorum adesset, talesque propositos, quos aut dudum impressos diu desiderabat, aut recens editos simul atque adspexerat spe devorabat, pacto pretio est mercatus. Sic in reducem factum omnibusque Rhenanis ac Mosellanis vinis pretiosiora profundo spiritu repetentem universa Lipsia ora &

oculos convertit; multis tot exoticas linguas tantamque rarissimorum numismatum & librorum copiam, aliis rerum divinarum & humanarum excellentem scientiam, plerisque incredibilem fructum demirantibus ex non longissima peregrinatione perceptum. Noster autem cum facile intelligeret se domum à Patre ideo revocatum, ne diuturnior absentia in futuris honoribus adipiscendis sibi fraudi esset, neque ipse dubitasset sui ingenii divitias palam ostendere. privatim Scholas, publice disputationes, & eas utrasque celeberrimas habuit: è quibus duas doctissimas Diatribas, quas ambas de Maculis Solaribus composuit, propterea non omittimus hoc loco laudare, quia illis Assessuram, quam Lipsiæ vocant, in incluta Facultate Philosophica rite anno 1655. obtinuit, adeoque integro post biennio, quam in celeberrimo COLLEGIO GELLIANO, quod ibidem est, commodum locum ad amplissimam sibi gloriam acquirendam nactus esset. Neque enim ignoremus fuisse tum in illo HORNIGIOS, SCHILTEROS, SCHERTZEROS, RAPPOLTOS, FRANCKENSTEINIOS, STEGEROS aliosque doctrina & ingenio facile primos, ad juris divini & humani scientiam bonas literas certatim accommodantes: quorum paucissimi post depositas mortalitatis exuvias solo nomine inter nos vivunt; reliqui adhuc divino beneficio, prout ex fide reque publica videtur, muneribus suis splendidissimis perfunguntur; qui cum à Nostro quippe novello Socio suo quotiescunque convenissent, præclare cogitata in Optimos utriusque linguæ Scriptores audirent, suamque voluptatem, quam summam inde non poterant non percipere, apud alios subinde testificarentur, eveniebat forte, ut fama ejus rei ad illustres literariæ Reipublicæ Duumviros BARTHIUM & REINESIUM perferretur. Id sentiens Noster, simul & confidens, si ad tantos Heroas in unaquaque non præpostera discendi cupidine delectari solitos tanquam ad oracula deliberatum veniret, se non pessime acceptum iri, in Societate quidem ista, qua via cœperat, perrexit porro, cœterum ut his penitus innotesceret, hoc consilio effecit. Scribebat ad utrumque de difficilioribus rebus, cum exponens modeste, quid sibi videretur, tum maxime rogans, ne deessent avido, quid errasset, sciendi. Ita BARTHIUS qui plurimam suam vitam tum ibidem degebat, nec indigne ferebat, se à talibus compellari, sive quod tempus respondendi non haberet,

beret, sive quod ipse laudata sibi studia tentare gestiret, liberali admissione honestabat eum, de sua voluntate prolixe promittens; REINESIUS vero, qui tum Altenburgi habitabat, neque nisi eminus respondere ad acceptas poterat, citissimis literis tanquam intervallum locorum & temporis compensaturus, non ingrata petenti sic gratificabatur, ut ipsum ad similes crebro mittendas amicissime instigaret. Idem consilium & eo valebat, ut in plurimorum aliorum notitiam, inprimis multorum exterorum veniret, cum quibus aut illi aut huic commercium literarum erat. Sed quasi è diverticulo in viam redeamus. Positis per Assessuram ad majores dignitates auspicatissimis initiis, sedem suam plerisque videbatur Noster in patria fixurus, neque ipsum opinamur cogitasse aliter; at divino Numini, quod res mortalium sapientissime moderatur, benigne placuit, ut anno 656. d. 11. Januarii, cum magna omnibus spes esset bonas literas sub ipso efflorescere hic posse, Clementissimis hujus Academiæ Nutritoribus postulantibus, ad Historiarum Professionem huc à nobis evocaretur. Quod munus amplexo inauguratoque affirmatè testamur ita bene successisse omnia, ut nihil tam magnificum prædicare de ipso possimus, quod ejus summæ virtutes non superarint. Siquidem Studiosis suam operam debitam in tradenda omnis generis & inprimis Ecclesiastica Historia sic incipiebat navare, ut gliscens ejus fama indies novis laudibus longe lateque amplificaretur; Collegis vero suis in confirmanda amicitia admirabilis modestiæ fideique dabat plurima specimina. Neque alius temporibus insecutis fuit, etiamsi invaletudinem interdum tulerit. Infirmior enim factus studebat domi prodesse, Collegis amore, Sudiosis consilio, utrisque libris, si quis opem ejus publice impossibilem privatim exposcebat. Inter hæc se literis crebrioribus in vicinorum & exterorum consuetudinem adeo immersit, ut hodie proxime Germaniam, neque Italia eum, neque Gallia, neque Anglia, neque Batavia, neque Dania, neque Suecia, neque Moscovia ignoret. Reliquam diligentiam cum ad propria scripta, tum ad aliorum edenda, maxime vero ad Auctores quosdam veteres illustrandos utiliter contulit. Sic novimus eum Georgii Syncelli, Nicephori Constantinopolitani, & Theophanis Chronographias, Genesii Historiam rerum ab initio Leonis Armenii usque ad excessum Basilii Macedonis gestarum,

jussu Constantini Porphyrogeniti ante annos quasi 700, conscriptam, quam anno 1652. è MS. membranaceo Lipsiensis Bibliothecæ Collegii Paulini sua manu descripserat, & Anonymi Chronicon ab edito Urspergensis non multum differens similiter è MS. membranaceo, at nostræ Bibliothecæ & adhuc describendum suis animadversionibus augere adornareque instituisse. In JOSEPHI autem opera antiquitatum Judaicarum Scriptoris ad fidem vett. MSS. Codd. emendanda & notis illustranda hoc magis incubuit, quo majore aliorum clementia, gratia & beneficio in isto negotio detentus est. Neque enim alienum fuerit hoc loco meminisse Sacratissimi nostri Augustissimique Cæsaris, LEOPOLDI, quem ut bono Germaniæ natum boni omnes fatentur, sic nunquam desinent pro incolumitate & felicitate ejus Deo supplicare; Qui cum Serenissimum Principem ac Dominum, Dn. AUGUSTUM, Ducem Brunsuicensium ac Luneburgensium, Principem dum viveret in omnes eruditos longe propensissimum, ex celeberrimo Viro, PETRO LAMBECIO, Consiliario, Historiographo ac Bibliothecario suo, clementissimè intellexisset antiquos Flavii Josephi codices manu exaratos tam latinos quam græcos in augustissima Vindobonensi Bibliotheca asservatos hactenus ad conatus Nostri optatissimos, quos multi sæpe ei commendassent, promovendos magnoperè expetere, illustri ejus desiderio perbenigne sic indulsit, ut quotquot adessent, ei quamprimum mitterentur. Celsissimus vero Princeps ac Dominus, Dn. AUGUSTUS, gloriosæ recordationis, simul atque concupitos istos codices omnes, eosque quatuor græcos & tres latinos, plerosque membranaceos ipse acceperat, datis illustribus ad Nostrum literis illico præcepit, ut huc sine mora transveherentur. Ita obruto tot Codicibus mox alius MS. ex Bibliotheca Schleüsingensi, isque græcus & chartaceus una cum literis amantissime scriptis transmissus est à Perillustri ac generoso Dn. VITO LUDOVICO SECKENDORFIO, qui æque singulari doctrina & prudentia plerosque sui ordinis præstat, atque summa dignitate in Aula Saxonico Cizensi eminet. Allati & alii multi MSS. Codd. tam græci quam latini ex Augustana, modo dicta Lipsiensi Paulina, & Norimbergensi instructissimis Bibliothecis, & nuperrime alius MS. membranaceus æstimabilis vetustatis, sed latinus, ex illustri Portensi Schola, mittente

mittente Generoso Dn. JO. SIGISMUNDO ab OSTERHAUSEN, maxime Reverendi Capituli Numburgensis Præposito, & Dicasterii Provincialis Jenensis Præside, Scholæq; dictæ inspectore gravissimo. Ut illustrem BOINEBURGIUM, & Clarissimos Viros, EMERICUM BIGOTIUM, NICOL. HEINSIUM, JO. FREDER. GRONOVIUM, JO. GEORG. GRÆVIUM aliosque taceamus, qui causa illius laboris omnes, quæ pro sua quisq; parte potuit, promtissime fecerunt. Quanquam & hoc ei pergendi alacritatem addidisse arbitramur, quod exteri, posteaquam fama de utilissimo instituto isto huc & illuc passim emanaverat, & inprimis Angli cum Germanis de imprimendi honore fere certarint: cujus rei novissimum documentum dedit haud ita pridem nomine Oxoniensium Professorum quorundam, qui curam typographicæ juxta atque literariæ rei sustinent, dignamque Theatro Sheldoniano (sic vocant Typographeum, quo Cantuariensis Archiepiscopus, Sheldonus, Academiam Oxoniensem nuper augeri jussit) novam Fl. Josephi editionem moliuntur, illustrissimus LEOLINUS JENKINS, regius Britannorum ad hos Colonienses de pace conventus Orator, quando binis iisque humanissimis literis, alteris suis, alteris proxenetæ Magnifici EZECHIELIS SPANHEMII, Serenissimis ac Potentissimis Electoribus Brandeburgico & Palatino à Consiliis Status, inq; tractu Rhenano Residentis eminentissimi, Nostro significavit esse in Anglia adornando isti Operi ab aliquot retro annis undiq; auxilia multa & varia conquisita. Inprimis Samuelis Petiti notas certo pretio redemtas, Nunc & illius doctissimas emendationes, quæ diu expectentur, vehementissime desiderari. Itaque valde rogari eum, quamprimum rescribat, quousque juvare istud molimentum velit. Quicquid beneficii collaturus esset, id omne honorifica Ejus Nominis mentione agnitum iri. De cætero mercedem honestissimam fore, & quantam ipse statuturus esset. Neq; tamen quicquam istarum lucubrationum omniũ præter jam editas justam maturitatem, adversa valetudine studiis toties obnitente, est assecutum; sed certe habebit omnium seculorum posteritas vel in solis animadversionibus ad CORN. NEPOTEM, sicut in iterata editione, quæ propediem prostabit, reformatæ sunt variaque rerum optimarum scientia auctæ, quod suspiciat. Intra idem tempus Decanatum quinquies, Rectoratum semel, utrumque maxima

cum laude gessit; è quibus ei Decanatus ultimus ad mortem fatalis Rectoratus unicus, qui in annum Chr. 1661. incidit, ob Pennalismum tum proscribendum & profligandum summe laboriosus & molestus fuit. Denique commemoramus & DISQVIRENTIUM SOCIETATEM, quæ heic auspiciis ejus fere ante biennium laudabiliter coaluit; quam tametsi non ignoramus suum in illo Patronum sibi ereptum acerbe dolere; at magnum tamen solatium confidimus inposterum reportaturam ex incredibili favore, quo eam complectitur Magnificus, Nobilissimus atque Consultissimus Dn. JO. SCHILTERUS, hodie Serenissimo Saxoniæ Duci BERNHARDO à Consiliis Aulicis & sacris, Vir æque literarum elegantiorum omnium ac juris universi longe scientissimus. Atque hæc quidem omnia ad merita spectant, quibus Noster nobilitavit hanc nostram Salanam; qui vero cupiunt & de rebus ejus domesticis cognoscere, cœlibem per primos octo annos, quam huc advenerat, mansisse sciunto. Post in matrimonio secum junxit Clarissimam Fœminam, agili diligentia & prudentia rara, omnibusque reliquis virtutibus muliebribus jam dudum, quicquid ubique est lectissimarum, aut æquantem aut supergressam, ANNAM BARBARAM CUMMERIAM, Nobilissimi atque Consultissimi Dn. ERASMI UNGEBAUERI, JCti & Antecessoris bene de nobis meritissimi privignam, ut & plurimum Rev. Ampliss. atque Excellentiss. DN. M. JOH. HOFMANNI, SS. Theol. Candid. dignissimi, primum ArchiDiaconi Sondershusani, deinde in Aula Quedlinburgensi Ecclesiastæ Vigilantiss. & Consistorii, quod ibidem est, Assess. graviss. Viduam. Celebratæ sunt nuptiæ anno 1664 d. 31. Octob. & ita quidem, ut quisque congratulantium, quasi conjugium prævideri futurum optimum, sic illud non tam voto expetiverit, quam lætissimo vultu annunciaverit posthac fruituris Faustissimo omine, posteaquam hodie inter omnes constat, in amore mutuo neutrum alteri cessisse unquam, nisi quod Nostrum, quando morbo fuit impeditus, assiduis officiis uxor optima vicerit. Sobolem nullam procreaverunt: quæ si aliqua esset, maternarum lacrymarum & ipsa lacrymabunda ob defunctum efferendum causas augeret. De cujus obitu ut postremo dicamus, notum vulgo est, quod arthritis vaga scorbutica jam à longo tempore vires ejus adeo fregerit, ut, quemadmodum spes nulla integræ vale-

valetudinis recipiendæ apparuit in ipso, sic singulis annis minimum semel decubuerit. Et quamvis veriti haud raro fuerimus, ne ultima hora ægroto instaret, Dei tamen beneficio factum hactenus est, ut semper aliquousque convaluerit. At sub initium hujus anni, cum solito magis suas vires languescere sentiret secum, aliquoties ipsum dicentem audivimus ipsi, beatum ROLFINCIUM se brevi secuturum, id haut vane prædicente CAROLO PATINO, nobilissimo Medico qui in quarta sua Relatione Historica ad Serenissimum Brunsuicensium ac Luneburgensium Ducem Dn. ANTONIUM ULRICUM, sic fere scribat: invisisse se Jenæ in transitu duos Professores, ROLFINCIUM & BOSIUM, neutrum posthac diu victurum: Illum enim senectute premi, hunc multo juniorem, nihilo firmiorem esse. Semper tamen ereximus in has cogitationes delapsum meliora expectaturi. Neque facile putassemus quippe toties recreatum tam subito expiraturum; sed cum arthritica materia, quæ alias fere semper in nodos coiverat, in sinistro thoracis latere sedem fixisset, & proxime elapso die 28 April. in pleuritidem spuriam erumperet, cœpit certissimum prædictorum eventum pertimescere curationis causa requisitus honoratissimus Dn. Collega noster, Vir Nobiliss. Excellentiss. atque Experientiss. Dn. GEORG. WOLFG. WEDELIUS, Med. D. P.P. & Medicus Ducalis Saxonicus longe celeberrimus, qui licet remedia pellendo morbo, corroborandoque corpori summe debilitato idonea mature adhibuerit, tamen animadvertit, cum interea calidum innatum sensim consumeretur, spem antea exiguam nunc prorsus præcidi. Quare die sequente 29. Apr. mane Noster animam suam sacris mysteriis expiatam Deo commendavit. Neque ita multo post inter circumstantium preces atque gemitus placide in Salvatore suo obdormivit. Hic religiosissimi ac celeberrimi nostri Professoris BOSII, in varia literatura in id evecti, super quod pauci adscenderunt, duodequinquagesimum annum complentis, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro à se discordante natura, ut cui ingenium par summis ausis benigne dederat, deessent corporis vires ad perficienda. Vestrum nunc est, Academici Cives, ut funus tanti Viri hodie hora I. deducendum, audita concione ad dormitorium ejus frequentes prosequamini, Deumque veneremini, quo tristes hujusmodi casus non tantum ab Ordine

Oo 5 nostro,

noſtro, ſed à toto Academico corpore impoſterum averruncet. P.P. d. 3. Maji Anno ſalutis Chriſtianæ M DC LXXIV.

IN EXCESSUM
JOH. ANDR. BOSII,
Viri de Re literaria egregiè meriti.

BOSIVS, heu! vixit: ſed vivit in ore Virorum
Doctorum fama BOSIVS atque viget.
BOSIVS ingenio totum comprenderat orbem,
Prenditur anguſto BOSIVS in loculo.
BOSIVS in vita fuerat Polyhiſtor acutus
Multis nunc præbet BOSIVS hiſtoriam.
BOSIVS exceſſit vita: quæ fata manerent
Mortales cunctos BOSIVS ipſe docet.

ERN. FRID. SCHRÖTERUS,
JC. & Anteceſſor h. t.
RECTOR.

ΚΕΝΟΤΑΦΙΟΝ.

BOSIVS haud pridem docto cariſſimus Orbi,
Afflicti hcic poſuit corporis exuvias.
Perdidit hoc obitu præclarum IENA Magiſtrum:
Nec reddent facile tempora multa parem.

HERM. CONRINGIUS, S. R. M.
Daniæ & Norweg. & Sereniſſ. Duc.
Brunſvic. Luneburg. à Conſiliis,
atque in Academia Julia P.P.

SCRIPTA.

Ortus, educatio & ſtudia Julii Agricolæ, Scriptore Cornelio Tacito, cum notis & gloſſario. *Iena* 1656. in 4.

De Significatu Cometarum Diſſertationes & judicia doctorum hominum, collecta, emendata, & Cometomanticæ noſtri temporis oppoſita. *ibidem* 1665. in 4.

Exer-

Exercitatio Philologica ad II. Epist. ad Timoth. II, 22. In qua ostenditur, νεωτερικὰς ἐπιθυμίας perperam exponi novas vel novarum rerum cupiditates, &c. *ibid.* 1660. 1673. in 4.

Schediasma de Comparanda notitia Scriptorum Ecclesiasticorum. *ibid.* 1673. in 4.

Cornelius Nepos, de Vitis excellentium Imperatorum, cum Annotationibus. *ibid.* 1673. 1676. in 8.

Introductio generalis in notitiam Rerumpublicarum orbis universi. Accedunt ejusdem Dissertationes de Statu Europæ, quibus omnium ejus Imperiorum juxta & Imperantium numerus religionis, item litterarum, bellique ac pacis ratio, qualis nuper erat, designatur. *ibid.* 1676. in 4.

Dissertationes Isagogicæ de comparanda prudentia, juxta & Eloquentia Civili, deque libris & Scriptoribus ad eam rem maxime aptis. *ibid.* 1676. in 4.

Disputationes etiam aliquas singulari industria elaboratas reliquit e.g. De Coronarum gestatione: De maris reciproca æstuatione & de Nautea: De æstu marino, ejusque nominibus tam antiquis, quam recentioribus: De Imperio Turcico: De Ara ignoti Dei. De Sono: De juvenilibus Concupiscentiis: De Clinicis Ecclesiæ Veterum: In Periocham Flavii Josephi, de JEsu Christo: De Ostracismo: De Pontificatu Maximo Romæ Veteris: De Pontificatu Max. Imperatorum Romanorum: De Inventa Cruce Dominica narrationes veterum: De Veterum Adoratione: Characteres beatæ Reip. è prooemio vitæ Agricolæ à Corn. Tacito scriptæ, &c.



JO. GE-

JO. GEORGII GRÆVII, ORATIO FUNEBRIS, IN OBITUM *Viri Clarissimi & Doctissimi* JOANNIS DE BRUYN, Physices & Matheseos Professoris in Academia Trajectina celeberrimi,

Habita in Acroaterio majore Nonis Novembribus cIↃ IↃc LXXV.

Illustres ac Potentes Provinciæ hujus Ordines, Nobilissimi & Amplissimi Urbis Trajectinæ Consules & Senatores, Academiæ Curatores, Curiæ Provincialis Senatores Gravissimi, Magnifice Rector, Professores Celeberrimi, Collegæ Venerandi, Reverendi verbi divini Præcones, Præstantissimi omnium disciplinarum Doctores, Cognati & Necessarii pie defuncti mœstissimi, Vosque ceteri omnium ordinum ac dignitatum Auditores, & Tu Nobilissima Studiosa Iuventutis concio.

CONscendendum denuo est hoc ferale pulpitum, in quo non ita pridem atrati mœrentesque fecimus officium Cl. Diemerbrœckio. Vix deposueramus lugubria cum novam & atrocem plagam accepit Academia nostra, paucos ante dies amisso Viro celeberrimo, Joanne Brunone, qui tres & viginti annos magna cum laude rerum naturalium abditas caussas, & artium Mathematicarum intelligentiam studiosæ juventuti hic tradidit. Hæc jactura tanto gravior est, quo rariores sunt in tanta turba ad ingenuarum artium cultum se applicantium, qui boni doctoris Academici personam tueri possint ac sustinere. Nunquam magnus quidem fuit proventus virorum excellentium, quos ingenium armavit ad omnia, quæ desiderantur ad eximii magistri numeros implendos;

plendos; aliud tamen tempus alio fuit ingeniorum præstantium feracius. Superiore memoria tantam effudit Batavia hominum eruditissimorum copiam, tot tulit insignes in omni doctrinarum genere viros, ut hujus gloriæ palmam omnibus fere gentibus Europæis præriperet, tantæque admirationi esset exteris, ut testarentur omnes nihil esse hoc orbis angulo beatius, in quem Athenæ ac Roma cum libertate & cum omnibus suis artibus migrasse viderentur. Sed laus hæc consenuit, Quanta enim nunc vastitas, quanta solitudo, quanta virorum talium orbitas! Fertur olim Diogenes accensa meridie lucerna homines quæsivisse: in nostris Athenæis si quis novus est arcessendus doctor, qui aut mortuo sufficiatur aut discedenti, ut liberalioris aliquod disciplinæ genus scienter præcipiat, accensis facibus, sicut Ceres apud Poëtas, orbis fere terrarum est peragrandus, & vix tamen invenitur, cui digne possint hæ partes imponi; non quod effœta sit nostræ tempestatis virtus, aut natura malignior, ubertate consumta, in producendis ingeniis: sed quod luxu & socordia plerique omnes corrupti severas proficiendi leges aversentur, & nolint gradibus illis laborum legendi, audiendi, & meditandi, per quos provecti sunt nostri majores, ad illam summam eruditionis, eniti, sed affectent potius compendiariam omnium brevissimam, libatis tantum doctrinæ fontibus an lacunis dicam, labris primoribus, quanta possunt maxima festinatione properantes in curias, tribunalia, cathedras Ecclesiasticas, & medicorum pergulas, ut quo crudiora sunt studia, eo citius suos exerceant sumtus. Idcirco viri eximii, quos ingenii & eruditionis solidæ commendatio, & studiũ in formanda fingendaque juventute supra vulgus extulerunt, non solum cum in cœtibus hominum versantur, sunt suspiciendi, sed & eorum memoria, cum emeritis vitæ humanæ stipendiis immortalitati sunt transscripti, comiter est habenda inprimis, & pro meritis celebranda. Nullum gratius & dignius pietatis munus iis possumus persolvere. Non enim decorantur inanibus lacrymis, quæ brevi inarescunt, nec muliebrium neniarum planctibus, sed honorifica recordatione & commemoratione quæ laudabiliter egerunt. Nam licet ipsi æternitate nominis se vindicarint ab oblivione & illætabili illa nocte, qua premuntur qui in tenebris & silentio sicuti muta animalia ignobile sunt prætervecti ævum, & nihil unquam dixerunt gesseruntve, propter quod eorum

vita

vita majoris facienda sit quam mors, exempli tamen intereſt ne virtutes eximiæ tacitæ transmittantur, quæ quo magis æſtimantur, tanto pluresillarum exardeſcent amore & imitatione. Hinc iſtum etiam honorem Patres Academici decreverunt more majorum Cl. Brunoni, mihique hanc mandarunt provinciam, quam nec Senatus noſtri auctoritati, nec viri multorum annorum uſu & conſuetudine mihi conjunctiſſimi manibus, nec neceſſariorum ejus precibus potui debere. Veſtram benevolentiam, Auditores, mihi ſpondet non tam dicentis ingenium, quod nullum in me agnoſco, aut ſane perquam exiguum, quam viri, de quo dicturus ſum virtus, eruditio & deſiderium.

Quo cenſemur homines maxime, id quidem animo recta diſciplina formato præcipue debetur: plurimum tamen refert quo in ſolo vitales auras hauſerimus, & ex quibus provenerimus parentibus. Nam ut frugũ ſemina melius reſpondent, pro terræ cui mandantur, cœlique, ſub quo coaleſcunt, ingenio: ſic & natale ſolum, & plaga cœli cujus ſpiritum ducimus, non corporibus ſolum ſed & animis dat habitum. Athenienſium ſubtilitas, ſummaque, qua pollebant, dicendi ſapiendique vis cœli illius, agrique tenuitati aſſignatur. Hinc & Minervam ajunt, cum illam ſtatuere vellet urbem, præcipue regionis naturam ſpectaſſe, talia promittentem ingenia. In craſſo Bœotorum aëre ſtupidi & hebetes naſcebantur homines. Scythas aliosque Septentrionales populos Borealis cœli aſperitas tanta immanitate efferabat, ut nati ad hominum cædem, & gentium interitum viderentur: è diverſo Aſiaticæ plagæ clementia molliſſimos & generabat homines, & reddebat. De patria, quam Brunoni lex naſcendi tribuit, non eſt quod conqueratur. Nam Goricomium, in qua urbe lucem adſpexit, non ignobile Batavorum oppidum eſt, & amœnitate ſitus, & incolarum humanitate celebre. Benigna quoque virorum doctorum habetur mater, quos non paucos edidit, inter quos eminet magnus ille litterarum Orientalium vindex Thomas Erpenius. Eam nova luce perfudit noſter Bruno. Patrem habuit Rutgerum Brunonem, filium Rudolfi Brunonis, Prætoris Leerdamenſis, virum ſpectatæ fidei & probitatis, cui neceſſitudine junctus fuit celebris ille Gandavenſium Epiſcopus, Cornelius Janſenius, qui doctrinam B. Auguſtini de gratia & libero arbitrio conſentientem fere noſtrarum

Ecclesiarum veris de hoc capite opinionibus tuebatur. Nec Mater est silentio prætereunda Joanna Gevelmannia, fœmina ornatissima & probatissima, nec obscuræ apud Goricomenses prosapiæ. Ejus unica soror Elisabetha nupta fuit cum Viro Amplissimo Wilhelmo Grotfeldio, qui non ipse solum functus est summis honoribus, sed ut possessionum, sic & amplissimæ dignitatis hereditatem transmisit ad filium unicum Joannem Grotfeldium, qui ter Consulatum gessit in patria, & cum maxime adscriptus est Consilio Illustri, cui cura rei maritimæ Rotterodami est commissa. Præter Brunonem nostrum qui natus est anno vigesimo hujus seculi a. d. VIII. Kal. Septembris Dionysiaci, parentes ejus quatuor sustulerunt liberos, duos melioris, binos sequioris sexus. Alter filiorum Rudolphus in Italia, in quam adierat perlustrandi caussa; alter Wilhelmus obiit in patria. Utraque filia superat etiam nunc. Natu major Elisabetha justis nuptiis juncta fuit Viro præstantissimo, Martino Gissenio, Senatori & Judici, Scabinum vulgo vocant, Goricomensi: post ejus mortem secundis votis transiit in matrimonium Ornatissimi Viri Henrici Gennipii, qui ordines civium duxit in patria, & nunc inter præfectos, quibus tutela aggerum Arckelensium est mandata, numeratur. Natu minimam Agatham duxit Cornelius Schonhoffmannus, qui domi quoque clarus, & in senatorum & judicum album fuit relatus. Collega noster in sinu parentum, qui sui patrimonii fructibus familiam facile sustentabant, fuit educatus, & compositis & emendatis moribus imbutus à teneris annis. Ut vero in herbescente segete læta vernansque viriditas futuræ messis indicium est, sic illustribus argumentis jam tum ostendit, quid sit futurus cum adolevisset, & vim insitam corroborasset doctrinæ & sapientiæ præceptis. Itaque cum meliorem ejus indolem perspexissent parentes, mature litteris initiandum tradiderunt. Harum rudimenta in Schola patria tanto celerius arripuit, quo docilius ad percipiendas honestas disciplinas ingenium meliore nascendi lege fuerat consecutus. Isto cum esset defunctus tyrocinio, necessariamque linguarum istarum, quas penes eruditio est, inprimis Græcæ cognitionem sibi comparasset, (eò enim in illius linguæ peritia provectus erat in ætate tam tenella, ut libros aliquot Homeri memoria complecteretur, & scite sententiam eorum interpretaretur:) missus fuit in Academiam illam nobilissimam,

quæ

quæ ſemper virorum magnorum floruit copia, Lugdunum Batavorum. Hic cum ex magiſterio ſeveriorum moderatorum, quibus pueritia continetur, exceſſiſſet, & nunc ſibi relictus, ſuis, ut ſic dicam, auſpiciis vitam regeret, libertatem hanc non vertit in laſciviam, nec tempus helluationibus & comeſſationibus, aut ludo jocoque, vagiſque diſcurſationibus diffluere patiebatur, ut multi faciunt adoleſcentuli, qui in Academiis debita ſtudiis tempora ventri & gulæ donant, tanquam in intemperantiæ & nequitiæ ſtabulis, in Cyclopum colluvione, non in pietatis ac eruditionis officinis degerent, quorum animi nunquam poſſunt ad magna ſurgere. Noſter malebat ingenium doctrina refertum, quam belle curatam cuticulam habere. Itaque præclaro animi impetu per omnes liberales diſciplinas cœpit graſſari. Operam inprimis dedit celeberrimo tum Philoſophiæ Doctori Heerbordio, cujus auctoritatem in ineunda ſtudiorum ratione & ordine, quo tractanda ſunt, ſequebatur. Duo enim in omni re ſtudiorum potiſſima ſunt, & quaſi caput totius negotii, aſſiduitas invicta, & concinnus quidam ordo: quibus qui non utuntur fruſtra ad viri docti laudes & nomen adſpirant. Non enim ſatis eſt vena beatioris ingenii ac de meliore ficti metallo eſſe inſtructum: nec ſufficit bonam voluntatem præ ſe ferre, & inanibus votis expetere doctrinam; manus operi ſunt admovendæ, & cum admoveris, opus urgendum eſt ſummis viribus & ſumma contentione. Cedunt facientibus omnia: nec quicquam tam eſt in arduo, quod non ſuperet indefeſſum ſtudium & induſtria. Ipſum Acheronta Herculeus, ut ait Poëta, labor perrupit. Sed ut ſtrenue res agatur, ad optatum tamen exitum nunquam perduceretur, ſi confuſe & permixte agatur. Nulla eſt ars utilior & neceſſaria magis agricultura, quæ tota ordine abſolvitur. Nec civitati, nec rei militari ratio conſtat, niſi adminiſtrentur ordine cuncta. Nec infera tantum & ante pedes quæ ſunt ſervantur ordine, ipſa cœli machina volvitur & rotatur ordine: ſtatos deſcriptosque curſus ſuos ſtellarum chori nunquam excedunt. Nec elementa minus ordine ſuo inter ſe apta nexaque ſunt: iſque quam diu durabit, non diſſolvetur univerſi moles. Cum itaque ſine ordine neque conſiſtat quicquam, neque procedat recte, de eo in ſtudiis etiam laborandum præcipue, ac diſpiciendum, quid primo, quid ſecundo loco ſit ſuſcipiendum. Sunt enim doctrinæ, quibus

bus præparatur animus, ſunt quibus perficitur. Quas ſi confundas temere, ac miſceas, nunquam ad bonam frugem proficias. Hunc ordinem cum ignorent qui in Academias tyrones veniunt, male ſibi conſulunt, ſi non adhibeant, qui viam eis poſſint oſtendere, quæ rectà, tuto ac expedite perducat eos quo contendunt, ne jactentur ambagibus & erroribus, & ne quicquam ſe diu fatigent, temporisque jacturam faciant irreparabilem. Bruno, quamvis nullum frugi adoleſcentis officii prætermitteret Lugduni, totumve ſe componeret ad nutum & voluntatem ſui Doctoris, à cujus ore pendebat, pia tamen mater, quæ fatis acerbis extincto patre ſola tum onus curamque familiæ tuendæ ſuſtinebat, vehementer ſollicita de filio, ac id unice navans, ut in ſuum faſtigium excitaretur præclara moles; cujus fundamenta videbat tam egregie jacta, de ſententia & auctoritate virorum gravium quibus utebatur conſiliariis, relicta Lugduno, migrare eum juſſit in Gymnaſium, quod Sylvæ Ducis eſt, in quo tum & Theologiam & Philoſophiam docebat Vir perquam Reverendus, & longe celeberrimus Samuel Mareſius. Qui ſtatim in Brunone probavit ingenii præſtantiam, & tanti fecit mirificam ejus induſtriam, ac ſummam vitæ morumq; integritatem, ut eum in oculis ferret tantus vir, ac frequenter inviſeret, & raro pateretur à ſuo latere diſcedere, præſertim cum ambulatiunculis fere quotidianis, & eruditis, quos in iis ſerebat, ſermonibus otioſas horas falleret. Sæpius teſtatus eſt magnus ille Theologus tædia moleſtiasque, quas in erudienda juventute exhauriret, valde levatum iri, ſi plures haberet ſuæ diſciplinæ tales alumnos. Bruno quoque illius temporis memoriam ſæpius magna cum voluptate recolebat, quo nullum ajebat ſe poſuiſſe fructuoſius, nec unquam ſe majore ſtudio ardoreque præſtantiſſimis artibus dies noctesque inſudaſſe. Cum Sylvæ Ducis per omnes Philoſophicas ſcientias animum egiſſet liberrime, in hanc noſtram Academiam felicibus ſe contulit auſpiciis, ut ſub Cl. Ravensbergio Mathematicas artes, quibus nondum erat initiatus, excoleret, vel quia naturæ ductu eo trahebatur, vel quod nobilitas earum ac dignitas invitabat. Quæ tanta certe, ut non fruſtra Deorum filios ac cognatos iſtis præcipue invigilaſſe ſtudiis creditum ſit. Nam cum emetiretur orbem terrarum Jovis filius Hercules, non peregrinando, ſed deſcribendo finem ejus invenit. Cœlum autem non humeris, ut fabulantur Poëtæ, ſed ingenio ac do-

ctrina post Atlanrem, quem magistrum ac praeceptorem habuerat, fulciit, cujus rationes ac motus ea tempestate nemo tenebat accuratius. Enimvero attollere ad coelestia animum, & in domos superas, non nisi felicioris cujusdam est animae. Qua de caussa & Plinius auctores astrorum scientiae ingentes viros, & supra mortalium naturam, hoc est, divinos eo appellat verius, quo remotiores hae artes à lucro questuq; sunt, atque ab omni vilitate terrae longius recedunt: cui haerere vulgares mentes plerumque solent. Ravensbergius simul Brunonem cognovit, simul deperiit, & totum se ei coepit dedere. Ejus enim ingenio & consuetudine sic capiebatur, ut non tanquam discipulo, sed tanquam socio studiorum familiarissime illo uteretur. Nunquam in publicum fere prodibat sive animi, sive negotii caussa, quin Bruno latus ejus tegeret. Quae celeberrimi viri familiaritas multum nostro ad opinionem &commendationem eruditionis & sollertiae profuit apud omnes, qui dotes ejus ingenii nondum habebant perspectas. Cum Academica spatia decurrisset, pectusque Matheseos cognitione implesset, noluit Ravensbergius hinc illum discedere, antequam publico eruditionis praemio & testimonio, laurea Philosophica ornaretur. Qua honestatus remigravit Lugdunum, ut artes, quas animo fuerat complexus, cum aliis communicaret. Hanc facultatem ubi pro illius Academiae disciplina est consecutus, aperuit ludum Mathematicum, quem cum alii celebrarunt, tum admodum Reverendus & Clarissimus Collega noster Franciscus Burmannus, qui tum temporis in augusto illo eruditionis templo Philosophicis studiis incumbebat. Non longe post cepit impetum Bruno Franeckeram videndi, exploraturus num & ibi inveniret, quod ad ingenii prodesset incrementa, & partas eruditionis copias amplificandas. Reversus in patriam dum dubitat & cum amicis deliberat quam vitae sectam sequeretur, &, quia Philosophia nullum fert fructum in tutelam vitae nisi in provinciis Academicis, num se Theologiae devoveret inposterum an Medicinae, Cl. Ravensbergius hic è vivis excedit. Qui cum valetudine confectus provideret fatalem diem imminere, animo tamen valeret, & Academiae, in qua magno cum plausu docuerat tot annos, commodis aeq; ut ante studeret, de successore sollicitus, qui quae instituerat, propagaret studia, paucis antequam animam efflaret diebus Ordinis Senatorii amicis & Curatoribus quam diligentissime

tiſſime commendavit noſtrum Brunonem, præfatus hunc digniſſimum eſſe, qui vicem ſuam, cum è vita diſceſſiſſet, exciperet, & iſtam ſpartam ornare poſſet rectiſſime. Quæ judicii prærogativa tantum valuit, ut ab Ampliſſimo hujus Urbis Senatu ei crederetur Phyſicorum & Mathematicorum doctrina. Cum primum hanc provinciam eſt ingreſſus, cum noſſet gravem ſibi conſtitutam eſſe adverſariam, expectationem ſe diligentium, nihil curæ, nihil ſtudii, nihil induſtriæ ſibi reliquum fecit, ut eam vinceret. Nec id difficulter eſt conſecutus. Nam qua erat perſpicacia ingenii reconditas rerum naturalium cauſſas pervidebat ſollerter, & explanabat aperte, & diligentia & aſſiduitate in docendo cum in publicis acroaſibus, tum in Scholis, quas domi habebat, ſpei quam de ſe concitaverat, cumulatiſſime ſatisfaciebat, non ſolum in illis Philoſophiæ partibus explicandis, quarum interpretatio ei erat commiſſa, ſed in reliquis omnibus. Nam hoc convenerat inter hujus Ordinis Doctores, ut ſingulis copia eſſet exponendi intra parietes domeſticos cunctas Philoſophiæ doctrinas. Ut accuratius occultos naturæ ſinus perveſtigaret, & abſtruſa ejus reſeraret penetralia, plurimum temporis tribuebat experimentis, & ſecandis animalibus, in quibus tanta ejus elucebat induſtria & dexteritas, ut omnes receſſus, ductus, venas, & fibras, quæ illos quoque fugiebant, qui huic uni curæ vacabant, & hanc artem publice promittebant, facillime reperiret, & admirandam illam totius corporis fabricam, & quicquid in illa detexerant ab omni memoria ſagaciſſimi ejus indagatores, haberet exploratiſſimum, & plane, quod ajunt, in numerato, ut peritiſſime ſuis omnia oſtenderet auditoribus. Nam ſi quid novi prodebatur in hoc genere, ut multi nuper homines induſtrii & acuti aut longi temporis injuria obſcurata revocarunt in uſum & lucem, aut antea inviſitata eruerunt, modum non ante inquirendi faciebat Bruno, quam illa & ipſe perſpexiſſet, & aliis poſſet monſtrare. Non minore ſtudio & diligentia verſabatur in cœli ſyderumque motibus deprehendendis, & novis ſtellis aliisque rebus pulcherrimis cognoſcendis, quæ non ita pridem in æquoribus æthereis à præclaris viris, qui ſomno vitæque blandimentis renunciant, ut cœlum aperiant mortalibus, fuerant obſervata. Moralis vero doctrinæ, & juris illius, quod non tam ſcriptum, quam à natura nobis eſt inſitum, quodque eſt æterna imperandi prohibendique ſapientia, quam prudens

fuerit & peritus, vos testes appello, qui eum audivistis incomparabilis Hugonis Grotii libros de Jure Belli & Pacis enodantem, & clarissima luce perfundentem, quorum pars nunc Rempublicā tractant, pars in tribunalibus aut caussas cognoscunt, aut agunt, pars in Academiis nunc alios docent, quod ab optimo Doctore suo acceperunt. Hi ejus discipuli famam illius non minus propagant & diffundunt, quam dissertationes Academicæ, quas cum de aliis argumentis habuit, tum insignes illas de vi altrice, de corporum gravitate & levitate, ut & lucubrationes, quas publicavit, de cognitione Dei naturali, ac de lucis caussis & origine. Nam ut luce nihil est clarius, sic ejus natura nihil est tenebricosius. Hæc omnia volitant per ora virûm, & in manibus doctorum hominum versantur. Ad matrimonium ubi appulit animum Anno quinquagesimo secundo supra millesimum & sexcentesimum, domum duxit Willeminam, fœminam multis nobilem dotibus, quibus hic sexus enitescit, filiam primarii, cum viveret, hujus Urbis negotiatoris, Friderici Berningii; cujus soror minor Anna elocata famosissimo Bibliopolæ Amsterodamensi, Danieli Elsevirio; frater vero unicus Fridericus Patris negotiationes exercet. Hoc matrimonium felix sane fuit & auspicatum, & plane ex sententia nostri Collegæ. Nam ea concordia unum & viginti annos conjuncti invicem vixerunt, eoque sanctissimo amore se mutuo amarunt, ut versus Poëtæ veteris de illis usurpari possit:

Corporibus geminis spiritus unus erat.

Suscepit in hoc matrimonio duos liberos, sed quos fata terris tantum ostenderunt. Usura enim lucis tam brevis fuit, ut pro nulla possit haberi. Quo nescio felicior ne an infelicior fuerit. Neq; enim omnes Metelli illius consequuntur fortunam, quem functum amplissimis dignitatibus & tandem vita, quatuor filii, omnes aut Consules, aut candidati Consulatus, quidam & triumphalibus insignibus ornati, elatum suis humeris in rogum imposuerint. Nam Priamus Rex eo infortunatior habitus est, quod post quinquaginta filios hostili manu, atq; in conspectu patris interemtos, ipse novissimus inter Deorum ceremonias trucidatus est, restinguens suo sanguine quos ipse ignes sacraverat. Ea nunc eunt tempora, cum facilius sit in Priami alicujus fata incidere, quam raram ac magnam felicitatem invenire, qualem Metelli admirati sunt veteres, & monumentis suis celebrarunt. Hoc maxime liberi

con-

conferunt, quod genus & nomen eorum, unde orti, conſervant. Atqui id libri, hoc eſt ingenii fœtus, multo fidelius præſtant plerumque, per quos jam olim memoriæ ſuæ noſter conſuluit. Magiſterio collegii Academici bis functus eſt. Altera vice cum faſces ad eum eſſent relati, in ſequentem quoque annum, propter infauſtiſſimorum temporum diritatem, cum deterrimo bello afflicta omnia jacerent in ruinis, hic magiſtratus ei fuit propagatus: quem ita geſſit, ut rebus fecerit teſtatum, omnium rerum curam ſibi antiquiſſimam eſſe dignitatem & incrementum Academiæ. Improbitatis ac levitatis hoſtis erat acerrimus, adulationis, blanditiarum, ac ceterarum patritiarum artium expers, fidei ac veritatis cultor ſummus; ab omni vanitate & inani gloria remotiſſimus. Nam ſua ſe involvens virtute, quam ipſe ſibi mercem omniũ pulcherrimam in conſcientia recte factorum norat præſtare, externas laudes, in quibus multi nunc, etiam qui ſapientes exiſtimantur, intollerabili modo inſaniunt, excelſo contemnebat animo, non raro ſtomachanti propior, cum ventoſiſſimi ſeculi ineptias deteſtaretur. Nihil moribus ejus fieri poterat candidius, ſimplicius, apertius. Nihil conditum habebat in pectore, quod non promptum fronte, ore, lingua præ ſe ferret. Ne vultum quidem fingere norat. Sicut autem ipſe ab omni ſimulatione longiſſime aberat, ſic averſabatur blandos illos fictoſque homines, quorum vultus melior eſt, quam animus: qui omnem vitam agunt ſub perſona, & fronte ſimulant amicitiam, ſed corde premunt iram odiumque internecinum, aut

Aſtutam vapido ſervant ſub pectore vulpem.

Nulli obtrectabat, ne iis quidem, qui adverſabantur, quas ille maxime probabat, ſententiis: nec gravis moleſtusque ulli erat, ne inimicis quidem, ſi quos, ut fieri ſolet, nactus eſſet. Nam ne Jupiter quidem, vetus verbum eſt, ſive pluat, ſive ſereno rideat vultu, omnibus poteſt placere. Hinc facile licet exiſtimare conſuetudine ejus nihil fuiſſe ſuavius & jucundius. Diligens erat Paterfamilias, ſed ut ſtuderet magis tueri rem familiarem, quam augere & exaggerare. Nam nec egentibus erat clauſa, & amicis patebat ſemper. Sicut enim ab omnibus ſordibus erat alieniſſimus, & pecuniæ contemtor, ita quam habebat, ad beneficentiam conferebat & liberalitatem, Amicos accipiens ſemper perquam benigne, ſed epulis quæ nec ſtomacho graves erant nec arcæ, & quæ ſequenti die

Pp 3 quoque

[redacted]

tam bene vixit non potuit male mori. Annus nunc vertitur, quo cœpit male habere. A quo tempore, ut Medici censent, nunquam caruit febri. Lenta quidem illa erat & minuta, proxime accedens ad eas quas Medici dicũt hecticas, ut ejus vim ipse vix sentiret, omnia pro sano ageret, in publico versaretur, in Academia sollemnes horas obiret, domesticæ institutioni fixo tempore vacaret, à consueta vivendi ratione nihil discederet: illa tacita quasi & cæca pestis sensim omnem vitalem succum depascebatur, ut ante hos duos, tresve menses pallor vultus, lapsæ genæ, macies totius corporis, tardissimus incessus argumento essent vires indies magis magisque consumi, & Brunonem ante perire, quam periret, vivumque circumferre cadaver. Ne tum tamen quicquam ex ordine quotidiano prætermittebat. Nam & statas ambulationes emetiebatur, & domesticas Scholas non negligebat: recitationibus tamen Academicis impar erat. Pertinacia hujus morbi, qui tam alte visceribus insidebat, nulla Medicorum ope, licet nihil non experirentur, potuit expugnari. Videtur illum contraxisse temperamentum corporis, quod valde siccum erat & calidum; auxisse vero vivendi legem, cui adsueverat, parcum illum escæ potusque usum, & jusculorum omniumque lactariorum, & quæ refrigerandi vim habent, fastidium. Hæc enim omni vita est aspernatus. Octavo antequam decederet die lecto affigebatur, non quod febris sæviret acrius quam antehac, sed quod nec viribus defecti poplites sufficerent ministerio corporis sustinendi, nec cerebrum, vehementiore tussi concussum ullum ferre posset strepitum, hominumque alloquium. Mens semper ei constitit. Hinc & ardentissimis precibus & crebris suspiriis & gemitibus à Deo pacem veniamque petere non desiit ac flagitare, uti sordes quas contraxerat Christi Servatoris eluerentur & expiarentur sanguine, utque animus è divinitatis fonte delibatus, qui nec senescit, nec moritur, sic mundatus solveretur obnoxii corporis obsidione, beatisque reciperetur sedibus. Voti damnatus est a.d. XII. Kalendas Novembris, cis sextam vespertinam, placidissime exhalans animam; ut sine strepitu vitam exegit tranquille, sic exitu facili velut somno solvebatur, ad instar illorum, qui non morbo, sed senectute finiuntur. Academiæ nostræ fata deploro, quæ orbata est præclaro doctore: Doleo nostram sortem, qui caremus collega optimo & suavissimo: Uxoris solitudinem miseror,

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ
DECADIS PHILOSOPHORUM
NONÆ,

Continens

Trium-Viros nostro ævo famigeratissimos,

JODOCUM HONDIUM,
Belgam Cosmographum,

N. BUTLERUM,
Scotum Alchymistam,

MICH. SENDIVOGIUM,
Polonum Alchymistam.

MEMORIA

Viri Ingenio, Arte, Doctrina & Industria Maximi,

JODOCI HONDII,

Mathematici & Cosmographi præclari,

Renovata & translata,

Ex Germanica quadam descriptione Operi Atlantico Majori præfixa.

QUicquid olim Ægyptus in PTOLOMÆO, Germania in MüNSTERO, Gallia in BELLEFORESTO, Anglia in CAMDENO, Hispania in VASEO, Italia denique in PLINIO suo coluit, id omne in HONDIO largiter invenit Belgium ac justo æstimavit pretio. Fuit quippe inexhausto labore, singulari mentis acumine, & incredibili præditus prudentia, ex præcipuis quorumvis seculorum Cosmographis, adeoque dignus, ut ejus quoque vitæ cursus Mnemosynes peplo inseratur. Anno à Servatoris nostri Nativitate sexagesimo tertio, supra mille quingentos, ex ignobili quodam Flandriæ pago, Wackene dicto, prodiit, cui ille & famam reliquit immortalem, firmavitque illud Senecæ: *Potest ex casa Vir magnus exire; potest ex humili deformique corpusculo animus formosus ac magnus.* Patrem nactus est OLIVIER DE HONDT, & arte & virtute præstantem; Matrem PETRONELLAM D'HAVERTHUYN, fœminam nullo non bonorum genere cumulatissimam. Vix bimulus, cum carissimis hisce Parentibus, ex vili oppido in urbem Conditore superbam, Gandavum nempe, commigravit. In tenera adhuc ætate & puerili statu virilem plane animum gerebat, eaque jam tum edebat specimina, quæ Herculeum & admirandæ indolis Virum promitterent. Facies ejus erat obducta, multisque hinc inde rimis ac rugis circumvallata, ex quibus aliisque τεκμηρίοις parens haud vanum optimæ culturæ & ad summa quæque tendentis ingenii augurium capiebat. Nam & ipsa inter crepundia pueruli perspicax mentis acies & θεώρευμα ad omnia aptum emicabat. Anno ætatis

ætatis suæ octavo artificium pingendi inchoabat. mox quoque, ut erat velocioris naturæ, cælabat in ossibus ac quolibet ære tam pulcre, tam polite, ut opera ab HONDIO nostro effecta captum & fidem multorum hominum excederent. Imo, quod magis est, Ductorem habuit prorsus neminem, à quo rudimenta, ceu communiter fieri assolet, addisceret. Adeo ejuscemodi in pueritia delectabatur progymnasmatibus, ut ludere ipsi esset graviter laborare. Nunquam otiosus, nisi cum maxime esset occupatus: Mente ac manu raro perquam cessabat, sed ubivis in promtu habebat, quod ageret. Id quod non in spectatoribus solum laudem & amorem in hunc adolescentem enixe ferventem omnibus modis excitabat; sed & eundem sæpius μεγιστάνων gratiæ commendabat. Hinc, cum Celsissimus Parmæ Dux Antverpiam obsidione cingeret, & in quodam ruris tractu, quod Bevere nuncupatur, subsisteret, per Confessionarium suum eo laboravit, ut HONDIUM, insigni variaque peritia jam tum celebrem, ad se pertraheret. Advenientem Princeps benigne suscepit, voluitq; efformari quasdam ex ære statuas ac imagines eximia, qua callebat, arte deductas. Ob horum operum præstantiam, nihil postea intermisit Dux ille Parmensis, quo HONDIUM, tot elegantissimarum formarum auctorem, summis precibus & præmiis Romam alliceret. Ab illis cum se petitis non potuerit alio modo liberare, clam aufugiebat, atque sic Patriæ usibus se unice reservabat. Cæteroquin Calliographia nulli mortalium censebatur inferior, literas admodum formosas sciebat diducere, variasque formare scripturas mirus valebat artifex. In juventute sua se quoque fundendo typos exercebat Chalcographicos, matrices vulgo dictos, qua peritia ad aliquod tempus præcipue usus est, licet in illa pariter non ullum expertus fuerit Præceptorem. Tantis proinde naturæ bonis instructus, ne ἀναζωπυρώσεις ingenii maximi stricturas confertim emittentis negligeretur, mitissimus Parens id dedit operam solicite, ut Scholis traderetur. In iis prima linguarum, Græcæ ac Latinæ, ponebat fundamina, eaque tam celeriter hauriebat, ut omnium oculos in se merito converteret. Dum ita studiis liberalium artium ingenti alacritate incumbebat, ab aliis supra dictis scientiis, ad quas sponte ferebatur, nihil remittebat. Quicquid igitur à gravioribus Lycei negotiis residuum, id illico amœnioribus exercitiis & deliciis suis Mathematicis domi

domi totum consecrabat. Posteaquam vero vigesimum ætatis annum compleviſſet, Gandavo, quod tum Hiſpanis parere cœpit, una cum plurimis ejus urbis Incolis in Angliam tendebat. Londini nactus eſt campum ampliſſimum, in quo præcellens HONDII indoles feliciſſime excurreret. Hic ad Coſmographicum ſtudium, non absque inſigni ſucceſſu ac ſtupore totius propemodum orbis, applicabat animum; Hic Itinerarium Franciſci Draecken per Palæſtinam & Romanorum Imperium, aliaque ſcripta luce digniſſima, poſteritati propinabat: Hic inuſitatæ magnitudinis & artis Globos, Terreſtrem æque ac Cæleſtem, ſuamet manu fabricatos, ſiſtebat. Anno Æræ Chriſtianæ cIↃ IↃ LXVIII ætatisque ſuæ XXII, conjugem eligebat ſibi Gandavi probe educatam, COLETTAM VAN DEN KEERE. Cum iſthac vitæ contubernali, XIII liberos utriusque ſexus ex lumbis ſuis egreſſos videbat, non parum iis gaviſus. Relicta deinde Anglia, ad Belgas cum tota familia commigrabat, ſedemque ac domicilium, ſuis inpoſterum Muſis proficuum, conſtituebat urbium inclutarum, quascunque ſol luſtrat Belgicus, facile principem, Amſtelodamum. Qua ibidem gloria vixerit, quanta conſummatæ ſcientiæ opera condiderit, quæ viri hujus θαυμασία in Chartis Geographicis Mappisque exſtruendis ἀκρίβεια & induſtria fuerit, nullius digne ſatis eloqui poteſt facundia, nullo unquam ſeculo determinari. Loca perquam diſſita in utraque mundi plaga, ut & tot æquora, fluvios, & quæ illis adjacent, ſublimi utique mente ac infinitis vigiliis, inveſtigavit, illuſtravit, ac in apricum produxit. Et quid, quæſo, de magnifico & incomparabili illo, quod Atlantis nomine in publicum exivit, dicemus Opere? Inter mundi ſtupenda ſi ponamus, à veritatis tramite neutiquam deflecteremus. Verum niſi extrema HONDII manus tam præclaro ingenii monumento opportune acceſſiſſet, actum ſane de toto hocce fœtu literario fuiſſet. Ille enim imperfectum à Gerhardo Mercatore relictum opus ſuis ſubinde curis, & exquiſita variarum rerum experientia ita perpolivit, ut plane novum videretur. Quod in hunc ergo diem Magnates non minus quam cujuscunque dignitatis atque ordinis Viri amuſſitato hoc Atlante fruantur, id grato ſe pectore fidei ac induſtriæ HONDIANÆ deberi dubio procul teſtabuntur. Domum ejus haud immerito

merito dixiſſes omnis politioris literaturæ, & variorum admirandæ artis inſtrumentorum officinam ; ad quam ex diſſitis hinc inde locis, veluti ad Lyceum aliquod Peripateticum, aut Archimedis Muſeum, concurſus creberrime fiebat: Hanc Principes quoque & Viri ſummi, medii, infimi, frequentes inviſebant, ut oculis ſuis occuparent, quæ auribus ac fide haud potuerunt. Hæc & multo majora indies meditantem Parca minime parca audebat interrumpere. Poſt labores itaque multos exantlatos, in optimo ætatis flore, ingenti Polymathiæ damno, anno CIƆ IƆC XI, die XVI. Febr. repentina morte obiit; quum quatuor duntaxat dies decubuiſſet, rebusque humanis XLVIII. annos egregie conſuluiſſet. Qui vivus terrarum orbem ſtylo & tabulis cepit, eum nunc brevis in terra urna extinctum capit. Ite proinde ingenuæ mentis cultores, & huic marmori flores, vel potius lacrumas, inſpergite, magnoque funeri mollibus votis, bona verba adprecamini.

EPITAPHIUM.

JODOCI HONDI,

Avunculi ſui Obſervantiſſimi.

Quis ſua non lachrymis & fletibus irriget ora?
Quis poſſit luctus non dare ſigna ſui?
O fera fata, virum ætherea quæ veſcier aura
Non ſinitis! ſed quem, dicite quæſo, virum?
Nonne ſuos inter qui tanquam ſtella refulſit?
Qui ſpecimen celſi prodidit ingenii?
Ibitis inficias? Clara ejus facta reclamant,
Cognita cunctorum facta per ora Virûm,
Extremis quis enim ſic eſt ſemotus in oris,
Quisnam adeo quavis exſtat in arte rudis,
Nominis ad quem fama tui non venerit, HONDI!
Fama equidem nullo quæ peritura die eſt.
Quæ melius faciem poterat depingere Terræ?
Et quis in ære magis ſculpere doctus erat?
Cui magis egregie Cœli Terræque meatus,
Atque Maris tractus exprimere arte datum eſt?
Vos ergo non immerito crudelia fata
Accuſo, & veſtra de feritate queror.
Quod neque ſit licitum ſupereſſe diutius illi,
Nec licuit nobis illius ore frui.

Cujus

Cujus ab interitu tantum cùm mente recordor
Vos patriæ & nobis acceleraſſe mali:
Hei mihi triſtitia mœſtusque dolore tremiſco;
Atque mea lachrymis immaduère genæ.
Sed quid me vanis cupiam cruciare querelis?
Et cur me fatis oppoſuiſſe velim?
Cum jam poſſideat cœleſtia Regna beatus,
Nec quis ſe fatis oppoſuiſſe queat.
Hinc igitur lachrymæ procul eſto, Valete querelæ,
HONDI & in Domino molliter oſſa cubent.

JOH. MONTANUS.

SCRIPTA.

Cœlatoris Theatrum artis ſcribendi, varia ſummorum noſtri ſeculi artificum exemplaria complectens, novem diverſis linguis exarata. *Antverp.* 1594. *Amſtelod.* 1614. in fol.

Orbis terrarum deſcriptio Geographica & Hydrographica, ubi præter exactam graduum ſupputationem, etiam multa hiſtorica inſeruntur. *Amſterod.* 1603.

G. Mercatoris Atlas, ſive Coſmographicæ Meditationes, de fabrica Mundi & fabricati figura, æneis tabulis à J. Hondio auctus & illuſtratus. *Arnhem.* 1611. *Amſter.* 1622. &c. in fol.

Anglicè, *Londini* 1635. Germanicè, *Amſter.* 1636. & ſæpius in fol.

Italiæ hodiernæ Deſcriptio. *Lugd. Bat.* 1627. in 4.

Globus Cœleſtis & Terreſtris, majori forma, cum omnibus directionibus & Obſervationibus, quæ in diem hodiernum inveniri potuerunt, magno cum labore & ſtudio abſolutus. *ibid.* 1614.

Nova totius orbis terrarum tabula. *ibid.* 1617. in fol.

(o)

MEMO-

MEMORIA,

Viri nostra ætate perquam famosi,

N. BUTLERI,

Hiberni, ex familia, ceu jactabat, Ormondica;

Partim Versa, partim collecta,

Ac nunc demum, ex variis literarum Monumentis,

Renovata.

CIrca Annum Domini cIↄ Iↄc XXV. regnante JACOBO I. Magnæ Britanniæ Rege, non nemo Hibernus, BUTLERUS nomine, longe lateque per Orbem inclarescere cœpit. Is Londini Mechanicam primum artem exercuit, atque polioni cuidam servilia præstitit opera. Priusquam vero hic sui juris factus & manumissus fuerat, absque Domini sui Voluntate ac consensu aufugit. Non diu post ad Insulas Barmudienses (ipsi vere tum Fortunatas) profectus est, & denuo se ad opus vulgare minusque ingenuo homine dignum addixit. Tempore quodam accidit, ut cum socio aliquo juxta Oceani litus obambulans, forte fortuna magni ponderis ac pretii Ambram Grisiam inveniret. Hanc mare, veluti inane expurgamentum, haud raro ejicere solet, quam peregrinantium par illud omni cura & solicitudine sibi reservabant. Verum Butlerus pro insigni sua, qua præ altero pollebat, calliditate, bono Sodali fucum facere in animum induxit. Magnificis quippe verbis eidem persuasit, ut Cinereæ hujus odoratæ non modo particulam, sed omnem prorsus substantiam suæ fidei atque curæ concrederet. Tantis tunc spoliis onustus, comite inscio, navem conscendit, & Amsterodamum petiit. Qua in urbe recens iste advena merces suas admodum caro divendidit pretio, multasque sibi sine sudore divitias comparavit. Ex vili itaque Politoris servulo locuples insperato factus Mercator, nihil intermisit, quo altius

altius indies posset ascendere. Angliam proinde Magnificentiæ suæ theatrum elegit, ubi illustris cujusdam Schema sustinere videbatur; Quam primum enim illuc appulit, unicuique promiscue concessit suum adire hospitium, ac quolibet die, mensa ibidem absque impensis strata liberrime frui. Contignationes quasdam belluatis maximeque pretiosis tapetis, Principis instar, undique exornabat. Rheda insuper à senis equis pertracta vehebatur, Ministrorumque turba stipatus incedebat. Sic ergo nihil eorum, quod ad externum magnæ autoritatis splendorem facere ullatenus poterat, eidem deerat. Omnia tanta cum gravitate generosoque animi impetu peragebat, ac si revera ex illustri domo prognatus esset. Et quamvis Butleri hujus sumptus, tam amplam alere familiam, aut tanto cum apparatu diu subsistere, minime ferrent; factum tamen est, ut Optimatum favore ac consuetudine sustinuerit, quod alias ægre admodum potuisset. Erat sane iste Hibernus, si quisquam alius, ingenio instructus percallido & ad omnia versatili. Hinc demum jactabundus Distillatoriam artem exercebat, ut hac quadantenus ratione vitæ sibi subsidia acquireret. Id quod multis peperit ansam credendi, illum, tot hactenus hominum votis atque laboribus anxie expetitum, nactum esse Philosophorum lapidem. Verum enim vero sagaciores quicunque facile perspiciebant, hoc excogitatum duntaxat à Butlero ad uberrimum exinde quæstum faciendum. Nam posteaquam nummos, ex Ambræ Grisiæ venditione, collectos, fumo jam perdiderat, pro illis alios comparare necessum omnino habuit. Notandum autem hic præprimis est, qua Butlerus ratione vitam suam cum morte commutaverit. Singulari hactenus gratia, imo & quadam quasi necessitudine apud præcipuum in Anglia Ducem (Buckingam) vixit; sed, ut fieri non raro assolet, ea demum excidit. Quare alio commigrandum Butlero erat, utpote qui, sulcato æquore, à Duce literis insuper commendatiis instructus, in quoddam Jesuitarum Collegium benigne recipiebatur. Tandem aliquando, cum tempus ire cubitum moneret, cum ingenti Patrum ejusdem Societatis comitate deducebatur in Cameram, ubi pulcra erant omnia, & elegantissimis candelabris atque tapetis parietes exornati, honorem novo hospiti exhibendum testabantur. Mox cum summa veneratione abeunt religiosissimi Patres, ac Bultero

fausta

fausta quæque apprecantes longum Vale dicunt. Promiserunt quoque discedentes, se illico missuros famulum, qui præparatum ipsi cubile ostenderet. Sed quam primum se ex hocce tragicæ mortis theatro subduxerunt, ecce! locus, quem infelix ac inscius calcabat, se aperiendo Butlerum absorbuit, inque abyssum dimisit, ex qua, ceu inferno, nullus unquam datur reditus. Certis etenim instrumentis ita erat comparatum, ut, priusquam quis sentiret, ubinam esset, suffocatus repente fuerit. Et per hanc absconditam viam, nimis crudelem & truculentissimam, plurimi hactenus transierunt, qui publicum mortis supplicium haud satis demeruere. Hæc de Butlero habemus, ex Anglico quodam scriptore, ATHUR WILSONIO, qui Historiam Magnæ Britanniæ, de Regno JACOBI I. pertexuit. Paulo aliter de Eodem refert ὁ πολυμαθέστατος D.G. MORHOFIUS in peculiari tractatu de Metallorum Transmutatione. De Butleri lapillo, inquit, mirabiles Curationes recenset Helmontius, cum ejus Historia nemini, quod sciam, prodita sit, ut ex ore illustris cujusdam Viri habeo, recitabo. Fuit Butlerus nobilis Hibernus, cumque juvenis in Africam navigaturus esset, à piratis captus. Regulo cuidam Arabi pro mancipio venditus est. Is possessor magni arcani fuit, ut sunt in Arabia multi, & hujus servi sui ministerio ad opera quædam vulgatia Chemica usus est. Qui cum esset sagacissimus, subolfecit secretiores Domini sui labores, ac in pyxidem aliquam incidit, qua recondebatur magnus ille naturæ thesaurus; Cujus rei cum jam certus esset, cum mercatore Anglico illic vivente pactus est, ut se ab hero suo redimeret. Redemit ille: Butlerus vero pyxidem illam, tanti arcani custodem, furto subripuit, atque in Angliam navigavit, ubi privatam coram aliquibus projectionem fecit. Ea fama pervenerat ad Medicum quendam Hibernum, popularem ejus, quem permovit, ut relicta familia sua ac praxi Medica, ipse Butlero, spe arcani potiundi, famularetur. Multum temporis intercesserat, cum nihil deprehendere potuit Medicus, & omnia clanculum ageret Butlerus. Transegit itaque cum hospite, pretio dato, ut locum aliquem obscurum post Butleri conclave sibi concederet, quo per rimas aut foramina quædam observare illum posset. Accidit itaque, cum aliquando plumbi & hydrargyri quantitatem

emere jussisset Butlerus, ac statim in vicinam urbem negotii causa ablegasset, ut ille tempus jam idoneum suspicatus simulato abitu domi remanserit. Quare post conclave in sellis duabus vel tribus sibi superimpositis constitit, ut per foramina prius à se facta despicere in conclave Butleri posset. Vidit itaque furnum parare Butlerum, plumbum ac hydrargyrum igni apponere. Vidit de pavimento, effracto lapide, producentem pyxidem aliquam rubicundo pulvere plenam. Cumque satis erat, è pyxide ceperat Butlerus, ac jam jam liquefacto plumbo ac hydrargyro calido immissurus erat: Medicus nimio videndi desiderio incensus propius se foramini admovit; cum corporis sui pondere sella suprema inclinata præcipitem illum dedit. Quo strepitu attonitus Butlerus observatorem suum pene transfixisset, nisi intercessisset hospes; Medicus vero ille statim herum suum coram Magistratu Londinensi ut Monetæ falsarium accusavit. Quo in carcerem conjecto, ac suppellectile ejus perlustrata nihil quidem instrumentorum monetariorum, sed quadraginta auri libræ inventæ sunt. Quod cum falsum primo suspicarentur judices genuinum omni examine deprehenderunt. Quoniam itaque documenta non essent, quibus convinci posset Butlerus, è carcere iterum dimissus est. Idem Butlerus Ducem de Buckingam, cum iter suum in peregrinas regiones institutus esset (narrabo, quæ ex ipsius Ducis Oeconomi ore accepit, qui hæc mihi narravit) adiit, ac aliquam Cambii Schedulam ad Mercatorem Batavum ultro obtulit, si forte apud peregrinos pecunia illum aliquando deficeret. Risit Dux; sed ne inofficiosus videretur, Schedulam accepit, eam ut nullo sibi usui futuram negligens. Accidit itaque, ut Ducem Amstelodami viventem, Mercator aliquis Butleri nomine salutaret, ac ducenties millia aureorum ejus nomine offerret, si pecunia egeret. Obstupuit summa ista oblata Dux, sed accipere detrectavit. Cum vero postea per Angliam innotesceret, de Butleri divitiis, per artem Chemicam paratis, ac saluti suæ diffideret, in Hispaniam navigans una cum tinctura aquis submersus est. Medicus vero ille laqueo postea multatus est, quod populares suos rebelles pulveris pyrii conficiendi rationem docuerit. Atque ita Butlerus furti, Medicus proditionis pœnam dedit. Hanc historiam è relatione ipsius Medici Hiberni Vir ille illustris habuit, J. B. HELMONTIUS

TIUS ista habet: Hybernus quidam Butler nomine, magnus olim apud Jacobum Regem Angliæ, detentus in carcere Castri Vilvordiæ, misertusque cujusdam Baillii, monachi Franciscani, celeberrimi Concionatoris Gallo Britanni, etiam incarcerati, formidandum Erysipelas, in brachio habentis, quodam vespere, cum pene desperaret æger, in cochleari lactis amygdalini, intinxit celeriter quendam lapillum, statimque inde retraxit. Dixit autem custodi carceris. Porrige isti monacho hanc sorbitionem, & quantumcunque inde cœperit, saltem infra horulam sanus erit. Quod etiam sic evenit, cum summa custodis admiratione, ægroto que inscio, unde sibi tam repentina sanitas alluxisset, cum se ignoraret aliquid assumpsisse. Brachium namque ejus sinistrum, immense antea tumidum, concidit, sicut statim ab altero vix discerneretur. Sequenti mane à Magnatibus rogatus, Vilvordiam veni, ut testis actorum fui. Contraxi itaque cum Butlero amicitiam. Vidi dein statim vetulam, lotricem, ab annis sedecim, aut circiter, intolerabili hemicrania laborantem, statim etiam curatam, me præsente. Nimirum eundem lapillum obiter intinxit cochleari olei olivarum, atque lapillum statim abstersit lambendo, atque in thecam thoracis reposuit. Istud autem cochleare olei, infudit in lagenulam olei, cujus unicam guttam jussit inungi caqiti præfatæ anus, quæ inde confestim sanata est, ac sana remansit in annos aliquot, quod attestor. Stupui, quasi alter Mydas factus. At ille me obridens dixit: Charissime, nisi eo devenias, quod unico remedio queas curare quemlibet morbum, manebis in tyrocinio, utcunque senex evaseris. Adstipulabar facile, quia de Arcanis Paracelsi, jam id visu ac spe certior factus, didiceram. At novum sanandi illum modum fatebar lubenti animo, mihi insolitum, & incognitum. Dixi itaque, quod princeps juvenis, aulæ nostræ, Vicecomes Gandensis, frater princ.pis d'Episuoy, de domo Molum, totus ita podagra decumberet, quod deinceps jaceret unico tantum latere, multisque modis miser, ac deformis. Ille itaque dexteram meam apprehendens, dixit: Vin; sanem istum juvenem. Sanabo in gratiam tui. At ego: Est enim ejus pertinaciæ, quod malit mori, quam pharmacum vel unicum bibere. Esto, inquit Butlerus, neque enim aliud exigo, quam quod lapillum, quem vides, singulo mane, attingat apice linguæ. Post

tres namque inde septimanas, proprio lotio, dolentes, indolentesque nodos lavet quotidie, & videbis ipsum mox deinde sanatum atque incolumem ambulantem. Vade & gaudens nuncia illi, quod dixi. Lætus itaque Bruxellam redeo, atque nuncio, quæ dixerat Butlerus. Dynasta verò respondit: Eja dic Butlero, si me restituat, ut dixisti, dabo illi, quantum poscet. Pete pretium, ac lubens, depositatem sequestrabo in sui securitatem. Cumque id Butlero sequenti die denunciarem, excanduit, dixitque: Insanus & miser ille princeps. Ideoque nec unquam illum juvero. Nec etenim suæ pecuniæ sum indigus, nec illi cedo, aut inferior sum. Imo nec unquam potui inducere illum, ut præstaret, quæ antea fuerat pollicitus. Quapropter cœpi dubitare, ne præcedentia, quæ videram, velut somnia essent. Contigit interim, quod amicus, fornacis vitriariæ Antverpiæ præfectus atque herus, valde obesus, à Butlero obnoxie petiverit liberari à molestia pinguedinis, cui Butlerus obtulit frustulum illius lapilli, ut lingueret semel, sive celeriter attingeret apice linguæ singulo mane. Et infra tres hebdomadas, vidi thoraces ejus, uno spithamo strictiores factos, atque abinde non minus incolumen vixisse. Quapropter rursus cœpi credere, idem in præfato podagrico evenire potuisse, quod spoponderat. Interim misi Vilvolodiam ad Butlerum, pro remedio, in casu oblati mihi veneni, per occultum hostem. Misere enim languebam, dolebant artus omnes, atque pulsus dicrotus, tandem intermittens factus, deliquia animi, atque Virium extinctionem comitabatur. Confestim Butler adhuc carcere detentus, jussit famulo meo, quem miseram, ut ad se deferret lagenulam olei olivarum, intinctoque præfato suo lapillo (ut alias) istud oleum ad me misit, jussitque, ut unica olei guttula ungerem unicum saltem doloris locum, vel singula loca, si vellem. Quod feci, nihil tamen subsidii inde sensi. Interim hostis meus moribundus sua sorte, jussit peccati sui veniam peti à me, sicque quod suspicabar, venenum assumtum agnovi. Ideoque etiam omni cura extinguere procuravi lentum toxicum. Et favente Dei gratia evasi. Uxor mea, jam ab aliquot mensibus dolore lacerti dexteri premebatur, sic ut nec attollere manum posset, multoque minus aliquid sursum: quin etiam præ dolore & tristitia mei, jam sensim utroque crure à pede usque in inguina, atroci ædemate, languebat, quod intin-

ctum digiti vestigium, ad secundum usque articulum, sua fovea ostendebat. Etenim quia præ mearum tribulationum mœstitia, hæc contraxerat, medicamen aspernabatur, quamdiu mœror non cessaret. Videns ergo operam olei Butleri irritam in me, volensque coram domicellis aliquot meam irridere credulitatem, unicam illius olei guttam unxit in brachio dextero, & confestim ille liber motus, cum robore pristino est restitutus præter spem. Mirabamur omnes tam repentini eventus prodigio. Quapropter utriusque tibiæ inunxit malleolos, unica utrinque guttula, in orbem malleoli circumducta. Et mox infra horæ quadrantem evasit omne ædema. Etiam annis 19. postmodum adhuc Divino favore vivit sana. Ancilla quædam, ut in hera id audivit contigisse, poposcit aliquot illius olei guttas, quia in tibia dextera ter erysipelas male curatum passa, ostendit crus plumbeum atque tumidum à genu usque in digitos pedum. Vespere ergo, eundo cubitum, quatuor guttas illius olei, parti oblæsæ affricat, ac mane nullum apparuit prioris mali vestigium. Adeo ut quæ jam antea, vix uno die in forum ire poterat, eodem mane, ad ædem Divæ Virginis Deiparæ in Laken profecta sit, alacrisque redierit, mihique de fonte D. Annæ aquam attulerit, procul inde remoto. Quo audito, domicella quædam Vidua, utroque brachio jam à multis mensibus afflicta, quod nunquam manum sursum elevare potuisset, paucis guttis illius olei, unico mox vespere, in plenam sanitatem restituta est, atque mansit. Dein interrogavi Butlerum, cur tot mulieres confestim sanarentur: ego vero dum atrocissime conflictarer cum ipsa morte, omnium artuum atque organorum doloribus quoque stipatus, nequicquam levaminis sentirem? Petiit autem, quo morbo laborassem? Cumque venenum intelligeret morbi ortum dedisse, dixit: Quia causa ab intro foras venerat, debebat oleum assumi, vel tingi lapillus, quod dolor interne fotus, non esset topicus, vel externus. Omitto hic cætera adjicere, cum Helmontii opera ubivis obvia & continuis eruditorum manibus terantur. Non tamen possum, quin coronidis vice, ex eodem Auctore, de ipso Butleriano remedio quædam apponam. Ita autem ille, post nonnulla alia pergit: Quapropter approximavi ad Butleri attactus solo linguæ apice, vel dimidii grani pondere exhibita remedia; Lapillum namque Butleri, atque ejusmodi potestativum, fermentaleque

remedium, defectu nominis, nostra Vernacula, Drif, vocavi, quod denotaret arenam, sive terram Virginem, itemque in sensitivis, simul propulsantem animositatem, non secus atque sabulum bulliens, excutit quicquid peregrini sibi est insertum. Itaque I. dicam requisita, Drif, ac dein compositionis modum, quantum Philosopho permissum est, declarabo, ne rosas ante porcos prostravero. 1. Drif igitur imprimis, prout dixi, exigit, ut sit corpus quoddam metallicum, utpote quod longa sui mora, constantiam, non autem acceleratam corruptionem significat, Cœlique longo favore, suam complevit generationis orbitam, quodque particulari destinatione, ab Omnipotente directum videtur, pro miserorum pauperumque sublevamine. 2. Non est Drif, de arcanis illis insolitis, à Deo, non nisi paucissimis adeptis, certis tantum suis electis discipulis elargitis. Siquidem nostrum Drif, duntaxat in pauperum solamen destinatum videtur. 3. Requirit Drif, ut sit è corporali naturali quidem, metallicæ benignitatis participe, sed quod antea, prius sit per mortem obsequens, apertumque; non quidem cum extinctione suarũ virium, velut sponte defuncti cadaveris instar: sed retentis suarum dotiũ beneficiis, sit ab Artifice referatum, repagulis liberum, ac velut resuscitatum: imo ens ditatum ac plane novum, recensque ab igne surgens. 4. Adeoque debuit resurrexisse velut à morte omnino volatile, atque spirituale, sive bis terve sublimari, cum sibi additis aliis. 5. At quia volatilia cito pereunt, dissipantur, ac dissolvuntur, etiam antequam intro admittantur, penetrent, suasque excellentias de sinu depromant, aut sic Archeum pacificare queant; idcirco requirit Drif, ut post sui volatilitatem adeptam, alicui corpori amicabili connectatur, quo detineatur, suique toro, sit corpori humano communicabile, nostroque Archeo gratum, ac familiare. Idque proin debet, inter facile, & non facile diflabile, medium velut sortiri locum. Itemque debet medio connecti, dum jam ejus fervor maximus pene, mansuetus fuerit, ne scilicet connectendo, magna sui parte evolet. 6. Debetque hactenus, ne dum sua corporis constantia, sed virium suarum extentione, esse plane fermentale: adeo ut nimia sui odoris participatione, queat extendere suas vires in Archeum, eundemque sopire ac demulcere. Quo senario ut describitur: ita pari numero ejus detegitur confectio. Imprimis libro de Lithiasi, in ferculo

lo Tyronum, exposui distillandi modum, quo spiritus salis marini, cum terra figulina exsiccata prolicitur. Est nempe Sal maris nobis affinis, & desiderabilis, nec ullo sui tenore adversus. Ergo pro Drif, requiritur Sal maris residuum, in fæce remanens, extractum scilicet à fæce, quæ caput mortuum dicitur. Sal inquam istud, jam suorum spirituum noxia, appetit alienos, eosque intra se recondit: non tamen prorsus pertinaciter fixat. 2 Docui similiter, Veneris ens primum non posse sequestrari, nisi per mortem ac separationem Mercurii sui à sulfure. Quin imo, nec haberi illud sulfur, nisi penes Adeptos, quorum numerus ut electus & rarissimus: ita & prorsus exilis est. 3. Docui, insuper, in vitriolo, ut ut Venere jam depravata, sæpiusque distillata, adhuc tamen superesse ipsam Venerem actualem. 4. Quamobrem ipsum Drif postulat saltem sequestrationem Veneris à fæce vitrioli, quæ nec alias, quam per sublimationem completur. 5. Quæ sublimatio necessario quoque fit, & adimpletur per ens peregrinum, fermentale, Archeo tamen omnino amicum. 6. Ergo fuso sale marino, è fæce extracto, ante omnimodam ejus condensationem illi commisceatur subtriplum entis Veneris, resuscitati sublimando, & comitati suo peregrino fermento: statimque tigillum cooperiatur. Dum autem prorsus refrixerint, contunde in pulverem sub marmore, illique adjunge Usuce subdecuplum, respectu entis Veneris. Quem pulverem Ichtyocolla soluta, in trochiscos super lapide compinge. Et habes medicamen nobile. Postremo duas Compositiones Lapidis Butleriani curioso harum rerum Lectori communicabimus, prout eas à Medico quodam perquam incluto non ita pridem descriptas accepimus, quarum hæc prima est:

℞. Vitrioli Hungar. ℔ iij. Calcina ad albedinem, tum contunde in mortario vitreo.

℞. Hujus Vitrioli philosophice calcinati ℔ ij. Salis Ammoniaci ℔ j. tenuissime pulverisata indantur sublimatorio terreo per 14. horas, quatuor ollis sibi superimpositis. Ubi refriguerit, removeatur lutum: quod sublimatum fuit, iterum tenuissime comminutum & capiti mortuo remistum sublimetur se-

cunda & tertia vice. Habebis flores seu sulfur Vitrioli. Serva in vase concluso.

℞. Hujus sublimati, seu Entis Veneris bene siccati ℥iij. Capitis mortui ex destillatione Spiritus salis ℥j. unumquodque pone in separato Crucibulo ignito: Quando Ens Veneris incipit fumare, tum injice Caput mortuum ex destillatione Spiritus salis, Agita tudicula ferrea. Refrigescant. Contunde in mortario vitreo. Cnöffelius eo per se utebatur in mortario vitreo.

℞. Hujus Drif ℥iij. Magist. Cranii humani, Magister. Corall. a. ℥ß. Musci Cranii humani gr. viij. M. cum Ichthyocolla & Tragacantha f. a. F. Trochisci. Altera Compositio Lapidis Butleriani, quem Gallus quidem le Sage elaboravit, talis est:

℞. Colcotar Vitrioli ℔j. Salis Ammoniaci ℔ iij. M. & ex Retorta destilla, prodibit Sal tinctum variis coloribus. Tum habe in promtu Sal ex capite mortuo destillationis Salis communis elixiviatum, quod funde in Vitriolo: cui ab igne remoto & adhuc calenti ante omnimodam refrigerationem admisce sub triplum prædicti Salis Ammoniaci Ente Veneris impraegnati: tum adde prius tritis speciebus Usneæ subdecuplum, & cum Ichthycolla in Trochiscis compinge.



VITA

VITA MICHAELIS SENDIVOGII,

Poloni Nobilis Baronis,

Ex Relatione Ipsius quondam Oeconomi,

JOHANNIS BUDOWSKI.

Cui accessit Epistola

DN. DE NOYERS,

Ex Gallica lingua in Latinam conversa.

SENDIVOGIUS natione Polonus, fuit Baro, cujus prædium Gravarnæ, in confinibus Poloniæ & Silesiæ situm, paucis milliaribus distat ab Vratislavia Silesiæ metropoli. Habuit & alio in loco plumbi fodinas, quæ annuos reditus augebant. Sitæ sunt illæ in territorio Cracoviæ, Poloniæ superioris metropoli. Quod ad vitam ejus, si cujus relationi fides habenda est, id possum dicere, quod superioribus annis ætatis suæ ab Imperatore RUDOLPHO II. peregrinationi versus Orientem destinatus fuerit, eoque missus cum transiret Græciam, incidit in familiaritatem Patriarchæ Græcorum, quem, ubi Philosophi adepti signa in illo deprehenderet, multa veneratione, amore & obsequio prosecutus est; tandemque sibi propitium reddidit, ut Philosophiæ adipiscendæ remedia ulterius ipsum non celaret, & consequenter veram artem lapidis Philosophorum conficiendi doceret, quo adepto reversus est ad Imperatorem, eumq; fructuum peregrinationis suæ participem reddidit. Post uterq; suo quisque loco rem elaboravit, & ex voto omnia successerunt. Multo in amore & observatione habuit hunc Philosophum Rudolphus, eumque fecit Consiliarium suum, vixitque cum illo, non ut Imperator, sed ut amicus familiaris. Verum Sendivogius cum nollet astrictus esse ad Aulam, pro libertate sua, sedem figere maluit Gravarnæ ditionis suæ propriæ, ubi vixit laute semper & splendide, instar Principis, usque ad mortem. Tincturam Philosophorum asservavit in pyxide aurea, sub specie pulveris rubei, quæ reducta fuit proportione unius grani ad quingentos Ducatos, seu mille Imperiales, quos vocant Reichsthaler/ & utplurimum

rimum projectionem fecit super Mercurium. Pyxidem prædictam utplurimum non ipse quidem portabat in itineribus, verum ipsius Oeconomus eam gestabat in collo, ex catena aurea, sub veste, & reliquum quod habebat ex isto pulvere, concluserat in loco quodam secreto scabelli pedum, quo uti solebat in rheda sua, ut cum vile esset & abjectum, in objectis itinerum periculis non æstimaretur, se ipsum quoque, urgente occasione, servum quandoque simulabat, & vice sui alium quendam domesticorum suorum, Dominum: eo quod ob nimiam sese ostentandi liberalitatem, coram personis forte indifferentibus projectiones sæpius modo hic, modo alibi fecisset, in Germania, (nam Poloniam non amavit, & idiomate semper Germanico usus est:) & hoc ipso se variis periculis exposuisset, ut cum aliquando coram Principe quodam Germano, ad summam ejus instantiam, & silentii juramentum, flexis genibus præstitum, projectionem faceret super Mercurium, accidit, ut post discessum Sendivogii, dictus Princeps, præ nimio gaudio ejus, quod viderat, jurati silentii oblitus, cuidam suo Müllenfels, qui laboribus Chymicis penes ipsum vacabat, omnia narraret, seque ab ipso persuaderi pateretur, ut dictum Müllenfels duodecim equitibus stiparet, ad persequendum Sendivogium, & ab illo seu persuasione seu vi illata extorquendum tincturæ visæ secretum, quod quidem non adeo sinistre successit. Nam ubi Sendivogium attigisset in diversorio quodam pagi cujusdam circa prandium, rem tentabat primum suaviter, post seriò & extorsoriè, tandemque Philosophum ad columnam quandam domus istius alligatum, vestibus exuebat, ut nihil relinqueretur intactum. Invenit tandem quoddam Manuscriptum de Lapide Philosophorum, & ipsam quoque tincturam, aurea pyxide contentam, quam Sendivogio eripuit, cum multis aliis pretiosis, quæ secum habebat, inter quæ fuit imago Rudolphi II. cum catena aurea, quam Sendivogius usitate gestabat ex collo, & pileus cum spira adamantina centum mille Imperialium seu Reichstaler. Sendivogius ita spoliatus properavit ad Imperatorem, eique malitiam facti exponit, qui statim per expressum à Principe requirebat, ut Müllenfels ad Imperatorem mitteretur captivus. Princeps vero cum posset, quod inevitabile erat, declinare, quasi præveniebat Imperatoris

ratoris mandatum executione Müllenfelsii, quem veste foliis auri undique deaurata indutum, tribus patibulis invicem erectis, in superiori pendi jussit, imagine Imperatoris cum catena, & pileo cum spira adamantina redditis illi, quem Imperator miserat, quod ad tincturam, dixit, se nihil vidisse. Ita Imperatorem placabat, ne in ipsam quoque personam Principis animadverteretur. Sed & alia ejusmodi pericula possem recensere, quibus Sendivogius implicatus fuit & elapsus: nisi unicum hoc exempli loco sufficeret. Quandoque ubi nimis divulgasset projectionibus suis, se Philosophum esse, pro ratione circumstantiarum simulavit, se pauperrimum esse, quandoque lecto decubuit, ut Podagricus, tanquam ipse afflictus morbo, quem curare nesciret, quandoque & falsum argentum fecit, vendiditque Judæis in Polonia & alibi, atque ita vario stratagemate elusit opinionem existimantium, eum lapidem Philosophorum habere, ut potius audiret deceptor & falsarius, quam Philosophus & Alchymista. At non tantum Alchymista fuit, verum & Magus fuisse videtur, cum viderim & legerim literas, quæ ad ipsum scriptæ fuerant, gratiarum actione repletissimæ, super casu, quo magicè curaverat hominem, qui morbo plane incognito vexatus, per intervalla paroxysmis quasi epilepticis percutiebatur, & in istis angustiis constitutus evomebat, diversis vicibus omnis generis monetas veteres, aliasque res plane alienas, ut mox frustum alicujus clavis, mox clavi, fustis ferrei, ungulæ equi & cætera. Hic cum vel centum milliaribus à Sendivogio abesset, visum est, ut scripto requireretur consilium ejus super præsenti necessitate. Respondit, ut res, quas evomuisset ægrotus, ad se mitterentur, quo facto, paulo post tempore æger convaluit. Ac quoque non prætereundum censeo, quod aliquando venerunt ad ipsum Viri duo, senior & junior, eo tempore, cum in arce sua Gravarnæ domi esset, & illi præsentarunt literas, duodecim diversis sigillis munitas, inscriptione directa ad Sendivogium. Hic se Sendivogium illum esse negabat, nec literas acceptare volebat. Tandem multis persuasionibus victus legit, quod ibi scriptum erat, ubi cum percepisset, à se requiri, ut in fraternitatem quandam roseæ crucis se intromitteret cum reliquis istius Societatis, intellexissetq; ex discursu

istarum

istarum literarum ulteriori, eos, qui ad ipsum scripsissent, loqui de lapide quodam Philosophorum, simulavit se nihil eorum, quæ scriberentur, captu suo assequi; Verum tamen Legati istius Societatis tandem obtinuerunt, ut in Discursum Philosophicum cum illis descenderet, quo satisfacti discesserunt, quanquam Sendivogio in Societatem rosex crucis non consentiente. Editus fuit postea in lucem publicam liber quidam idiomate Germanico, dictus Rhodostauroticũ, quo compellant Sendivogium ut fratrem, suppresso tamen nomine, multisq, elogiis ipsum in cœlum usq; evehunt. Porro unicam ex matrimonio habuit filiam, quæ cum nupsisset Capitaneo militi, contra jussum patris, non multa postmodum affectione ab ipso prosecuta, non amplius obtinuit pro sua hereditate, quam viginti quatuor mille Imperiales, quos ipsi debebat Imperator, iisque exigendis moribundus curatorem præfecit Comitem Schlick, Bohemum. Scripsit, & absolvit tractatum tertii principii rerum de Sale, eumque legendum dedit suo Oeconomo, Viro, cui confidebat omnia, ob candorem & sinceritatem, cujus nomine quoque jam præfationem fecerat, eique mandaverat, ut post mortem ejus ederet tractatum dictum, quoniam noluit, ut eo vivente imprimeretur, ob nimiam, quam ibi exercuisset philosophandi liberalitatem, ne eo ipso inimicis suis daret ampliorem occasionem, in ipsum inquirendi. Verum contigit infortunato, ut dictus Oeconomus tempore mortis Sendivogii esset Hamburgi, ideo filiæ suæ commendavit tractatum de Sale, suo sigillo clausum & sigillatum, accepto juramento, ne alicui mortalium alio, quam suo Oeconomo illum de manu in manum traderet, qui cum in itinere redeundi esset, obiit in Prussia. Mortuus autem est Sendivogius Gravarnæ in Silesia, ibique sepultus, ætatis suæ LXXX, anno millesimo, sexcentesimo, trigesimo sexto, trium Imperatorum Consiliarius, Rudolphi, Matthiæ & Ferdinandi.

Hæc est historia (inquit Borellus in Dictionario suo antiquarum Vocum Gallicarum p. 479.) quæ mihi missa fuit ab amico quodam ex Polonia; sed quoniam multi non sine causa crediderunt, quod illa vitam Cosmopolitæ & Sendivogii confundat, idque factum esse, cum diu pro iisdem habiti fuerint, eo quod utrumque nomen Cosmopolitæ & Sendivogii in libro isto Novi Luminis, quem habemus, inveniatur; ecce literas curiosas Dn. de Noyers, qui sollicite, ad

ad instantiam amici cujusdam, historiam istam conquisiverat: Quæ quidem mea sententia multum luminis rei isti affundit, & differentiam inter hasce duas vitas; secundum rei veritatem constituit. Ut autem Lector judicare possit, epistolam istam ex idiomate Gallico conversam apponimus.

Quoniam, Domine, Lutetia Parisiorum discessurus promiseram, me summam adhibiturum diligentiam, ut opera omnia ac integra Cosmopolitæ nancisci possem; maxima quidem in id incubui cura, donec tandem comperi, ipsum, præter librum XII. Tractatuum, cui titulum Cosmopolitæ inscripserat, composuisse nihil. Quemadmodum ex sequentibus facile intelliges, me multa de eo rescivisse, quæ tecum jam communico. Auctor igitur libri, cui nomen Cosmopolita, fuit natione Anglus, qui in Ducatu Saxoniæ aliquandiu commoratus, projectionem fecerat pulveris, cujus beneficio quævis metalla in purum putum converterat aurum. Quidam ex iis, quibus præsentibus id factum erat, retulerat id Duci Saxoniæ, qui metuens, ne homo iste elaberetur, misit satellites, qui eum in hospitio, ibi una cum uxore diverterat, detinerent & ad se deducerent. Interrogatus à Duce; utrum is ipse esset, qui metalla ista in aurum transmutasset? affirmabat id quidem, nec enim negare poterat, adstantibus iis, qui id suis oculis viderant; attamen nescio quid causatus, discessum & varia quærebat effugia, quibus tamen apud Electorem nihil efficiebat, quippe qui promissis primum, deinde minis, vi tandem arcanum illud expiscari conabatur. Cosmopolita iste (ita eum nominabo, quoniam verum ejus nomen cognoscere haud potui) qui Pontificius erat, videns se misere captum, & sua culpa ita illaqueatum esse, animum inducebat, tormenta & quidvis potius perpeti, quam hæretico tanta suppeditare media, quibus Ecclesiam oppugnare, & bellum inferre posset, eoque fine Deum precatus est, ut sibi vires largiretur, quo in proposito isto perseverare posset. Cum igitur Princeps se nihil precibus ac humanitate sua obtinere posse cerneret, equuleo ipsum imponi fecit, unde sine ulla spe revelandi secreti remotus, & sanitati quodammodo redditus, toties iterum impositus fuit, ut corpus ejus dilaceratum & membra distorta apparerent, nihilo tamen magis, ne igni quidem admotus, verbulum ejus, quod Dux tantopere scire gestiebat, protulit. Hoc ipso tempore Michaël Sendivogius, quem scriptor quidam Polonus per errorem inter

inter Nobiles Polonos numeravit, cum tamen ex Moravia esset oriundus, & domicilium saltem Cracoviæ haberet, forte, ubi captivus detinebatur iste Anglus, versabatur, & qua erat curiositate & chymica scientia imbutus, maximo desiderio videndi hominem flagrabat. Ideoque Electoris aulam frequentans, aulicos ejus familiares sibi reddidit, quorum opera etiam tandem in carcerem intromissus, Cosmopolitam istum & videre & alloqui potuit. Hic varia quidem de rebus Chymicis in medium attulit, ad quæ tamen alter lente nec satis ad sententiam ipsius respondit. Sendivogius vero, cui curæ erat interiora secreti adyta penetrare, tot iteratis visitandi ipsum officiis effecit tandem, ut ipsi secreto & sine metu proditionis dicere posset, quid impendere vellet, siquidem ipsum ex vinculis posset liberare. Miser iste, qui tantum non inter sordes suas ac vulnera periret, ipsi daturum promisit, quo cum tota familia sua per omnem vitam posset esse beatus. Sendivogius itaque res suas composuit, & salutatis amicis, se, propter negotia quædam, peregre abiturum ac brevi reversurum, dicens, Cracoviam abiit. Ubi vendita domo, quam ibi habebat, reversus est in Saxoniam, & laute habitis, quibus erat notus, eorumque opera etiam, qui custodia Cosmopolitæ fungebantur, probe aliquando inebriatis, miserum istum & penitus luxatum Anglum in carpentum, quod eo fine præparari curaverat, deportavit, qui diversorum istud, ubi uxorem reliquerat, prætereundum esse contendit. Huc ubi venerant, uxori monstravit, unde pulverem, quem ibi abscondiderat, promere debebat, quo facto, illa quoque rhedam conscendit, brevissimaque qua poterant via, ex ditione Ducis properarunt. Appulerant illæsi in Poloniam & Cracoviæ existentes, Sendivogius memoriam promissi Anglo refricabat, qui ut se se inde liberaret, uncium pulveris istius ipsi donabat. Verum Sendivogius ipsum secretum contendebat, ad quod Anglus corpus suum monstrans, respondit; se tot mala ac cruciatus perpessum fuisse, ne secretum illud divulgaret, ideoque non id ipsi mirum debere videri, si istud porro reticeret; cum & ingens peccatum se commissurum crederet, si revelaret id, quod à Deo tanto studio ac pretio impetrasset. Hoc illud omne est, quod Sendivogius inde reportavit. Brevi post Cosmopolita naturæ concessit, atque moribundus dixit, si morbus iste ex naturali ac internis causis provenisset

ſet, ſe facili negotio, pulvere iſto, ſanatum fuiſſe. At corpore putredine undique infecto, nervis contractis, & abſciſſis, non eſſe quo nunc reſtitui amplius poſſet. Poſt obitum ipſius Sendivogius uxorem Coſmopolitæ, ſecreti iſtius participem credens, in matrimonium duxit, ſed rudem illam ac rei prorſus ignaram poſtmodum invenit, nec quicquam aliud ab illa accepit, quam præfatum librum XII. Tractatuū, ſive Coſmopolitam una cum Dialogo de Mercurio & Alchymiſta. Quem quidem ille non ex auctoris, ſed ſuo ſenſu interpretatus, multiplicationem pulveris tentare cœpit, inque eum finem præcipue Mercurium iſtum communem adhibuit. Cum vero is haud eſſet materia iſti negotio conveniens, nihil effecit. Poſtmodum iterum atque iterum, quamvis diverſimode, fruſtra tamen eandem rem aggreſſus eſt. Pragam deinceps contendit ad Imperatorem Rudolphum, quo præſente transmutationem ſuam inſtituit, quin imo ipſum Imperatorem, cui pulveris aliquid tradiderat, eam tentare ſinebat. In cujus rei memoriam Imperator muro iſtius Cameræ, ubi facta erat operatio, tabulam marmoream infigendam curabat, cui inſcripta erant hæc verba: *Faciat hoc quispiam alius, quod fecit Sendivogius Polonus.* Id quod quidem adhuc hodie cernere ibidem licet. Poſtquam igitur experimentum illud coram Imperatore fecerat, cui procul dubio omnem etiam rem aperuit, & in reditu conſtitutus per Moraviam tranſiret, Comes quidam iſtius regionis, qui eum viderat, captivum eum duci & in carcerem conjici juſſit, ſperans ſe hoc pacto ſecreti iſtius, quod illum poſſidere credebat, conſcium futurum. Fama iſtius rei, quæ coram Imperatore facta erat, hominem reddiderat celeberrimum, quamvis jam tum eruditione ſua valde eſſet clarus. Sendivogius ita incluſus, nec ſine cauſa metuens, ne & ipſe eodem modo, quo Anglus iſte in Saxonia haberetur, lima quadam, quam ab amico forte nactus erat, clathros feneſtræ ferreos diſſecabat, & fune ex veſtibus facto, ſe demittens, periculum iſtud evaſit. Comes vero coram Imperatore in jus vocatus, & facinoris convictus, non tantum gravi mulcta fuit mulctatus, ſed & integrum pagum Sendivogio dare condemnatus, qui eum poſtea uni ex filiabus ſuis in dotem tradidit. Redux itaque factus in Poloniam, Mareſchallo Regni Magno, cui nomen erat Wolskius, perſuadebat, ſe pulveris iſtius conficere potuiſſe magnam copiam, niſi ſumptibus hactenus deſtitutus fuiſſet.

Wols-

Wolskius, Ciniflonum Vanitatibus addictus, facile homini fidem adhibebat. Sed ut etiam conftet, qua ratione Sendivogius ad paupertatem devenerit, altius paululum hiftoria ifta repetenda eft. Quamdiu igitur ipfi de pulvere fuppetebat, genio fuo, ut erat ad luxum proclivis, largiter indulgebat. Partem pulveris in experienda multiplicatione perdebat: Partem impendit transmutandis metallis, quæ Judæo, qui adhuc Cracoviæ in vivis eft, vendenda tradebat. Tandem parum fibi pulveris adhuc reftare videns, confilium cœpit extrahendi ex vino fpiritum, inque eum rectificatum refiduum pulveris conjiciendi. Quemadmodum etiam fe fe pro Medico venditavit, & curis fuis admirandis multis laudem præripuit. In hoc eodem liquore nummum quendam, vel potius Imperialem Rudolphi, quem poffideo rubro colore tinctum transmutavit, idque in præfentia Sigismundi III. Regis factum fuit, quem ipfum etiam morbo valde molefto, Elixiris iftius beneficio, liberavit. Hoc pacto Sendivogius omnem pulverem atque liquorem confumpfit, ideoque Marefchallo Wolskio dixerat; fe inopia fumptuum laborare non potuiffe, quamvis fecretum optime calleret. Wolskius hoc modo inductus, fex millia florenorum ipfi numeravit, quos tamen Sendivogius inutiliter confumebat, nihil prorfus efficiens. Marefchallus, qui fecum dolofe actum fentiebat, vehementer in hominem invectus, fe eum, fi vellet, in patibulum adigere poffe dicebat, condonaturum tamen, fi faltem pecuniam reddere poffet. Sendivogium interea fama ita undique extulerat, ut Dn. de Mnifeck, Palatinus Sandomirienfis, ipfi ad fe vocato itidem fex millia florenorum dederit, quo laboribus Chymicis incumberet, quorum ille dimidiam partem Marefchallo reddidit, dimidiam operationibus quidem impendit, fed vano prorfus fucceffu. Tandem cum confumptis opibus ad inopias redactus effet, circumforaneum agere cœpit; & frufta feu lamellas aureas cum argenteis fcite ferruminatas, & charactere numifmatis publico fignatas, Mercurio totas dealbabat. Poftmodum fimulans fibi adhuc de Elixire fuo effe, nummos iftos in ignem conjectos ut Mercurius evanefceret, atque partem monetæ, qua aurea erat, ignitum rubentemque in fuum Elixir tingebat, atque ita argentum in aurum transmutaffe videri volebat. Quo quidem apud rudes ac rei iftius ignaros, quibus nummos iftos carius quam ipfi conftabant, vendebat, ali-

qualem

qualem retinuit existimationem. Cum tamen prudentiores fallaciam facile, eumque secreto isto, quo tantopere gloriabatur, destitutum deprehenderent. Postquam igitur frustra scriptis Angli istius insudasset, in publicum emittere statuit librum, ut periculum faceret; utrum quis esset, qui plura inde assecutus, ea de re cum ipso communicare vellet. Sed ad hanc rem arte sibi utendum esse censuit, verbaque quædam inserenda, quæ ipsum libri auctorem arguere possent, idque eo fine, ut eo minus is, cui ex lectione libri forte licuisset fieri beatiori, aut secretum illud adipisci, dubitaret, se ipsi aperire. Interim non tam effrictæ frontis fuit, ut nomen suum aperte præfigere auderet, ideoque illud sequenti Anagrammate expressit: *Autore me, qui Divi Leschi genus amo.* Anglum vero istum, præter librum XII. Tractatuum scripsisse nihil, non dubiis conjecturis colligo, unde simul constat, autorem tractatus de Sulphure librum illum XII. Tractatuum sibi falso attribuisse, nec fuisse Cosmopolitam. Et ut rei veritas eò facilius appareat, examinetur editio impressa Hagæ per Theodorum le Maire anno 1639. cujus excutiam folia. In præfatione XII. Tractatuum dicit, quod integer iste liber, ex propria experientia ac encheiresi sit depromptus. Repetit foliis 24. 31. & 32. se composuisse librum, ut hominem istum lapidem habuisse Philosophorum minus dubitare possis. Autor vero Tractatus de Sulphure, ejusdem impressionis fol. 45. ait, quod non elaboraverit Tincturam aurificam, sed eam sibi donatam fuisse ab amico quodam. Unde patet, autorem hujus libri non esse eundem cum eo, qui in XII. tractatibus quatuor in locis affirmat, se confecisse magnum illud opus. In eodem tractatu de Sulphure fol. 48. autor se credere affirmat, quod Mercurius vulgaris sit vera materia metallorum, quandoquidem refert historiam de Alberto Magno. Id quod refutatum passim in opere XII. Tractatuum, ubi intelligentibus probatum Mercurium non esse veram materiam. Porro affirmat, si inventum sit aurum inter dentes demortui cujusdam, id ex Mercurio esse, quem vivus aut in Medicaminibus aut in unctionibus adhibuisset. Scilicet innuere vult, talem Mercurialibus medicamentis curatum fuisse à Lue Venerea. Quod si hoc mens ejus est, fallitur egregie, cum malum istud eo tempore adhuc esset incognitum, adeoque & remedium ejus. Ex contrariis istis colligo, autorem tractatus de Sul-

phure fuiſſe impoſtorem, qui falſo ſibi attribuit opus iſtud Coſmopolitæ, neque magna opera inducor, ut credam, autorem tractatus de Sulphure eſſe Sendivogium, quoniam non erubuit alteri iſti operi tale præfigere anagramma, quo verus crederetur autor. Id quod adhuc animadvertes in opere XII. Tractatuum pag. 42. ad Lectorem, ubi dicit, non eſſe cur tantopere in autorem parvi iſtius tractatus; qui habuit Lapidem Philoſophorum, inquiratur, ſe cum eodem autore intimiorem coluiſſe amicitiam. Vultque videri auctorem illum ſibi explicuiſſe tria iſta principia, quæ in lucem editurum ſe promittit. Sed Sendivogius id nullo alio fine dixit, quam ut alliceret adeptos, ne quid ipſum ea de re celarent, quemadmodum ſupra dictum fuit. Veriſimile quidem ſit, Coſmopolitam ipſi multa de ſecreto Philoſophorum Lapide revelaſſe, ſed nunquam quicquam de materia primaria aut primo Agente. Et ſi tractatus de Sulphure penitius inſpiciatur, facile deprehendetur, eum non eſſe ejuſdem ponderis cum altero, neque auctorem eum, qui hactenus creditus fuit. Obſervandum quoque, Coſmopolitam dicere fol. 2. 6. 7. quod nihil in centro terræ remanere poſſit, ideoq; Archæum removere & continuo rejicere, quæ elementa projecerunt, quæ ſunt ſemina rerum omnium. Cui adſtipulatur auctor tract. de Sulph. f. 6. quãdo ait, quod ignis gehennæ infernalis ſit in Centro terræ ubi Archæus eum regit. Idem repetit f. 7. quod ignis Centralis calefaciat aquã, id quod dixerat de igne gehennæ f. 3. & alibi, & interim tamen quaſi ſibi contradicit f. 8. ait, quod polus Arcticus virtute quadã magnetica attrahat aquas, quæ tranſeuntes axem mundi exirent iterum per polum Antarcticum. Dubio quidem caret, quod axis iſte tranſeat per Centrum, id eſt, ſuo loco, nam revera non exſtat; ſed ingens iſte fluvius ſive torrens aquarum, tranſiens centrum mundi, extingueret ſine dubio ignem iſtum Centralem, & vi fluminis ſecum traheret ſemina omnia, quæ elementa projiciunt. Id quod non tantum contrariatur Coſmopolitæ afferto, ſed & ipſius Sendivogii, qui non erat cum altero quoad eruditionem comparandus, quamvis fuerit doctiſſimus: Eſt enim Auctor Tractatus de Sulphure. Objicienti vero: non eſſe veriſimile, quod Anglus mentionem feciſſet Poloniæ in libris ſuis, quemadmodum cap. 10. fol. 22. refert, quod mala punica ibi non tam feliciter proveniant, quam in Italia; Reſpondetur, quod id inſertum ſit

à Sen-

à Sendivogio, idque saltem in secunda editione, cum id in priori Cracoviæ anno 1604. impressa non exstet. Sicut & ea, quæ de Salinis regni istius afferuntur; ut & quæ fol. 34. quod non voluerit in lucem emittere librum istum, & fol. 77. nisi ejus conditionis esset &c. habentur, adjecta sunt à Sendivogio, ut eo facilius Adepti sua arcana ipsi revelent. Multa adhuc alia ex duobus istis tractatibus afferre possem, quæ probarent, hosce duos Auctores esse diversos, & quod posterior sit Sendivogius, qui prioris opus falso sibi adscribit. Obiit Sendivogius eodem anno, quo in Poloniam appuli, hoc est, 1646. magna conflictatus egestate, summis miseriis, & maximo senio. Ego persevero, Domine &c. Datum Varsoviæ d. 12. Junii, Anno 1651.

Addam etiam (pergit Borellus l. c.) quæ ipsemet hac de re rescire potui. Quoniam igitur Cosmopolita nomen suum non expressit, variis eum indigitarunt titulis, qui mentionem ejus fecerunt, velut Majerus, Libavius, Crollius & alii. Quidam enim ipsum nominarunt Heliocantharum Borealem. alii Nobilem Sarmatum, Nobilem Polonum &c. Majerus ipsum collocat inter duodecim Heroas mensæ suæ aureæ, & Crollius testatur, vidisse efficaciam Tincturæ ejus, ut & transmutationem Metallorum imperfectorum in aurum. Cum peregrinationibus adhuc addictus esset, ausus fuit coram curiosis quibusdam & scientiæ istius cupidis, projectionem facere, qui, quod illos secreti nollet reddere participes, ipsum persequuti sunt, & in carcerem conjecerunt. Inter illos, qui ipsum male habuerunt, videntur quoque Reges quidam ac Principes fuisse, quemadmodum ipsemet innuere videtur in loco quodam, ubi recenset calamitates suas, in quas ob nimiam inconsultam in artis veritate ostendenda audaciam inciderat. Captus enim turri inclusus fuit, & quadraginta hominum custodia stipatus, ita ut non possibile videretur eum evadere posse. Aliquando tamen custodes suos hoc modo allocutus est: Si verum est, de quo accusor, nonne Vos ego longe majoribus divitiis cumulare possem, quam is, qui me vestræ commisit custodiæ? Quibus & aliis argumentis illos persuadens, sibi addictos reddidit, & omnes secum abduxit, eorumque famulitio in itineribus suis per Europam usus est. Præter hanc historiam exstat adhuc alia magis memoranda & utilior, scilicet quod Imperialis argentei in igne rubefacti dimidiam partem oleo

Rr 2 quo-

quodam tinctam in aurum converterit. Idque in præsentia Defuncti Regis Poloniæ fecisse, & eo facto, ex aula ejus se subduxisse dicitur. Rex vero à quibusdam inductus misit, qui eum persequerentur Lutetiam usque, ubi captum & deductum in Poloniam turri isti, unde eum evasisse ante dicebam, inclusit. Hic Imperialis diu inter cimelia Regis Poloniæ asservatus fuit. Tandem tamen in manus Domini de Noyers, Secretarii Reginæ Poloniæ, qui eum secum Parisiis deportavit, & non solum videndi ejus copiam, quibus id libebat, fecit, sed particulas inde diversas explorandas dedit, quæ tamen purum & undique sine ulla mixtura sincerum aurum continebant, quemadmodum omnes nummi per Tincturam Philosophicam facti: ita enim distinguuntur à communiori moneta, quæ nunquam absque Mixtura invenitur. Et ut appareat nummi istius partem revera esse transmutatam, nec ex diversis frustis consolidatam, præter quod ibi nulla ferruminatio apparuerit, illa tota fuit porosa in parte ista conversa. Et quoniam aurum solidius & ponderosius est, quam reliqua metalla, non potuit eandem undique formam retinere, sed ubique porosa fieri debuit. Equidem hoc optimum transmutationis nostri seculi exemplum esse credo, cui addendum quoque experimentum istud, quod du Bois pulvere, quem à Perier compatre suo acceperat, fecit. Aurum enim istud Cupella examinatum, seu catillo probatorio impositum, secus ac reliqua metalla, quæ in hoc examinis genere, de quantitate sua perdere solent, augebatur, quoniam partem plumbi in naturam sibi summogeneam convertebat, quod plus Elixiris, quam opus erat, contineret. Nam du Bois justam quantitatem ignorans, adeoque metuens, ut effectum monstrare posset, plus quam requirebatur, apposuerat. Verum de Sendivogio nunc satis dictum esto.

EPIGRAMMA.

In vere aureos de Lapide Philosophorum Tractatus ANONYMI LESCHI.

Sunt multi lapidis nostri queis fabrica sordet;
Hi sordent merito, Maxime LESCHE, Tibi,

Maxime

Maxime LESCHE *placet Tibi triga: DEVS, NATVRA,*
ARS.
Triga Tibi hæc placeat, Maxime LESCHE, *diu,*
Perge mari uxorem conjungere, solvere junctos
Perge; Deus foveat cœpta secunda diu!
Perge malos Chymicos convellere, perge docere:
Vt ne dilapitent omnia pro lapide.

JOH. HENRICUS ALSTEDIUS,
Professor Philosophus.

SCRIPTA.

Duodecim Tractatus, de Lapide Philosophorum, auctore me, qui DIVI LESCHI GENUS AMO (Per Anagr. MICHAEL SENDIVOGIUS, Leschum, seu genus Divi Leschi amat, id est, Polonos, apud quos colitur Sanctus ille, qui eorum Rex olim fuit. Conf. Borelli Biblioth. Chymicam p. 78.) *Parisiis* 1619. in 16. *Argent.* 1613. in 8. *Colon.* 1613. in 12. Extant quoque in Volumine IV. Theatri Chemici p. 420. edito *Argentinæ* 1659. in 8.

Ænigma Philosophorum ad filios Veritatis. Vide Theatrum Chemicum l.c. p. 442.

Dialogus Mercurii, Alchymistæ & Naturæ, *ibid.* p. 449.

Cosmopolitæ Novum lumen Chemicum, è naturæ fonte & manuali experientia depromptum. *Pragæ* 1604. *Regiomonti* 1614. in 12. *Francof.* 1606. *Colon.* 1617. in 16. *Lutetiæ* 1608. in 12. *VVitteb.* 1623. in 8. *Genevæ* 1628. in 12. 1630. in 8. *Venetiis* 1644.

Gallicè. *Paris.* 1618. in 8.

Anglicè. *Lond.* 1650. in 4.

Tractatus de Sulphure. *Haga-Com.* 1619. *Genevæ* 1653. in 8.

Gallicè, *Paris.* 1618. in 8. Anglicè. *Lond.* 1650. in 4. Germanicè. *Argent.* 1628. in 8.

Lucerna Salis Philosophorum à Sendivogii Filio in lucem edita. *Amsterod.* 1658. in 8. Germanicè. *ibid.* 1658. in 8.

Commentatus quoque est in Sendivogium quidam, qui se ficto nomine Græco Ἀνδρὸς ὀρθοῦ ἥλιος appellat, vero autem nomine Andreas Orthelius dictus est.

Titulus

Titulus est talis: Michaëlis Sendivogi, Poloni Lumen Chymicum, novum, XII. Tractatibus divisum, & totidem antiquis figuris in Germania nuper repertis, Notisque clarissimis illuminatum, renovatum, illustratum, opera & studio 'Ανδρὸς Ὄρθου ἥλιου. (licet rectius scriberetur ὀρθὸς) *Erfordi* 1624. in 8. Hunc Orthelii Commentarium Gallicè curis suis traductum esse scribit Petrus Borellus in Biblioth. Chym. p. 12. 79.

Legatur, si lubet, de Sendivogio ejusque scriptis limatum judicium Celeberrimi Dn. D. Morhofii, in pereleganti libello de Metallorum Transmutatione p. 149. 150. 151.



